

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 07022545 7

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn
THOMÆ HOBBS

MALMESBURIENSIS

OPERA PHILOSOPHICA

QUÆ LATINE SCRIPSIT


OMNIA

IN UNUM CORPUS NUNC PRIMUM COLLECTA

STUDIO ET LABORE

GULIELMI MOLESWORTH.

—
VOL. II.
—



LONDINI:

APUD JOANNEM BOHN, .
HENRIETTA STREET, COVENT GARDEN.

—
MDCCCXXXIX.

1839

www.libtool.com.cn

LONDINI:
TYPIA C. RICHARDI, 100, ST. MARTIN'S LANE.

INDEX CAPITUM

LIBRI DE HOMINE.

CAP.	PAG.
1. De Generis Humani Origine, etc. - - - - -	1
2. De Linea Visuali et Perceptione Motus - - - - -	7
3. De Objecti Loco apparente per Visionem directam - - - - -	18
4. De Representatione Objecti in Perspectiva - - - - -	29
5. De Loco Objecti apparente in Speculis Planis et Convexis per Reflectionem - - - - -	40
6. De Loco Objecti apparente per Reflectionem in Speculo sphaerice concavo - - - - -	47
7. De Loco apparente Objecti Visi per Refractionem unicam	59
8. De Visione post duas Refractiones, sive de Dioptris vul- garibus - - - - -	65
9. De Dioptris duplicatis, sive de Telescopio et Microscopio -	77
10. De Sermone - - - - -	88
11. De Appetitu et Fuga - - - - -	94
12. De Affectibus, sive Perturbationibus Animi - - - - -	103
13. De Ingeniis et Moribus - - - - -	111
14. De Religione - - - - -	118
15. De Homine Fictitio, sive de Persona - - - - -	130

LIBRI DE CIVE,

SUB TITULO LIBERTATIS.

1. De Hominum Statu extra Societatem - - - - -	157
2. De Lege Naturæ circa Contractus - - - - -	168
3. De Legibus Naturæ reliquis - - - - -	181
4. Quod Lex Naturalis est Lex Divina - - - - -	199

INDEX CAPITUM LIBRI DE CIVE.

www.libtool.com.cn

SUB TITULO IMPERII.

CAP.	PAG.
5. De Causis et Generatione Civitatis - - -	209
6. De Jure ejus, sive Concilii sive Hominis unius, qui in Civitate cum summa Potestate est - - -	216
7. De tribus Civitatum Speciebus, Democratia, Aristocratia, Monarchia - - -	235
8. De Jure Dominorum in Servos - - -	249
9. De Jure Parentum in Liberos, et de Regno Patrimoniali -	254
10. Specierum trium Civitatis, quoad incommoda, singularum Comparatio - - -	264
11. Loca et Exempla Scripturæ Sacræ de Jure Regni, quæ secunda videntur antedictis - - -	278
12. De Causis internis Civitatem dissolventibus - -	284
13. De Officiis eorum qui summum Imperium administrant -	297
14. De Legibus et Peccatis - - -	311

SUB TITULO RELIGIONIS.

15. De Regno Dei per Naturam - - -	331
16. De Regno Dei per Pactum Vetus - - -	351
17. De Regno Dei per Pactum Novum - - -	372
18. De Necessariis ad Introitum in Regnum Cœlorum -	414

www.libtool.com.cn

ELEMENTORUM PHILOSOPHIÆ

SECTIO SECUNDA

DE HOMINE.

www.libtool.com.cn

EXCELLENTISSIMO VIRO,
GULIELMO
COMITI DEVONIÆ,

DOMINO MEO COLENDISSIMO.

ABSOLUTA sectione hac de *Homine* solvi tandem fidem meam. Habes enim Philosophiæ meæ qualiscunque in omni genere Elementa prima. Contigit autem sectioni huic, ut duæ partes ex quibus constat sint inter se dissimillimæ. Est enim altera difficillima, altera facillima; altera demonstrationibus, altera experientia constans; altera a paucis, altera ab omnibus intelligi potest. Itaque conjunguntur quasi ad præcipitium. Sed necessarium erat, ita scilicet postulante totius operis methodo.

Homo enim non modo *corpus naturale* est, sed etiam civitatis, id est (ut ita loquar) *corporis politici* pars. Quamobrem considerandus erat tum ut homo tum ut civis; id est, ultima physicæ cum principiis politicæ conjungenda erant, difficillima cum facil-

limis. Diu est quod pars prior typis parata erat. Cur ergo, inquires, cum reliqua facillima erat, tam diu editionem expectavimus? Quid interea fecisti? Dicam: *ἑθνηριομάχησα*. Sunt enim et mihi mei Demetrii et Alexandri, quorum *ἐργασίας* obstare velle falso existimatus sum. Dum ergo clamoribus et conviciis illorum necessario responderem, fecit concertatio longa ut nimis sit dilata editio. Statueram, elementis his ad finem perductis, stylum abjicere. Sed ut hominum profitentium scientias mores esse nunc video, spem illam abjicio, stylum retineo; nam et hæc fortasse defendenda erunt. Sacrificiis importune semper fuerunt muscæ. Faciam ergo, ut Domitianus Imperator; configam stylo muscas. Ita inquam, nisi dederis tu quod agam melius. Sum enim,

Excellentiæ tuæ

Servus humillimus,

THOMAS HOBBS.

Die 24 Junii, 1658.

SECTIO II.

DE HOMINE.

CAPUT I.

1. De generis humani origine prima :—2. Nutritione :—3. Dissolutione :—4. Generatione : pauca et generalissima.

1. DE origine generis humani sententias philosophorum antiquissimorum fuisse celeberrimas duas, testatur veteris historiæ transcriptor Diodorus Siculus. Alteram eorum, qui, cum mundum æternum esse statuissent, necesse habebant etiam hominum genus ab æterno extitisse dicere. Alteram eorum, qui mundum definito tempore incepisse existimabant, et illi, sententiæ suæ convenienter, fuisse dicebant ab initio rerum cœli et terræ, utriusque natura permista, faciem unam; postea vero discedentibus a se invicem corporibus, mundum hunc visibilem aeremque motum continuum accepisse; et alia quidem sursum elevata constituisse solem et astra, quæ, in totius mundi et aeris conversione deprehensa, una cum mundo et aere circumferuntur; alia autem subsidentia colluviem constituisse teneram et cœnosam super axem proprium perpetuo motam; ex qua secedentibus partibus, ex humidis

SECT. II.

1.

De generis
humani ori-
gine prima:

SECT. II. **1:** **factum esse mare**, ex solidioribus terram, initio quidem satis teneram, postea vero a splendore solis factam compactiorem. Qua mollitie telluris, in locis soli subjectioribus, factum esse ajunt, ut in locis paludosis tumores sive pustulæ quædam enascerentur, membranulas habentes ex quibus post perustis perfractisque omne genus animalium, etiam homines, excludebantur. Propinqua quidem hæc sunt iis quæ traduntur in capite primo *Geneseos*, sed non eadem. Nam discesserunt quidem a se invicem corpora, et ad sua quæque loca abierunt homogenea; sed propter motum spiritus Dei, qui super illam abyssi faciem unam ferebatur. Produxit etiam terra omne genus animalium; sed virtute verbi divini, et excepto homine, qui post cætera animalia ad Dei similitudinem creatus est. Attamen qui sic philosophati sunt, quantum sine revelatione divina assequi licuit tantum videntur assequuti. Prima enim universi generatio et dissolutio, nisi conditori ejus, nemini cognita est. Primam ergo generis humani originem talem esse credimus qualem in lege sacra a Moyse traditam didicimus.

Nutritio:

2. Nutritio hominis quomodo ex cibis quotidie perficitur, sensui fere manifestum est. Cibus enim motu illo, quem deglutitionem dicimus, dejicitur in ventriculum. Ventriculus motu quodam sibi proprio dejectum jactat, ita ut misceat et emolliat; truditque in intestina. Intestina emollitum protrudunt, et partem ejus tenuissimam, id est chylum, per motum peristalticum, cogunt in venas lacteas; venæ lacteæ in subclaviarum, hæ in cavam exonerant; vena cava in cor, ubi cum sanguine miscetur; et cor in arterias. Partem autem ejus

nutritioni idoneam portant arteriæ carotides ad cerebrum; unde transmittitur colata per nervos, et discissa in innumera minutissima fila fit caro. Interea sanguis, per aortam et ramulos ejus in musculos delatus, carnem jam factam tingit rubedine.

SECT. II.

1.

Nutritio:

Præterea eodem motu arteriarum, quo sanguis in musculos defertur, saturatis musculis cogitur in venas capillares; et ne pondere suo restitet, valvulis sustinetur; proceditque ad venam cavam, atque inde rursus ad cor, et ita, recepto novo chylo, per arterias ad musculos circulando. Atque hæc, excepto quod dicitur de generatione carnis per nervos, de quo ulterius inquirendum, experimentis confirmata sunt.

Quamdiu sanguis ea, qua dictum est, via circulatur, tamdiu homo vivit. Quamdiu autem cor motum suum systolæ et diastolæ retinet, tamdiu sanguis circulatur. Sed unde habet motum illum cor? A motu aliquo in sanguine, an sanguis motum suum habet a corde? Constat infantem, dum in utero est matris, motum cordis habere a motu sanguinis materni, et vitam a vita matris cui adhæret. Manifestum etiam est, cum ex utero exierit et aerem semel hauserit, non posse postea sine aere vivere. Sequitur ergo vitam, id est, motum cordis dependere ab aere, et proinde aerem vel aliquid, quod cum aere imbibitur, causam esse motus cordis. Quicquid autem sit in aere quod cor movet, necesse est ut prius moveat sanguinem. Nam haustus aer transit per arteriam asperam in parenchyma pulmonum, nec ad cor pervenire potest nisi intret in arteriam venosam, et ita secundo cursu sanguinis ad cor deferatur. Itaque id, quod in aere existens motum suum sanguini imprimit,

SECT. II. ~~ww~~ cordis diastolem efficit. Quo facto cor per arterias sanguinem exonerat, qui motus dicitur systole.

1.

Nutritio:

Ut autem quid illud sit in aere, quod motu suo sanguinem in venis movere possit, concipiamus, considerare oportet an in omni aere æque vivatur. Constat autem contrarium. Aer, si æther merus esset, homogeneous esset; et proinde in omni aere æque viveretur; imo non omnino viveretur, cum merus aer ita movere sanguinem, ut nascatur inde cordis systole et diastole, non possit. Præterea cognitum experientia est, aere pauco, sed in vesicam vi intruso et parce hausto, durari posse in fundo maris sex horis continuis; quod fieri impossibile esset, si aer ille intrusus merus esset. Nam aer semel haustus et efflatus, quantumvis refrigeratus, iterum receptus vitæ inutilis est. Sunt ergo in aere corpuscula aliqua præ exiguitate invisibilia, quæ motum hunc sanguinis in venis, quo cor movetur, efficiunt motu suo naturali. Nimirum, ut in mari sal, ita est in aere sali aliquid homologum, ceu nitrum, quod per respirationem in sanguinem receptum illum agitat fermentatque, venas et cor distendit, et per cordis systolem, mediantibus arteriis, in habitum corporis humani distribuitur. Motus autem, quem corpuscula talia habere debent, alius esse non potest quam is quem (cap. XXI. sect. *De Corpore*) *motum simplicem* appellavimus, et fermentationis omnis causam esse demonstravimus. Neque cuiquam mirum hoc videri debet, cum sanguinis et cordis motum sisti, morbosque et mortem ex haustu aeris insalubris, id est ex quibusdam corpusculis vitæ rationibus contrariis in aere existentibus sæpissime sequi videamus, et contra, ex aliis vitam et sanitatem conservari. Sicut enim

non ab aere puro sive æthere, sed ex corpusculis in ipso fluitantibus motumque habentibus vitali motui sanguinis contrarium nascuntur morbi epidemici, ita ex corpusculis terreis motu præditis naturæ nostræ congruo vita et motus sanguinis debitus continuatur.

SECT. II.

1.

3. Mortis autem, id est cessationis sanguinis, præter vim externam variæ sunt causæ. Ut primo, vasorum in quibus circumfertur sanguis obstructions. Nam fieri potest per contumaciam musculorum ut via sanguinis obstruatur. Contumacia autem musculorum tunc fit, quando humor aliquis viscosus vel mucosus in ipsis musculis congelatur; unde fit ut sanguis arterialis per arterias capillares non modo difficulter transeat, sed etiam non sine difficultate recipiatur in capillares venas. Unde febres, et ni vis motus cordis vincat, mors. Secundo, si materia purulenta aliqua in ipsis venis sanguini immista fluitet, idem erit in sanguine per arterias in musculos extrudendo cordis labor, id est, febris, et succumbente corde mors, vincente, ulcera in carne, nimirum a materia purulenta per musculos extrusa. Hujusmodi autem materia in venis nascitur exulceratis; quod fieri potest ab iis corpusculis quæ hauriuntur per respirationem et intransia in sanguinem vasa corrodunt, vel ipsum sanguinem coagulant, ut in morbis pestilentibus. Fieri etiam potest a corpusculis quæ in cibo vel potu recipiuntur; quæ, cum chylo intransia in venas, ipsas exulcerant. Idem etiam fieri potest a morsu serpentum et canum rabidorum, unde vulnerata aliqua vena, vel utcunque veneno in sanguinem misso, fit exulceratio in venis sanguinem venenatum recipientibus. Denique, undecunque

Dissolutione:

SECT. II. 1. ad venarum interna pateat aditus, inde incipere potest vasorum exulceratio, ut in lue venerea, initio facto a meatu urinario, prorepat venenum per ureteres, renes, venas emulgentes et cavam secundo sanguine ad cor, et inde per arterias in corporis habitum. Eodem modo fiunt morbi et mortes propter obstructionem materiæ quæ defertur per nervos. Cumque aliæ multæ sint mortis et morborum viæ, omnium tamen unum est opus, ut sanguinem sistant, vel intercipient, vel exhauriant, vel aliquo modo impediunt; de quibus fusius dicere professio est medicorum.

Generazione.

4. Quod ad generationem hominis attinet, eodem fere modo procedit quo generatio plantarum. Materia plantarum est ipsa terra, quam calore evocata format motus seminis specificus in plantam proprii generis. Similiter in generatione hominis, materia foetus est sanguis maternus, quem utriusque parentis humor prolificus movet formatque in speciem humanam. Nimirum, reciprocante serra amoris fit fermentatio, et inde vasorum distentio, et humoris prolifici eruptio et in sulcos soli muliebris intrusio, ubi sanguinem paulatim descendentem motu suo specifico format in hominem.

. Possem hæc minutius explicare, nisi instituissem non tam corporis quam animæ facultates investigare. Itaque ad sensus procedo: satis habens si hujusmodi res attigero tantum, plenius autem tractandas aliis reliquero; qui, si machinas omnes tum generationis tum nutritionis satis perspexerint, nec tamen eas a mente aliqua conditas ordinatasque ad sua quasque officia viderint, ipsi profecto sine mente esse censendi sunt.

CAPUT II.

DE LINEA VISUALI, ET PERCEPTIONE MOTUS.

1. Introductio.—2. Linea visualis quænam sit, et quæ inde consequuntur oculis vulgaribus.—3. Visio ab exiguitate objecti confusa.—4. Visionis confusio a vitio oculorum.—5. Quomodo in visione objecta longiora videntur quam sunt.—6. Quomodo in visione videantur moveri quæ non moventur, propter motum videntis.—7. Quomodo in visione moveri videntur quæ non moventur, propter agitationem partium cerebri, nervi optici, et retinæ.

VISIO *distincta et figurata* est, quando lumen, vel color figuram habet, cujus partes ab objecti partibus efficiuntur, et iisdem ordinatim singulæ singulis respondent.

SECT. II.

2.

Introductio

Lumen autem et color ita figuratus *imago* dicitur. Natura autem insitum est omni animali, ut primo intuitu imaginem illam ipsam rem visam esse putent, vel saltem aliquod corpus quod ipsam rem simili situ partium exacte referat. Imo homines, si valde paucos, qui judicia sensuum ratione correxerunt, excipias, imaginem illam putant esse objectum ipsum, nec sine disciplina in animum inducere possunt solem et astra majora esse aut remotiora quam videntur.

Quare autem objectum modo majus, modo minus, modo propius, modo longinquius, modo una, modo alia figura apparet, quanquam multi demonstrare conati sunt, a nemine tamen, quod scio, demonstratum est. Quod tamen minime miror, quia lumen et colorem non objectorum accidentia, sed phantasmata nostra esse, ne suspicari quidem cuiquam contigit. Itaque, cum de loco imaginis nihil hac-

SECT. II. 2. www.libtool.com.cn **tenus ea rationum firmitate scriptum sit, quam exigunt illi qui veras rerum causas scire cupiunt; videamus an ex iis, quæ superius dicta sunt, harum quoque rerum rationes accurate supputari possint.**

Linea visualis
quemam sit, et
quæ inde con-
sequuntur ocu-
lis vulgaribus.

2. Unumquodque punctum visum in ea linea recta apparet, cujus unum punctum centrum est *retinæ*, alterum in superficie ejus, illud nempe punctum in quod irradiatio a puncto viso derivatur. Vocabitur autem linea illa recta *linea visualis*, et, si quidem illa sit ad superficiem oculi perpendicularis, *axis opticus*.

Sit oculus (in fig. 1) A B C D, pupilla G, humor crystallinus H H, processus ciliares A C; radius autem a puncto viso F incidat in oculum ad B perpendiculariter; transibit ergo (per *De Corpore* cap. xxiv. art. 2) per centrum oculi ad retinam in D, irrefractus; eritque axis opticus F D, et perpendicularis ad retinam in D. Itaque fiet resistentia, id est, restitutio in retina perpendiculariter; apparebitque punctum F alicubi in D F, id est, alicubi in recta cujus unum punctum est centrum retinæ, alterum est in ipsa retina eo loco ubi incidit in illam linea radians ab objecto F.

Rursus, sit punctum visum I, cujus radiatio incidat in oculum ad K oblique; itaque refringetur versus perpendiculararem per K L ad superficiem humoris crystallini in L; inde rursus refringetur versus perpendiculum per L M ad superficiem humoris crystallini alteram in M. Postremo, refringetur per M N a perpendiculari ad superficiem retinæ in N. Ducatur jam per E centrum retinæ recta N E. Punctum visum I apparebit alicubi in N E producta. Nam ostensum est (per cap. xxii. art. 6, *De Corpore*) resistentiam, utcunque incidat

vis agentis, semper tamen fieri ad perpendicularum resistenti. Itaque videbitur I in recta NE, cujus unum punctum E est centrum retinæ, alterum N est punctum in retina ad quod derivatur irradiatio. Quare sive actio objecti visi fiat perpendiculariter, sive oblique, erit linea visualis ea recta cujus unum punctum est centrum retinæ, alterum est punctum in ipsa retina irradiatum. Quod erat demonstrandum.

Corollarium. Manifestum hinc est lineas visuales se mutuo secare omnes in centro retinæ.

His cognitis rationem reddemus phænomenon sive experimentorum, quæ plerique observarunt et quilibet observare potest, duorum. Quorum unum est, quando aliquis objectum intuetur ambobus oculis, altero naturaliter se habente, altero ita distorto ut axis opticus non incidat in objectum, apparebit objectum in duobus locis: alterum est, si quis objectum aliquod ambobus oculis attente intueatur, aliud objectum quodlibet sive propius sive remotius (modo videatur) duobus locis apparebit.

Quod ad phænomenon prius attinet, sit alterius oculi (in fig. 2) centrum retinæ A, alterius B. In axe autem optico AC unius, sit punctum visum C. Itaque oculo, cujus retinæ centrum est A, apparebit punctum C in axe DAC: appareat ergo in C. Radius autem a puncto C incidat in alterum oculum oblique in puncto H, ita ut per refractiones debitas perveniat ad retinam in puncto I. Videbitur igitur ab oculo, cujus centrum retinæ est B, alicubi in recta IB producta, id est, in via distortioni oculi contraria. Nam sine distortionem, axis oculi, cujus centrum retinæ est B, collocaretur et obverteret sese naturaliter ad objectum visum C, et

SECT. II.

2.

Linea visualis quænam sit, et quæ inde consequuntur oculis vulgaribus.

SECT. II.

2.

Linea visualis
quoniam sit, et
quæ inde con-
sequuntur ocu-
lis vulgaribus.

transiret per H; ubi nunc detruditur e situ suo naturali in punctum E. Videtur itaque punctum C in duobus locis, etc. Quod erat probandum.

Quod attinet ad secundum phaenomenon, sint duo oculi (in fig. 3) quorum retinarum centra sint A et B, axes optici D A C, E B C, ambo tendentes ad punctum C: sitque aliud objectum F remotius quam C. Dico F appariturum esse in duobus locis. Nam radius veniens ab F, cum non sit axis opticus, cadet in oculum oblique; itaque refringetur, et incidet in retinam ex altera parte axis. Incidat ergo, exempli gratia, in altero quidem oculo ad punctum H, in altero vero ad punctum K. Ductis igitur et productis H A et K B, apparebit punctum F in rectis H I et K G, nec tamen in earum concursu, sed citra concursum; propterea quod videtur objectum C in eadem fere distantia per radium CE vel CD, in qua videtur per radium G K vel I H. Videtur ergo F in duobus locis. Rursus, si sumatur objectum oculo propinquius ut punctum L, radii, qui inde ad retinam derivantur, incident in eam ex altera parte axis, puta in M et N. Ductis ergo M A, N B, et productis, puta in O et P, videtur punctum L in duobus locis O et P. Nec refert utrum F, C, L sint in eadem recta an non, modo unum tantum eorum sit in axe optico. Neque etiam refert an punctum C sit objectum aliquod visibile an non, modo axis opticus uterque ad ipsum tendat; quamquam sine aliquo objecto visibili axes opticos ad punctum datum dirigente, difficilius aliquanto sit quam ut, sine consuetudine torquendi oculos ad libitum, fieri possit.

Coroll. I. Ex hoc intelligi potest, quod ei, qui objectum aliquod valde parvum attente intuetur,

cætera omnia vicina confuse apparent, confusioneque illam ex eo oriri, quod vicina illa, cum non sint visa per axem opticam, dupla appareant.

SECT. II.

2.

Coroll. II. Ex eodem sequitur, objectum nullum immoto oculo videri posse nisi confuse; nam immoto oculo immotus manet axis opticus, in quo solo fit visio distincta, sed puncti tantum unius. Unde fit ut distincta visio fieri nulla possit, nisi oculo partes objecti singulas atque ordinatim legente; etsi motus ille in oculo ita in parvis objectis exiguus sit, ut non percipiatur. Hinc est quod qui versum aliquem, etsi brevem unoque intuitu comprehensibilem, legere cupiunt, necesse habent ad consequentiam literarum oculi axem perpetuo convertere.

3. Magnitudines autem valde exiguæ, vel, si Visio ab
exiguitate
objecti confusa. maximæ, valde remotæ, semper videntur confuse; idque propter amplitudinem pupillæ, quæ quantum opus est contrahi non potest.

Sit enim (in fig. 4) objectum A quasi punctum, axis opticus AB; videbitur igitur punctum A in axe BA. Rursus, sit radius AC incidens in oculum oblique ad C, et propagatus per refractionem ad retinam in D. Ducta igitur per centrum E recta DF, videbitur punctum A in recta EF. Itaque videbitur in pluribus locis simul, id quod est confuse. Accidit autem admitti radium AC, propterea quod pupilla C non potest ita contrahi ut radios obliquos excludat omnes.

Coroll. I. Hinc est quod partes objecti minimæ distingui inter se non possint, ne quidem ab oculo optime constituto, eoque utcunque vitris adjuto; nam dividi objectum potest in partes semper minores, vitrorum autem virtus augeri in infinitum non potest.

SECT. II.

2.

Visionis confusio
a vitio oculorum.

Coroll. II. Doctrinæ huic consequens quoque est hoc, lineas subtiles superficierumque terminos confuse apparere. Item pulverem, ex minutis pulvisculis compositum diversorum colorum, unius tantum coloris ex illis compositi apparere.

4. Manente pupilla et humore cristallino iisdem et in eadem distantia a fundo oculi B, si retina sit figuræ quidem sphaericæ, sed sphaeræ minoris, qualis est M B I, confusio erit in omni puncto objecti adhuc major. Nam centrum retinæ propius erit ad fundum B, puta in H; ducta ergo D G per H, videbitur objectum A in H G longius ab axe. Idem accidet si A C secaret axem priusquam veniret ad retinam; sed tunc appareret A ex altera parte axis.

Rursus, manente figura retinæ, si refractio major vel minor esset, sive id contingat a majore vel minore humorum contumacia, sive ex majore vel minore humoris cristallini gibbositate, vel si distantia major esset vel minor humoris cristallini a retina, major erit semper confusio. Nam quanto refractio major est, tanto citius radius obliquus A C axem secat, id est angulum cum axe majorem efficit. Itaque linea visualis per centrum ducta majorem quoque angulum efficiet cum eodem axe. Itaque demum longius ab axe videbitur punctum A. Et quanto minor est refractio, tanto punctum D longius recedit a puncto B, et sic quoque angulus cum axe in centro major fit; apparebitque A remotius ab axe, sed ex altera parte ejus. Similiter, quo remotior a retina est humor cristallinus, eo longius a puncto B, ex parte ejus alterutra, incidit in retinam radius A C, et fit angulus cum axe utrobivis major.

Coroll. I. Senectus igitur, sive contrahit ariditate

sua retinam, ut in M B I, sive processus ciliares K L, quo fiet ut planior utrinque sit humor crystallinus, sive tenuiores faciat humores, sive pupillam faciat apertiolem, necesse est ut visionem reddat confusiolem; idque per superfluas visuales ex ea parte axis in qua sunt radii ipsi quibus visuales illæ respondent. Densitas autem humorum præternaturalis, distantia crystallini a retina major justo, et gibbositas crystallini nimia, visionem efficiunt confusam per superfluas visuales ex parte axis contraria. Quibus autem vitium hoc contingit, appellantur Græcis *μύωπες*, Latine *lusciosi*.

SECT. II.

2

Coroll. II. Confusioni huic, sive senum sive lusciosorum, remedium afferunt vitra diverse formata, ut suo loco infra ostendetur; et sine vitris lamina foramine parvo pertusa, vel tubulus exiguus oculo applicatus, quo radii obliqui, causæ hujus confusionis, ab utraque parte axis optici abscindantur. Quod remedium utrique vitio, tam senum quam lusciosorum, videtur esse unicum.

Quoniam lusciosorum defectum senectus non minuit, non videtur causa ejus consistere in humorum densitate, sed potius in figura crystallini quæ illis nimis gibbosa est, vel in distantia nimia crystallini a retina, aliis quidem ex hac, aliis ex illa causa.

Coroll. III. Manifestum ex ante dictis est, quare ignis scintillulæ et stellæ fixæ quasi comatæ sive crinitæ apparent. Nam illæ propter exiguitatem, hæ propter ingentem distantiam, emittunt radios in oculum sub angulo insensibili; ideoque tanquam totidem puncta apparent undique multiplicata.

Constituta linea visuali, et quæ inde oriuntur phænomenis, dicemus jam de perceptione motus. Sciendum igitur est, quod moto ante oculum ob-

De perceptione
motus.

SECT. II. 2. jecto, et linea, in qua movetur quodlibet ejus punctum, axem opticum secante, visio nulla fieri potest nisi oculus continuo ea celeritate convertatur, ut motum objecti consequatur; ita ut axis opticus in ipsum incidat hæreatque. Cujus rei causa ex eo manifesta est quod supra docuimus, nempe extra axem opticum omnem visionem esse confusam et debilem, tum propter actionis obliquitatem, tum maxime propter intentionem animi quæ axem opticum semper comitatur. Itaque ad perfectam rerum motarum visionem, oportet semper converti oculum, aliquando etiam, si objecta prope sint et mota velociter, totum caput. Sed ad objecta valde remota, etsi velocissime mota, consequenda exiguus oculi motus sufficit; propterea quod rerum ab oculo longe distantium motus, magno spatio transmissio, exiguum tamen in oculo faciunt angulum.

Sciendum præterea est, quod cum omnis visio, (ut supra docuimus cap. *De Corpore* xxv.) sit motus, qui, quantuluscunque ille sit, tolli in instante non possit, imaginem quæ nata est ex visione non statim perire, sed ad aliquod tempus durare eadem claritate qua initio fuit, etsi illud tempus breviusculum sit.

Quomodo in
visione objecta
longiora videntur
quam sunt.

5. Ex his jam reddi ratio potest quare minutissima objecta, mota vehementer, longiora apparent multo quam sunt; id quod contingere videmus in scintillulis foco emicantibus, quæ videntur oculis, non ut puncta quædam, sicut sunt, sed longæ lineæ ignitæ. Idem accidit in veloci cujuscunque lucidi vel bene illuminati objecti circumrotatione, cum loco puncti videmus circuli circumferentiam. Nam si imago, concepta ex puncto viso in initio motus, perduret donec plenus motu ejus perficiatur cir-

culus, videbitur objectum esse circulus; si donec dimidius fiat circulus, videbitur circuli semicircumferentia: idem accidet in objectis motis secundum lineam rectam. Propterea quod durante imagine facta ab initio motus, accedentibusque imaginibus factis in cæteris omnibus viæ, per quam movetur, partibus, necesse est, si sint illæ imagines omnes ejusdem rei, ut objectum appareat in omnibus viæ partibus, atque ita ex atomo objecta fit apparens linea.

SECT. II.

2.

Quomodo in
visione objecta
longiora viden-
tur quam sunt.

Coroll. I. Hinc quoque tolli admiratio illa potest, unde fiat ut corpora inflammata tantum flammæ cum tam exiguo ipsorum corporum detrimento ex se emittant. Est enim flamma nihil aliud quam minutissimorum corpusculorum multitudo, quæ et propter exilitatem (secundum ea quæ docuimus capite præsentate, articuli quarti corollario tertio) latiora, et propter motus velocitatem, ut jam diximus, longiora videntur quam revera sunt.

Coroll. II. Item illos, qui putant in accensione pulveris pyrii ipsas pulveris particulas singulas per rarefactionem majorem quam ante locum occupare (id quod imaginari nemo potest, cum idem numero corpus eandem semper habeat magnitudinem), ad tam absurdam sententiam non necessario adigi; cum pulvis accensus globum expellat, non quia pulvis locum quærit ampliorem, sed per particularum exeuntium velocitatem.

Sentitur motus tum solum cum sentimus converti oculum sive axem opticum: cui propositioni consentanea sunt experimenta quæ sequuntur.

Primum, quod motus solis vel lunæ, maxime vero stellarum fixarum, quanquam velocissimus, oculis tamen percipi non potest; propterea quod a dis-

SECT. II. **tantia tanta conversio oculi insensibilis sufficit ad motum eorum assequendum, quorum radii e locis inter se valde dissitis minimum tamen in centro retinæ efficiunt angulum.**

2.

Secundum, quod si oculus et objectum communem motum habeant, motus objecti non sentietur; nam quando hoc fit, oculus ipse non convertitur, sed fertur in linea quæ lineæ motus objecti est parallela, ideoque radii ab objecto venientes angulum in centro retinæ efficiunt nullum.

Quomodo in visione videantur moveri quæ non moventur, propter motum videntis.

6. Tertium, quod si oculus feratur; objectum autem consistat, ut accidit iis qui in mari littus præternavigant, utrum ipsi an objectum moveatur, non videndo sed ratiocinando intelligunt. Similiter accidit a littore vel ad littus navigantibus. Ob eandem rationem, utrum terra an astra moveantur motu sive annuo sive diurno, non sensu sed ratione investigandum est. Utrumvis enim statuatur, eadem eveniunt oculis omnia.

Quartum, si motus objecti ex pluribus motibus sit compositus, quorum unus vel plures oculo sint cum illo communes, illi motus soli, qui communes non sunt, sensu percipientur; reliqui non percipientur. Ut qui simul navigant, alter alterius incessum videt, sed alter alterius progressum, quem habet a motu navis, non videt. Non enim opus habent ut oculos convertant ad motum illum assequendum, quem ex motu navis communi assequuntur.

Quomodo in visione moveri videntur quæ non moventur, propter agitationem partium cerebri, nervi optici, et retinæ.

7. Accidit quoque non raro ut objectum stans moveri tamen videatur, etiam stante eo qui spectat, propter motum cerebri vel nervi optici accidentarium. Cognitum enim est experientia, homines, a navigatione et jactatione fluctuum insolita in loco

stabili quiescentes, videre omnia objecta visibilia eodem modo mota, quo ipsi fluctibus moti fuerant. Idem accidit iis quorum cerebra nimis vini vaporibus sunt agitata.

Quod attinet ad eos, qui jactati fuerunt fluctibus marinis, ratio ejus rei difficilis non est. Nam a mari jactatis caput jactatur unaque cerebrum, et, quæ pars ejus est, nervus opticus, quæque nervi optici substantia est continuata, tota retina; quæ in iis, qui expositi e nave sunt, non statim requiescunt. Ubicunque igitur radius ab objecto incidit in retinam, resistentia ab ea fit, sed mota ad motum fluctuum; quare imago objecti, cujus naturam in ea resistentia consistere supra docuimus, mota erit eodem motu. In iis autem, qui vino madidi sunt, causa hujusmodi motus in eo consistere videtur, quod vapores, qui a stomacho nimio vino calescente ascendunt in cerebrum, ipsum agitant. Agitato autem cerebro, necesse est ut agitetur nervus opticus ipsaque retina; unde necesse est moveri quoque, quantum ad apparentiam, ipsum objectum. Ita nulla hic difficultas remanet, nisi quis dubitet an a nimio vino in stomachum recepto motus in cerebro oriri possit; quod quidem videtur factu facillimum.

Contingit quoque iis, qui curru vecti objecta a latere currus posita, sive montes sive arbores aliasve res longiuscule remotas, spectant, ita ut easdem res longo tempore ante oculos habeant, simulatque currus sistatur, ut videantur tamen objecta ea perseverare in eodem motu quo prius. Causa ejus rei est, quod, moto curru, simul movebatur spectantis cerebrum et nervus opticus; consistente autem curru, cerebrum et nervus opticus motum non tam

SECT. II.

2

Quomodo in
visione moveri
videntur, etc.

SECT. II.

2.

Quomodo in
visione moveri
videntur, etc.

subito amittit. Moto itaque per aliquod tempus cerebro, nervo optico et retina, necesse est etiam per aliquod tempus moveri imaginem, id est, objecta ipsa mota videri; idque eodem modo quo moveri videbantur, dum moveretur currus.

Propter eandem rationem iis, qui celeriter et satis longo tempore in gyrum se converterunt, videntur omnia circum circa objecta converti sive in gyrum moveri motu contrario, paulatim scilicet restituentibus sese in loca propria partibus cerebri, nervi optici et retinæ, quæ a conversione in partes agebantur contrarias.

Hactenus de linea visuali, phænomenisque inde accidentibus. Dicemus proximo loco de magnitudine, distantia et figura in visione directâ, apparentibus.

CAPUT III.

DE OBJECTI LOCO APPARENTE, SIVE, UT LOQUUNTUR
PLERIQUE, DE LOCO IMAGINIS PER VISIONEM
DIRECTAM, ID EST, UBI NULLA EST
REFLEXIO NEQUE REFRACTIO.

1. Locus imaginis quibus rebus determinatur; cognitio loci objecti linearis sufficit ad cognitionem loci simpliciter.
2. Linea potest esse tam parva, et objectum irradiari sub tam exiguo angulo, ut nulla ejus fiat sensio.
3. Locus objecti apparens semper oculo propinquior est in visione directâ, quam locus verus.
4. Data magnitudine objecti apparente in una distantia, datur locus ejus apparens in distantia qualibet.
5. Si objectum duobus oculis spectetur, majus apparebit quam si uno tantum; et quæ inde consequuntur.
6. Objectum quo debilius agit, eo videtur obscurius; et quæ inde consequuntur.
7. Luna quare interdiu dilutior minorque apparet quam noctu.
8. Quare stellæ fixæ, cum sint pœne innumerabiles, terras minus illustant simul omnes, quam luna.

1. QUÆ locum determinant objecti cujuscunque tria

sunt, distantia sumpta in recta positione data, magnitudo, et figura; quibus datis, datur objecti locus verus. Itaque, si detur objecti in recta positione data distantia apparens, magnitudo apparens, et figura apparens, datur quoque locus ejus apparens.

SECT. II.

3.

Locus imaginis quibus rebus de terminatur; cognitio loci objecti linearis sufficit ad cognitionem loci simpliciter.

Ad magnitudinis apparentis cognitionem, opus non est hoc loco dimensionem considerare aliam præter longitudinem, sive lineam ductam ab uno superficiei termino ad alterum. Nam ex quantitate plurium linearum cognoscitur quantitas ipsius superficiei quæ oculis obvertitur. Longitudo autem lineæ visibilis apparens est ea, quæ sequentibus lineæ ductum apparet inter terminos ejus distantia.

2. In qualibet linea sumi potest pars aliqua adeo exigua, ut per se nullam omnino faciat sui visionem. Est enim ad sensionem faciendam in omni objecti ab oculo remotione certa quædam et finita vis necessario requisita, ita ut minor ea, etsi moveat organa visionis, non tamen sensibiliter id faciat. Nam objectum quodlibet, lucidum vel illuminatum, utcunque motum, id est, actionem suam in oculum ad quantamlibet distantiam propaget, non tamen ad omnem distantiam videri potest. Et quanto majora sunt objecta pari vi luminis prædita, quoad intensionem, tanto videri potest a loco remotiore. Sed quodlibet objectum divisibile est in partes perpetuo divisibiles. Quare, infinities repetita divisione, pervenitur tandem ad partem tam exiguam ut vis ejus sentiri non possit.

Linea potest esse tam parva, et objectum irradiari sub tam exiguo angulo, ut nulla ejus fiat sensio.

Manifestum etiam est, objecti partes, quæ singulæ organa quidem movent sed visionem sui non faciunt, confertas tamen et conjunctis viribus visionem facere, non ipsarum quidem partium, sed totius quod ex illis fit aggregati.

SECT. II.

3.

Præterea angulus visorius, sub quo objectum aliquod videtur, adeo parvus esse potest, ut actio ejus imprimatur in retinam, in puncto, physico quidem, sed omni tamen puncto physico dato minore, ita ut quantacunque sit vis actionis objecti, nihil tamen videatur præter punctum physicum, etsi illud punctum clarius sit in actione forti quam in debili.

Locus objecti
apparens semper
oculo propinquior
est in visione directa,
quam locus verus

3. In omni visione directa, locus objecti apparens sive locus imaginis est citra locum ejus verum, et minor ipso.

Sit objectum (in fig. 1) *AB* linea recta, retinæ arcus *CD*, centrum ejus *E*. Dico *AB* apparituram esse citra *AB*, puta in *FG*, et esse *FG* minorem ipsa *AB*.

Intelligatur *A* pars objecti adeo exigua, ut a distantia *AE*, sola existens, non possit videri; similiter sumatur alia pars *H*, quæ sit ipsi *A* æqualis, itaque nec ea, si sola esset, videretur; movet tamen oculum utraque, etiam sola, nempe pars *A* per rectam *AE*, et pars *H* per rectam *HE*, quæ rectæ convergunt usque ad occursum in centro *E*. Quoniam autem conjunctis ipsarum partiumque intermediarum viribus fit visio totius *AH*, id est, imago ejus aliqua, imago illa apparebit ex ea parte ubi vires conjunguntur, id est, ex ea parte ubi *AE*, *HE* convergunt, id quod est citra objectum verum *AB* alicubi, puta in *FI*; videbitur ergo *A* cum partibus sibi proximis in recta *AE* ad partem *F*, et pars *H* cum suis vicinis ad partem *I*, totumque *AH* apparebit in *FI*, quæ est ipsa *AH* minor. Ob eandem rationem videbitur *BK* in *GL*, et totum objectum *AB* in *FG*. Itaque in omni visione recta locus imaginis est citra objectum verum, etc. Quod erat probandum.

Coroll. x. ~~Locus objecti~~ Locus objecti verus et apparens eundem subtendit angulum; nam idem est angulus AEB et FEG.

SECT. II.
3.

Coroll. II. Idem objectum si sit remotius, imago ejus videbitur magis citra objectum, quia in majore distantia agit debilius, et propterea partes ejus nisi longiore progressu ad faciendam sensationem non sufficiunt. Et proinde etiam distantia inter objectum quantumvis magnum et oculum tanta dari potest, ut nulla ejus omnino fiat sensio. Objectum idem quo magis ab oculo distat, eo sub minore videtur angulo visorio. Hoc autem manifestius est quam ut egeat demonstratione. Ex quo intelligi etiam hoc potest, quod in remotione objecti ab oculo perpetua pervenietur tandem ad locum, unde lineæ rectæ ab objecti extremis terminis ad centrum retinæ ductæ angulum faciunt insensibilem, et proinde objectum appareret, coeuntibus terminis imaginis, tanquam punctum.

4. Quod si daretur distantia objecti vera, una cum distantia illa in qua imago ejus evanescit in punctum vel in magnitudinem datam, daretur quoque locus apparens ejusdem objecti in omni alia distantia ab oculo, non majore quam illa in qua ut punctum videretur.

Data magnitudine objecti apparente in una distantia, datur locus ejus apparens in distantia qualibet.

Sit (in fig. 2) oculus in A. Objectum sive verus ejus locus BC, cui per centrum retinæ A ducatur æqualis et parallela DE. Locus autem objecti apparens sit FG. Ductis autem lineis visualibus AB, AC, subtendit FG angulum visualem BAC. Supponamus jam objectum BC admoveri ad oculum et collocari in HI, oporteatque determinare locum ejus apparentem. A punctis D et E ducantur DF, EG rectæ, quæ, quia FG minor est quam

SECT. II. 3. CB, id est quam DE, concurrent alicubi; concurrant ergo in K. Ducantur autem AH, AI secantes DK et EK in punctis L et M. Dico HI appariturum esse in LM. Apparebunt enim puncta H et I in visualibus lineis AH et AI. Et quoniam objectum prout removetur longius a DE, ita apparet minus, donec remotum usque ad BC apparet in FG, et tandem ulterius remotum apparet ut punctum in K (quod punctum vocabimus *punctum evanescentiæ*, respondens puncto quod in pictura perspectiva vocatur punctum *horizontale* et *principale*) apparebunt termini objecti, utcunque ab oculo distantis, in rectis DK et EK. Itaque punctum H videbitur in DK, et punctum I in EK. Sed eadem puncta apparent in rectis visualibus AH, AI. Apparebunt igitur in intersectionibus ad L et M; est ergo LM locus objecti HI. Data ergo distantia, &c. locum objecti apparentem invenimus. Quod erat faciendum.

Coroll. Patet ex constructione, objectum idem et minus et ab oculo remotius videri, prout ipsum revera remotius est.

Notandum autem est, quod etsi distantia objecti ab oculo vera mensuris determinari potest, locus tamen apparens, id est, distantia imaginis ejus in visione directa mensurari non potest; quoniam imago res est mere phantastica.

Si objectum duobus oculis spectetur, majus apparebit quam si uno tantum; et que inde consequuntur.

5. Si objectum duobus oculis spectetur, sitque distantia centrorum retinarum æqualis longitudini ipsius objecti veri et ipsi parallela, imago ejus ex tali visione conflata longitudini ipsius objecti veræ æqualis erit.

Sit (in figura tertia) objectum AB, quod visum sit a duobus oculis existentibus in C et D, ita ut

CD sit æqualis ipsi AB ; longitudo ejusdem apparens erit etiam eidem AB æqualis. Ducantur enim CA, CB, DA, DB lineæ visuales; apparebit ergo AB oculo in C terminata in rectis CA, CB , citra ipsam AB . Appareat ergo utcunque in EF . Itaque propter eandem causam eadem AB oculo existenti in D apparebit in GH . Totum ergo objectum apparebit in recta EH , quæ propter parallelas AB, CD utrisque earum est æqualis. Si igitur objectum, &c. Quod erat probandum.

SECT. II.



Si objectum duobus oculis spectetur, majus apparebit quam si uno tantum; et que inde consequuntur.

Quod si distantia centrorum retinarum minor sit quam objecti vera longitudo, etiam longitudo apparens minor erit vera.

In figura quarta, sit longitudo objecti vera AB , major quam DC , et ab oculo in C ducantur visuales CA, CB ; longitudo apparens oculo in C sit EF ; itaque longitudo apparens oculo in D erit GH ; totumque objectum videbitur in EH , quæ propter rectarum CA, DB divergentiam minor est quam AB . Quod erat probandum.

Contra, si distantia oculorum major sit quam objecti vera longitudo, etiam longitudo apparens eadem major erit. Sit enim (in eadem figura quarta) objectum CD ; oculus autem alter in A , alter in B . Ductis visualibus AC, AD , videbitur in ipsis terminata longitudo apparens propior oculo. Appareat ergo in IK . Apparebit ergo idem objectum oculo altero in LM , et totum CD in IM , quæ major est quam CD propter rectarum AC, BD convergentiam; id quod erat ostendendum.

Porro, si objectum idem spectatur duobus oculis valde inter se distantibus, ut sunt duo oculi duorum hominum in dissitis terræ regionibus, locus imaginis non erit utrisque idem.

SECT. II.

3

Sit enim (in figura quinta) alterius observatoris oculus A, alterius B, objectum autem CD, in tanta ab utroque distantia, ut appareat alteri oculo in EF, alteri in GH, id est, non modo citra CD, sed etiam citra punctum I, in quo visuales AD, BC se mutuo intersecant, id quod accidet si recta CD satis parva sit vel satis remota. Sed EF, GH sunt diversæ imagines nihil omnino habentes commune. Itaque duobus observatoribus valde dissitis, objectum apparet in locis diversis; id quod contingit etiam uni et eidem observatori, qui objectum intuetur a diversis stationibus. Notandum autem est, nihil hinc accidere incommodi agrimensoribus, qui longitudes duabus stationibus captare solent. Nam cognoscunt distantiam stationum per mensuram; cognoscunt etiam angulos omnes triangulorum ABC et ABD; ideoque et latera AC, BC, AD, BD, angulosque CAD, CBD; itaque longitudo vera objecti CD latere non potest.

Ex eo autem quod ostensum est, objectum ideo apparere propius oculo quam revera est, quia partes ejus adeo parvæ esse possint, ut per se ipsas sensionem efficere non possint, manifesta redditur causa quare e longinquo turres et alia corpora, non rotunda, rotunda tamen apparent. Nam ut anguli et cuspides objectorum videantur, necesse est ut per se satis virium habeant ad sensionem faciendam, id quod res tam exiles in distantia satis remota non habent.

Objectum quo debilius agit, eo videtur obscurius; et quæ inde consequuntur.

6. In visione directa objectum quo debilius agit, eo semper quidem obscurius, quandoque autem remotius, quandoque propius videtur, prout diversæ res sint quæ actionem ejus debilitant. Quod semper apparet obscurius manifestum ex eo est, quod

claritas sive lucis splendor effectus sit actionis vehementis. Nam cum illuminatio et visio sint motus, erit major illuminatio et major splendor motus major, id est, si agatur in idem numero patiens, actio fortior. Itaque, si medium inter objectum et oculum sit pulvisculis opacis interspersum, quibus radii aliqui ab objecto in oculum tendentes interceptiuntur, apparebit objectum neque remotius neque propius oculo quam in medio puro, sed tamen minus splendidum, propter vim actionis impeditam.

Quod si debilitas actionis proveniat ab eo, quod animus videntis ad aliud objectum attentus sit, siquidem inter objectum illud et oculum aliud interponatur objectum minus, videbitur id quod est interpositum etiam remotius et majus.

Sit enim (in fig. 6) objectum BC visum sub angulo visorio BAC, idque cum attentione animi, hoc est, cum motu organorum circa cor vehemente; sitque interpositum inter BC et oculum aliud objectum, DE, minus quam BC, visum sub angulo visorio DAE; sintque AD, AE productæ ad BC in F et G. Dico DE appariturum in FG. Dum enim oculus percurrit objectum BC, cui intentus est animus, pars FG apparebit non sua actione, quæ ab interposito DE sublata est, sed virtute actionis DE; apparebit ergo DE ut macula aliqua vel tenebræ in FG, vel si fortiuscule agat, sui quoque imaginem faciet, sed obscuriorem et apparentem in FG, id est, majorem quam DE. Similiter si animus videntis attentus sit in objectum DE, visio partis FG tolletur, videbunturque BF, GC in HD, et EI; sunt autem DH, EI minores quam BF, CG.

7. Videtur autem luna interdiu et minor et di-

SECT. II.

3.

Objectum quo debilius agit, eo videtur obscurius; et quo inde consequuntur.

SECT. II. ~~lunior quam noctu~~ videretur, etiam in eadem cœli parte. Mota enim jam ante a splendore diurno

3.
Luna quare
interdiu dilu-
tior minorque appa-
ret quam noctu.

visionis organa ad motum recipiendum a radiis lunari-
naribus supervenientem magis contumaciter se
habent. Itaque dum luna debilius agit, extremæ
ejus partes sensionem minus efficiunt interdiu quam
noctu ; et propterea sicut turres quadratæ detritis
angulis apparent e longinquo rotundæ, ita luna
licet rotunda, detritis extremitatibus apparet minor.
Eadem autem tota dilu-
tior apparet propter debi-
litate actionis, quæ oritur ex præoccupatione or-
ganorum a splendore diurno : quemadmodum etiam
strepitus diurnus facit, ut soni corporum singulorum
minus exaudiantur.

Causa autem quare sol, luna, et cæteræ stellæ
majores apparent prope horizontem quam ab ho-
rizonte remotiores, ex eo oritur, quod cum oculus
sit in superficie, non in centro terræ, magis distat
ab horizonte aspectabili, hoc est, ab horizonte
cæruleæ illius superficie, quam vocamus cœlum,
quam ab ejusdem summo culmine. Etsi enim terra
ad orbem stellæ cujuscunque rationem magnitu-
dinis habeat inconsiderabilem, magna tamen est
comparata cum distantia, quæ apparet ab ipsa ad
loca stellarum apparentia. Accidit ergo oculo ho-
rizontem prospicienti distantiam ejus, terram in-
terpositam legendo, æstimare ; unde magis videtur
distare quam a cœlo summo. Majorem autem dis-
tantiam apparentem sub eodem angulo visorio
necessario sequitur imago major. Causa autem,
quam alii afferunt hujus phænomeni, nimirum id
accidere propter refractionem in atmosphæra, vera
non est, ut dicetur postea.

8. Quæri potest, et a nonnullis quæsitum est,

qui fieri potest, ut stellæ fixæ, quæ propria luce splendentes, et propterea quasi totidem soles habiti, cum innumeræ sint eaque appareant magnitudine ut in unam compactæ multo apparerent majores quam aut luna aut ipse sol, tamen omnes simul non modo quam sol, sed etiam quam luna terram multo minus illustant. Cui quæstioni responderi potest, primo, quod stellæ fixæ singulæ cum sub angulis acutissimis videantur, videntur confuse propter eam causam quam supra (cap. II. art. 3) indicavimus, atque ob eandem causam magnitudines earum apparentes non oriri ab ipsarum stellarum angulorumque visualium magnitudinibus, sed a superfluis radiis qui faciunt ut videantur undique comatæ. Unde fit ut si spectentur per aliquod foramen quod minus sit quam oculi pupilla, crines illi omnes (ut in cap. II, art. 4, coroll. III. ostensum est) abraduntur; quibus abrasis, stellæ illæ protinus disparent reddunturque invisibiles. Iidem crines abradi etiam solent per tubum opticum, et ne sic quidem videbitur stella pura tanta magnitudine, ut omnes simul sumptæ et conceptæ tanquam in unam stellam compositæ discum faciant magnitudini lunæ ullo modo æquiparandum; nec si facerent, quoniam id non fit sine artificio, quo luna etiam amplificari similiter posset, magnitudo ea argumenti loco, quod disci stellarum apparentes simul sumpti disco solis aut lunæ majores sunt, adduci debet.

Non sunt igitur disci simul omnes stellarum fixarum apparentes majores apparente disco lunæ. Rursus, habeant singulæ stellæ lucem æque vegetam ac ipse sol, illustrentque terram a distantia

SECT. II.

3.

Quare stellæ fixæ, cum sint penes innumerabiles, terræ minus illustant simul omnes, quam luna.

SECT. II.

3.

Quare stellæ
fixæ, cum sint
pene innume-
rabiles, terras
minus illu-
strant simul om-
nes, quam luna.

quæ est inter ipsas et terram; luna autem mu-
tuetur a sole suum lumen, id est, sol agat sua luce
in terras mediante reflectione lunari, id est, a dis-
tantia composita ex distantiiis a sole ad lunam et a
luna ad terram, quæ distantia inter fixas et terram
incomparabiliter minor est; etiam sic fiet, ut
quanquam stellæ fixæ totidem essent soles, miran-
dum tamen non esset si sol noster, mediante lunari
reflexione, terras magis illuminet quam stellæ fixæ
simul omnes.

Observaverunt permulti post somnum, tempore
matutino, quando oculis, simulatque aperti sunt,
objicitur fenestra, ita vehementem sentiri actionem,
ut clausis rursus imago tamen fenestræ aliquan-
diu inhæreat; quemadmodum accidit etiam iis,
qui solem intuentes habent aliquandiu obver-
santem oculis imaginem solis. Causa ejus rei est,
quod spiritus animalis post somnum ad exte-
riora rediens, quemadmodum supra declaravimus,
facit ut resistentia in retina sit major, id est, ut
sensus sit fortior. Pro fortitudine autem visionis
magis minusve perseverat imago concepta.

CAPUT IV.

DE REPRÆSENTATIONE OBJECTI IN PERSPECTIVA.

1. Natura picturæ perspectivæ in quo consistit. 2. Rectanguli infiniti repræsentatio in perspectiva est triangulum. 3. Rectangulum infinitum non repræsentatur a triangulo propter objecti cum tabula similitudinem, sed propter similitudinem trianguli cum apparentia rectanguli infiniti. 4. Trapezium quomodo repræsentat speciem rectanguli finiti. 5. Quatuor triangula rectanguli divisi diagonaliter in quatuor triangula melius excitant memoriam quatuor rectangulorum simul, quam unum triangulum unius rectanguli. 6. Si quæ propiora sunt oculo clariora pingantur quam remotiora pro ratione basium trianguli repræsentantis; etiam efficacior fiet repræsentatio. 7. Etiam ex adpictis in eadem ratione umbris animalibus aliisque circumstantiis repræsentatio corroboratur. 8. Tabula perspectiva, si spectetur per aliquod exiguum foramen, quare tanto efficacius rem repræsentat. 9. Circulum apparere in perspectiva, præterquam in unico situ, ellipsin. 10. Parabola, quando vertex ejus remotior est ab oculo quam basis, apparet tanquam hyperbole. 11. Contrario situ apparet ellipsis. Qui tabulas perspectivæ intuetur ita ut visus fallatur, non proprie videt rem pictam sed veram recordatur. Index perspectivæ quis. 12. Perspectivæ inversa est, quam lineæ visuales per puncta objecti transeuntes designant in plano ulteriore.

1. REPRESENTATIO figuræ in *perspectiva* aliud SECT. II.
 nihil est præter linearum in objecto, visarum in 4.
 superficie aliqua interposita inter oculum et ob-
 jectum, descriptionem.

Natura picturæ
 perspectivæ in
 quo consistit.

Est itaque *perspectiva* ars describendi sectiones pyramidum, (inter pyramides hoc loco etiam conos comprehendo,) in superficie sive plana sive non plana. Cum enim in visione omnes radii ducti a lateribus objecti concurrant (cap. II. art. 2, coroll.) in centro retinæ, fit ab iis omnibus simul sumptis superficies, si quidem latera omnia objecti sint

SECT. II. ^{4.} Natura picturæ
perspectivæ in
quo consistit. lineæ rectæ, pyramidica; sin objectum terminetur undeque in circumferentia circuli, conus; quomodocunque autem objectum terminetur, superficies fiet acuminata, quam liceat mihi hoc loco appellare pyramidicam.

Manifestum hinc est, quod si quis inter objectum quodcunque et oculum planum erexerit diaphanum, cujus superficies divisa sit in valde multas figuras particulares, quadratas, triangulares, vel hexagonas, observaveritque puncta illius diaphani per quæ singuli ab oculo radii ad objectum transeunt, quod facile ope talis divisionis fieri potest, eaque in charta, quæ habens similem superficiem similiter etiam dividitur, diligenter notaverit, lineasque a puncto ad punctum conformiter ad lineas visas in objecto duxerit; fiet repræsentatio objecti, in illo plano apparens, *tabula ejus perspectiva*, id est, figura illa, quæ in chartam transcripta est, similis erit objecto spectato per planum aliquod interpositum corpus diaphanum. Idem fieri potest quando objectum a tergo est eodem modo per reflectionem a speculo.

Sine hoc artificio necesse est ut is, qui hujusmodi picturam primus ostendit, aut geometriam didicerit, qua sectiones conorum, conoïdion et pyramidum omnis generis in charta exhibere secundum artem potuerit, quod est difficillimum, vel multa minus accurate picta in tabula relinquere coactus fuerit, quæ tamen imperitorum censuram effugere poterunt.

Præcepta perspectivæ non est hujus loci tradere; sunt enim, nisi quod spectat ad claritatem et obscuritatem, quæ diversa in diversis cujuslibet objecti partibus observatur, pure geometrica. Hoc loco id ago, ut cum tabula picturæ perspectivæ

facta jam sit, exhibeatque spectatori pro lineis parallelis, non parallelas; pro erectis, procumbentes; pro circulis, ellipses; pro ellipsis, circulos; innumeraque alia quæ aliter in tabula sunt quam in objecto, rationem reddam quare tamen objectum a tabula optime repræsentatur; id quod ex tabulæ alicujus constructione ostendendum est.

SECT. II

4.

2. Consideremus igitur adjunctæ tabulæ figuram primam, in qua sit $ABYZ$ rectangulum in plano horizontis positum, divisumque bifariam a recta GH , in qua, utcunque producta ad E , statuatur erecta ad planum recta EF , intelligaturque oculus in F . Intelligantur etiam Y, Z adeo remota esse ab oculo, ut ductis rectis FY, FZ , angulus ab illis comprehensus YFZ præ exiguitate evanesceret. Quo facto, habemus pyramidem visualem, cujus basis est rectangulum $ABYZ$, vertex in oculo F , latera $ABF, A Y F, B F Z, Z Y F$, quatuor triangula, quorum ultimum $Z Y F$ habet angulum ad F adeo acutum ut, quoad sensum, latera FY, FZ pro una tantum recta habenda sint.

Rectanguli
infiniti repre-
sentatio in per-
spectiva est
triangulum.

Supponamus jam rectangulum $ABYZ$ esse ipsum objectum repræsentandum per transpectionem in plano aliquo diaphano interposito inter ipsum et oculum. Intelligatur ergo super rectam AB tale planum perpendiculariter erectum esse, secans omnes radios tendentes ab objecto rectangulo ad oculum F ; erit ergo sectio facta in plano erecto super AB triangulum, cujus basis est AB , altitudo æqualis rectæ EF , nempe GV .

Nam duæ rectæ FY, FZ , sumptæ pro una linea propter exiguitatem anguli, transibunt ambæ per verticem V , et FV erit horizonti, quoad sensum, propter suppositam distantiam rectæ YZ , parallela.

SECT. II. 4. Jam construat (ut in figura secunda) triangulum factum per dictam sectionem, nempe A B F, cujus latus A B æquale sit A B figuræ primæ, et altitudo F G altitudini E F, vel G V. Triangulum hoc *tabula perspectiva* est rectanguli illius infiniti A B Y Z. Similiter triangulum aliud quodcunque tabula etiam est rectanguli infiniti alicujus. Similiter (in figura tertia) duo triangula ad verticem A B F, F D C tabula est duorum rectangulorum inter se parallelorum, qualia sunt alicujus porticus solum et lacunar. Junctisque A D, B C, totum A B C D rectangulum tabula est sex rectangulorum, habentium latera opposita inter se parallela et opposita. Et rectangulum quodvis aliud, divisum duabus diagonalibus in quatuor partes, tabula est perspectiva parallelipedi concavi alicujus.

Rectangulum infinitum non representatur a triangulo propter objecti cum tabula similitudinem, sed propter similitudinem trianguli cum apparentia rectanguli infiniti.

3. Quoniam autem descriptum in plano triangulum sine alio artificio imaginem hujusmodi rectanguli infiniti linearum ductu minime imitatur, et rarissime contingit, ut qui triangulum intuetur rectangulum putat se videre, iisque solis qui consulto et cum magno labore revocant in memoriam, et ideam ex simili alicujus longissimæ porticus ante spectatæ conceptam in animo consistere faciunt; colligimus, quod ad institutum nostrum maxime pertinet, *tabulas perspectivæ* non similitudine ulla figuræ veræ objectum repræsentare, sed similitudine quam habent cum triangulo quod est in figura art. 4, præcedentis capituli, nimirum F K G, cujus vertex K, punctum quod appellant *principale* et *horizontale*, respondet vertici F trianguli A F B, et basis F G illic, basi A B hic; ex quo fit, ut quamdiu spectantes quodlibet triangulum meminerimus porticum aliquam longissimam ante spectatam

eodem modo apparuisse, tamdiu idea illa, quæ in memoria est, consistit, et confusa in unam cum idea, quæ fit a visa tabula, in animo retinetur, potius quam excitatur. Similium enim, in quantum similia sunt, una tantum est idea, quemadmodum per totum diem eandem rem intuentes eandem ejus semper habemus imaginem. Excitari autem ab aspectu simplicis trianguli ideam porticus in iis, qui assueverunt rerum apparentias cum veris earundem figuris comparare, difficile non est, puta in pictore, cujus animus perpetuo per istiusmodi objecta circumvolitat.

SECT. II.

4.

4. Quod si repræsentare in tabula velimus rectangulum finitum, id est, cujus latus, ab oculo remotissimum, non sit tamen adeo remotum ut angulus visualis penitus evanescat, quale supponemus esse in prima figura rectangulum $A B C D$; cæteris rebus stantibus, dividatur bifariam $C D$ in puncto H , ducaturque $F H$ secans $G B$ productam in X . Deinde in secunda figura sumatur altitudo $G I$ ipsi $G X$ æqualis, ductaque $D I C$ basi $A B$ parallela, habemus trapezium $A B C D$ pro tabula perspectiva rectanguli sive porticus, determinatæ $A B C D$ figuræ primæ; sed quæ ideam rectanguli sive porticus, nisi assuetis, non facile excitat, id quod ante dictum est de triangulo.

Trapezium
quomodo repræ-
sentat speciem
rectanguli finiti.

Ut igitur vehementius excitetur a tali trapezio spectantis imaginatio, dividere ipsum oportet in partes per lineas basi parallelas, eadem ratione decrescentes qua decrescunt objecta, quoad apparentiam, dum magis magisque ab oculo removentur: id quod in hunc modum vulgo et recte fieri solet. Cum recta $D C$ (secundæ figuræ) repræsentet objectum $D C$ positum in figura prima, ducta $A C$

SECT. II.

4.

Trapezium
quomodo repræ-
sentat speciem
rectanguli finiti.

(secundæ figuræ) trapezii linea diagonalis repræsentabit AC diagonalem figuræ primæ. Deinde divisa AB (secundæ figuræ) in partes quotlibet æquales, puta quatuor, quarum duæ sint GS , SB , et DC in totidem partes etiam æquales, quarum duæ sint IH , HC , et conjunctis terminis divisionis per lineas rectas, eæ rectæ secabunt diagonalem AC . Per puncta autem intersectionum ducantur rectæ QR , OP , MN basibus parallelæ. Itaque $AQRB$ trapezium repræsentabit rectangulum AR ; et trapezium $QOPR$ rectangulum QP ; et trapezium ON rectangulum ON ; et denique trapezium MC rectangulum MC . Nam sicut AC secat MN (figuræ primæ) in partes quæ habent rationem 3 ad 1, ita AC (secundæ figuræ) secat MN in eadem figura in ratione 3 ad 1. Et sic de cæteris. Quod si eandem rationem distantiarum continuare quis voluerit versus verticem F , sic faciet. Jungatur AH , et producat ad BF in E , ducaturque EL parallela basi AB , secans AF in L , eritque trapezium $ELDC$ repræsentatio rectanguli ulterioris, nimirum cujus latus oculi proximum est LD , alterum latus ipsum MD , vel NC (figuræ primæ). Et sic potest continuari tabula versus verticem F quantum volumus. Sed ut compleatur impossibile est, quoniam vertex F repræsentat lineam in distantia incognita collocatam. Jam trapezium hoc, ut dictum est, divisum secundum rationes distantiarum, quas habent ab oculo objecti partes per rectas QR , OP , MN , DC aliasque, si placet, ultiores basi parallelas, memoriam porticus quam repræsentat vehementius excitat quam indivisum; quia parallelæ illæ sua continua diminutione, quæ similis est diminutioni apparentis objecti, quæ fit a remotione

ejus ab oculo, objecti diminutionem, cujus idea cum hac confunditur, in memoriam revocat.

SECT. II.

4.

5. Porro si divisio eodem modo in quatuor triangulis instituat, communem in centro rectanguli habentibus verticem, ut in tertia figura factum est, quatuor plana parallelepipedo interiora, id est, solum lacunar et duo parietes oppositi cujuspian ædificii perfectius adhuc repræsentabuntur, quam solum aut lacunar, aut utervis parietum solitariis.

Quatuor trian-
gula rectanguli
divisi diagona-
liter in quatuor
triangula melius
excitant memori-
am quatuor rect-
angulorum simul
quam unum tri-
angulum unius
rectanguli.

Dividentur autem quatuor illa triangula per divisionem quam tradidimus cujuslibet unius eorum. Nam diviso, ut in tertia figura, triangulo $A F B$, ea quam diximus ratione per rectas $Q R$, $S T$ etc. junctisque $A D$, $B C$, et a punctis Q , R , S , T ductis $Q P$, $S N$, $R O$, $T L$ etc. parallelis lateri $A D$, vel $B C$, et denique junctis $P O$, $N L$ etc. erunt trian- gula $A F D$, $D F C$, $C F B$ eadem ratione divisa ac ipsum $A F B$. Excitabitque rectangulum $A C$ porticus alicujus memoriam tanto melius, quanto line- arum plura plana dividendum conjunctio in di- agonalibus plus valet ad recessum partium objecti imitandum, quam lineæ dividentes unum eorum tantum. Nam sunt plana illa quatuor quasi toti- dem testes ad faciendam fidem conspirantes.

6. Quod si lineæ divisionis latitudinem aliquam habeant perpetuo decrescentem, ut si $A B$ latior cæteris fiat, ut in oculum fortissime omnium agat, et post illam $Q R$, deinde $S T$ etc., ita ut fortitudo actionis eadem decrescat ratione, qua longitudines decrescunt ipsarum $Q R$, $S T$ etc; etiam adhuc erit repræsentatio objecti aliquanto efficacior.

Si que propiora
sunt oculo clari-
ora pingantur
quam remotiora
pro ratione basi-
um trianguli re-
presentantis,
etiam efficacior
fiet representatio

7. Rursus, si umbræ, si homines, aliæve circum- stantiæ in eadem ratione (ut in figura quarta) adpin- gantur, erit et sic quoque repræsentatio, tanquam aucto testium numero, nonnihil corroborata.

Etiam ex ad-
pictis in eadem
ratione umbris
animalibus aliis-
que circumstan-
tis representa-
tio corroboratur.

SECT. II. www.8lib.org Postremo, si per foramen exiguum vel per-

4.

Tabula perspec-
tiva, si spectetur,
per aliquod exi-
guum foramen,
quare tanto effi-
caciùs rem re-
presentat.

specillum uno tantum oculo tabula spectetur, re-
presentatio erit multo perfectior; nam in hoc casu
oculus non vagatur extra tabulam, ubi, quæcunque
videntur, in eodem videntur esse plano, et proinde
etiam omnes tabulæ partes; ita ut quantum pro-
portiones, colores, umbræ, recessuum quos imitan-
tur fidem faciunt, tantum comparatio cum iis, quæ
sunt extra tabulam, iisdem rebus fidem derogat.

Circulum ap-
parere in per-
spectiva, præ-
terquam in uni-
co situ, ellipsin.

9. Si figura objecti in plano horizontis, per
planum diaphanum horizonti erectum spectanda,
sit circulus, sectio facta in plano illo erecto, id est,
tabula ejus perspectiva, erit ellipsis vel circulus;
oculo quidem in uno solum puncto collocato, cir-
culus; cæteroque ellipsis.

Sit (fig. 5) figura objecti circulus in plano jacens
horizontis; sitque diameter ejus AB ; oculus autem
ubicunque in C , modo ab omnibus circumferentiæ
punctis ad C pervenire possint radii; sitque BD
horizonti erecta, secans AB in B , et AC in puncto
 D . Elevatio oculi supra horizontem perpendicularis
sit EC . Erit itaque BD sectio communis plani
diaphani sive tabulæ perspectivæ interpositæ inter
oculum et objectum, insistentisque horizonti ad
angulos rectos, et conijus vertex C , basis circu-
lus AB . Erit præterea triangulum ABC sectio
per axem illius conij.

Jam consideratis triangulis ABC , BDC , si ea
sint similia, quod fieri non potest nisi in uno tan-
tum puncto rectæ EC productæ, habebunt bases
 AB , BD triangulorum ABC , BDC positionem
subcontrariam. Ideoque (per Mydorgii Parisini
Conicorum Elem. lib. 1. prop. 3.) erit sectio facta
a plano BD in superficie conij, facti a lineis simul
omnibus a circumferentia ductis ad oculum C , cir-

culus. Sin triangula $A B C$, $B D C$ non sint similia, erit (per ejusdem Mydorgii Conicorum Lib. I. prop. 6) sectio illa ellipsis. Itaque si figura objecti, etc. Quod erat probandum.

SECT. II.

4

Facillime intelligitur e contra, quod ellipsis in horizonte, per erectam tabulam diaphanam spectata, in una sola oculi positione videtur circulus.

10. Si figura objecti in horizonte positi, spectanda per tabulam diaphanam, sit parabola, posita autem tabula sit super vel citra basem horizonti erecta, erit sectio, id est figura in tabula apparens, hyperbole.

Parabola, quando vertex ejus remotior est ab oculo quam basis, apparet tanquam hyperbole

Sit (in fig. 6) parabola $A B C$ descripta in plano horizontis, cujus vertex sit A , basis $B C$; positusque sit oculus in E . Super $B C$ intelligatur planum diaphanum sive tabula perpendiculariter erecta, quam secet planum per $F D$ erectum secundum rectam lineam $A D F$; et sit communis sectio $D H$, unde intelligetur recta $G H$ esse totam in sublimi, et rectæ $A D F$, quæ est in plano horizontis, perpendiculariter imminentem. Ductaque $A E$, sumatur ipsi æqualis $E G$, et ducta $A G$ dividatur bifariam in I . Tum centro I , intervallo $I A$, describatur circulus $A K G$, cujus punctum A erit in horizonte, sed punctum G et cætera puncta omnia erunt in sublimi. His constructis, erit $A E G$ triangulum plano horizontis erectum, et $A E$, $E G$ crura ejus; ipsum autem triangulum dividet per axem conum visualem, cujus vertex est E in sublimi, nempe in oculo, basis autem circulus $A K G$, axisque parabolæ $A D$ apparebit in plano trianguli $A E G$ parallelus lateri $F G$. Parabola denique tota apparebit in illius coni superficie. Jam planum $F H$ secat $A E$ alterum latus trianguli per axem in

SECT. II. **L**, alterum vero, nempe **G E** productum, in **H**; est-
 que **D L** sectionis axis in plano tabulæ diaphanæ
 erectæ super **BC**; et tota denique sectio est in
 eadem tabula. Est autem sectio ea hyperbole, per
 definitionem traditam in primo elementorum conicorum Mydorgii. Quare si figura objecti in horizonte positi sit parabola, per erectam in basi tabulam diaphanam apparebit hyperbole. Quod erat, etc.

Contrario situ
 apparet ellipsis.

11. Quod si parabola invertatur, ut vertex sit inter oculum et basin, sitque erecta tabula super vel citra verticem, erit sectio facta in tabula ellipsis.

Fiat triangulum **A B C** (in fig. 7) sectio cujuspian conii per axem, cujus vertex **A**, basis **BC**, quæ secetur a plano aliquo per rectam **E F** lateri **AC** parallelam. Erit igitur sectio facta parabola, cujus vertex est **E**, axis **E F**. Supponamus autem **E F** axem, ut et ipsam parabolam, esse in plano horizontis; jam inter oculum **A** et verticem parabolæ vel super ipsum verticem erigatur recta **GH** perpendicularis, vel utcunque modo secet utrumque trianguli latus, ut in **I** et **H**. Sectio itaque communis tabulæ et trianguli transit per utrumque ipsius trianguli latus. Itaque erit **I H** (per Elementorum Mydorgii Conicorum lib. 1. prop. 6) axis ellipseos descriptæ in superficie conii, cujus vertex est oculus **A** et basis **BC** circulus. Itaque oculo posito in **A**, parabola **E F** in tabula **GH** videbitur ellipsis. Simili ratione ostendi potest; ellipses transpectas apparere ellipses quidem, sed diversæ speciei, et quæ habent aliam rationem majoris axis ad minorem; et hyperbolas transpectas apparere alias specie hyperbolas.

Qui tabulas
 perspectivæ in-

Atque hæc sufficient dixisse de perspectiva; quoniam institui geometrica eo usque tantum persequi,

quoad ~~necessaria sunt ad~~ rationem reddendam generalem earum deceptionum, quæ accidunt visioni ex transpectione diaphanorum: quæ in eo consistunt, quod qui tabulas perspectivæ ita attente intuentur, ut quæ in tabulis pinguntur plana appareant non plana, et longinqua quæ non sunt longinqua, et erecta quæ procumbunt, illi, proprie loquendo, non ipsas tabulas vident aut sentiunt, sed res ipsas, quas pictor imitatur, ante visas recordantur. Ex quo etiam obiter intelligi hoc potest, tabulæ perspectivæ judicem neminem esse posse, ne philosophum quidem ipsum, qui rationes optiçæ omnes perspexerit, nisi qui multiplici experientia multarum rerum apparentias naturales observatas comparatasque memoria retinuerit; habeatque præterea imaginatio- nem constantem, ne ideæ rerum visarum, dum fictas contemplantur, animo elabantur.

12. Est et aliud perspectivæ genus, hujus de qua diximus inversæ, in qua objectum ipsum rude aliquid apparet, et nisi oculo in certo puncto collocato in- forme; in eo vero puncto id videtur quod apparere voluit pictor. Id quod hac ratione fieri potest: prope planum aliquod statui intelligatur tabula picta, in qualibet ab oculo distantia; considerentur lineæ omnes visuales per unamquamque particulam ejus transeuntes, in quæ parietis vel plani puncta productæ desinant. Atque ibi illam tabulæ parti- culam pingant, id quod sensu fieri non potest, quia tabula picta non est transparens, sed rationibus geometricis; ideoque pictores professi non possunt omnes hoc facere, sed ope utuntur geometrarum: sed quando factum est, oculo posito in eodem loco apparent omnia tanquam in unius tabulæ plano. Exemplum hujus rei exhibuit R. P. Niceronus in Conventu Minimorum Parisiis.

SECT. II.

4.

tuetur ita ut visus fallatur, non proprie videt rem pictam sed veram recordatur.

Judex per- spectivæ quia.

Perspectivæ in- versa est, quam lineæ visuales per puncta ob- jecti transeuntes designant in plano ulteriore.

CAPUT V.

DE LOCO OBJECTI APPARENTE IN SPECULIS
PLANIS ET SPHERICE CONVEXIS PER
REFLEXIONEM.

1. Locus objecti apparens, sive locus imaginis, per reflexionem a speculis planis non diaphanis. 2. Quod in speculis planis diaphanis plures fiunt imagines ejusdem objecti. 3. Definitiones quinque. 4. Punctum principale, sive in quo evanescit angulus visorius, in speculis convexis dividit semidiametrum speculi eam quæ est in perpendicularo oculi bifariam. 5. Quomodo locus objecti apparens per reflexionem in speculo spherice convexo inveniendus sit.

SECT. II.

5.

Locus objecti
apparens, sive
locus imaginis,
per reflexionem
a speculis planis
non diaphanis.

1. MAGNITUDO et distantia objecti apparentis in speculis planis politis, sed non diaphanis, eadem sunt quæ in visione directa, quando radius in directa visione æqualis est ambobus radiis in visione reflexa, nimirum illi qui est ab objecto ad speculum, qui appellatur *radius incidens*, et illi qui est a speculo ad oculum, qui vocatur *radius reflexus*, simul sumptis.

Sit (in fig. 1) objectum A B, oculus in C. Duc-tis ergo rectis C A, C B, apparebit in visione directa objectum inter C A, et C B alicubi, propiusque oculo (per cap. III. art. 3) quam est ipsum A B objectum. Appareat itaque in D E. Interponatur jam inter oculum et objectum speculum planum, quod sit F G, secans C A, C B in H et I; ducanturque ad F G perpendiculares B L, A K, factisque angulis L I G, K H G æqualibus utroque utriusque angulis F I C, F H C sive ipsorum verticalibus G I B, G H A, erunt rectæ G L, I L æquales rectis G B, I B uterque utriusque; item rectæ K H, H A æquales

inter se. Sumatur in HK recta HM æqualis rectæ HD , et in IL recta IN æqualis IE ; eruntque CH , HM , simul sumptæ, æquales uni CD , sicut CI , IN , simul sumptæ, æquales uni CE : sed CD , CE sunt radii visorii ab objecto AB in visione directa, et CHM , CIN sunt radii ab objecto eodem translato in KL in visione reflexa. Et angulus visualis ad C utrobique idem. Eademque est vis radiorum surgentium ab H et I ad M et N , quæ est radiorum procedentium ab iisdem H , I ad D , E . Apparebat autem objectum per visionem directam in DE ; translatum ergo in KL apparebit per reflexionem in eadem distantia in rectis CH , CI productis, ita ut HD , IE sint æquales ipsis HM , IN , id est, in DE : eadem ergo sunt objecti magnitudo et distantia apparentes per reflexionem in speculo plano, quæ in visione directa. Quod erat probandum.

Coroll. I. Manifestum hinc est, locum imaginis per reflexionem eundem esse, qui esset sublato speculo, et translato objecto tantundem ultra speculi locum, per visionem directam.

Coroll. II. Manifestum item est, deceptos esse hactenus scriptores opticæ omnes, qui non modo affirmant, sed pro axioma et fundamento doctrinæ suæ posuerunt, locum imaginis cujuslibet puncti visi per reflexionem esse in perpendiculari, quæ ducitur ab objecto ad superficiem in qua speculum situm est, idque non solum in speculis planis, sed etiam in convexis et concavis; id quod ex ipsa figura in speculis planis, præterquam in incidentia radiorum perpendiculari, falsum esse manifeste patet. Imo si verum esset, objecta omnia apparerent in vera eorum magnitudine; et sol, qui apparet sine speculo semipedalis, appareret in speculo

SECT. II.

6.

Locus objecti
apparentis, sive
locus imaginis,
per reflexionem
a speculis planis
non diaphanis.

SECT. II. **plus quam centies major quam est vera terræ magnitudo.**

5.

Quod in speculis planis diaphanis plures fiunt imagines ejusdem objecti.

2. Id quod modo ostensum est de speculis non diaphanis, qualia sunt quæ fiunt e chalybe bene polito, verum quoque est in diaphanis: sed in illis unius objecti una tantum imago, in his plures esse possunt.

Nam (in fig. 2) si speculum A B C D sit diaphanum, et objectum in E, oculus in F, radius E B per plures refractiones et reflectiones veniet ad A, et inde ad oculum in F; et videbitur objectum in F A I. Item radius E K per plures refractiones et reflectiones veniet ad L, et inde ad oculum F, et videbitur E in recta F L M. Item radius E G per simplicem reflectionem veniet ad F, et apparebit E in recta F G H.

DEFINITIONES.

Definitiones quinque.

3. I. *Centrum speculi* est centrum sphaeræ, cuius superficiei pars est speculi superficies convexa.

II. *Perpendiculum puncti in objecta* cujuscunque est recta linea ab eo puncto ducta per centrum speculi.

III. *Perpendiculum oculi* est recta linea ab oculo ducta per centrum speculi.

IV. *Vertex speculi* est punctum in speculi superficie in quod incidit perpendiculum oculi.

V. Circulus quem in charta describo vice speculi (convexa enim in plano describi non possunt) est communis sectio ipsius chartæ planæ et sphaeræ, in cuius superficie intelligitur esse superficies speculi, quæ transit per puncta quatuor hæc. 1. Centrum speculi. 2. Punctum in objecto consideratum. 3. Centrum retinæ; et 4. Punctum reflexionis.

Si punctum quodlibet objecti in quacunque a speculo convexo distantia oculique situ quocun-

que positum sit, linea ejus visualis ita puncti illius perpendiculum secabit, ut pars lineæ ipsius visualis, intercepta inter perpendiculum dictum et speculi superficiem, minor sit reliquo perpendicali inde usque ad speculi centrum.

SECT. II.

5.

Sit (in fig. 3) punctum objecti A, centrum speculi B, perpendiculum objecti AC, oculus in D, radius incidens ab A sit AE, reflexus secundum angulos æquales, qui est idem cum linea visuali, DE; producta autem sit DE ad occursum cum AB in F. Dico EF minorem esse quam BF.

Ducatur BE, et producat utrunque in G, fiatque EH parallela rectæ AB. Jam angulus GEA æqualis est, propter reflexionem, angulo GED, hoc est angulo FEB. Angulus autem EBF æqualis est, propter parallelismum, angulo GEH; sed angulus FEB, hoc est GEA major est angulo GEH; quare angulus FEB major est angulo EBF, et per consequens, latus BF majus latere FE. Itaque linea visualis ita perpendiculum objecti puncti secat, etc. Quod erat probandum. Item, quo angulus reflexionis major est, eo linea visualis partem perpendiculi intra sphaeram interceptam, id est, semidiametrum, in partes magis inter se inæquales dividit. Nam si sit ducta AI, cujus reflexa est IK, ita ut angulus reflexionis in E major sit quam in I, producta KI secabit CB longius a centro B quam est punctum F.

4. Punctum, in quo evanescit angulus visorius cujuscunque objecti visi per reflexionem a superficie speculi sphaerice convexa, dividit sphaeræ sive speculi semidiametrum bifariam. Sit (in fig. 4) speculum convexum ABC, cujus centrum D; sitque objectum EF, et in eo puncta E, H, I, K.

Punctum principale, sive in quo evanescit angulus visorius, in speculis convexis dividit semidiametrum speculi eamque est in perpendiculo oculi bifariam.

SECT. II.

5.

Punctum principale, sive in quo, etc.

Centro D ducatur arcus LM dividens DA , DB , DC cæterasque omnes semidiametros interjectas bifariam. Jam a puncto F ducatur radius FN , ita ut reflexus NG occurrat alicubi semidiametro DB productæ, ut in G , ubi statuatur oculus; productaque GN secet perpendicularum puncti F in O ; majorque erit (per art. 4) DO quam NO , et multo major quam OC . Similiter fiat e puncto E incidens EQ , et ejus reflexus GQ , qui producat in P ; eritque DP major quam PQ , et multo major quam PA . Erit autem angulus visorius, sub quo apparebit EF objectum, QGN .

Rursus, sumatur in objecto punctum aliud K , a quo radius ductus KS reflectatur itidem ad G , et producta GS occurrat KD perpendiculari in T ; et similiter a puncto H radius HV reflectatur ad G , producatique GV donec occurrat perpendicularo HD in X . Erit sic quoque DT major quam TN , sed minor quam DO ; et DX major quam XQ , et minor quam DP . Etiam angulus visorius VGS minor angulo visorio QGN . Eodem modo si inter K et H sumantur alia duo puncta, unde radii perveniant per reflexionem ad oculum in G , minor erit adhuc angulus visorius et partes semidiametri sectæ a lineis visualibus minus inæquales; sed nulla diminutione anguli visorii (per art. 4) perveniet linea visualis ad circulum LM , qui secat DA et DC bifariam. Intelligantur jam erectæ duæ parallelæ infinitæ in E et F ; illæ secabuntur a rectis VH , SK productis; ad illas intersectiones intellige remota esse puncta E et F ; itaque radii ab E et F incidentes in speculum iidem erunt cum HV et KN , eritque angulus visorius idem VGS . Itaque diminuitur semper angulus visorius per remotionem,

eodem modo quo diminuebantur ante per diminutionem objecti, quando pro EF objecto majore sumpsimus HK objectum minus. Nunquam ergo per remotionem objecti quantamcunque ita diminuitur angulus visorius, ut linea visualis producta intra speculum secet aut tangat circulum LM: semper tamen, quoad angulus ullus sit, magis ad eum circulum accedet. Deficit ergo angulus visorius per infinitam remotionem in media distantia inter verticem speculi, et centrum ejusdem. Quod erat probandum.

SECT. II.

5.

5. Locus imaginis, id est locus objecti apparens, per reflexionem a speculo convexo quomodo inveniendus sit.

Quomodo locus objecti apparens per reflexionem in speculo spherice convexo inveniendus sit.

Sit (in fig. 5) speculum ABC, cujus centrum D, oculus ubicunque in G. Itaque ducta GD erit oculi perpendiculum. Sitque objectum IE, secans GD in F. Sit ducta IA parallela oculi perpendiculo DG, quæ in speculi superficiem vel incidet, vel ipsam tanget, vel extra speculum tota erit.

Primo sit punctum A in superficie speculi, divisaque DB bifariam in H, ducatur AH. Ductoque radio quocunque IK, ita ut reflectatur ad oculum in G, producatu G K donec occurrat AH in L. Similiter a quibuscunque aliis punctis objecti, ut M vel E, ducantur perpendiculo oculi DG usque ad speculum MN, EC parallelæ, et radii incidentiæ MP, EO, qui reflectantur ad G. Et productis GP et GO ad occursum cum rectis HN, HC in punctis Q et R, erunt Q et R loca imaginum punctorum objecti M et E. Similiter inveniri possunt loca imaginum omnium punctorum, quæ sunt in objecto IE, in linea LQR.

Producatu enim FE in T, ut FT, FI sint æquales,

SECT. II. intelliganturque objecti termini I, T jacere in A V.

5.

Quomodo locus
objecti apparens
per reflexionem
in speculo sphæ-
rice convexo in-
veniendus sit.

Videbuntur ergo in eodem loco, in quo videntur ipsa A et V puncta speculi: inde si removeantur rursus in infinitum, videbuntur (per antecedentem propositionem) et ipsa et totam objectum contrahi et evanescere in punctum H. Erit ergo locus apparens puncti I in recta A H, et puncti T in linea V H. Sunt autem loca eorundem punctorum in lineis suis visualibus G K, G Y. Sunt ergo in intersectionibus cum A H, H V, nempe in punctis L et X. Propter eandem rationem erunt loca imaginum punctorum M et E in rectis H N, H C; sed sunt eadem loca in visualibus G P, G O; sunt ergo in intersectionibus Q et R. Est ergo inventus locus imaginis objecti I E, nempe L Q R. Quod erat faciendum in casu primo. Quomodo autem a puncto dato recta linea ita duci possit, ut ad aliud punctum reflectatur datum, problema solidum est, et fieri potest ope hyperbolæ, sed ipsa hyperbola non sit nisi per puncta, id est, mechanice.

Secundo, sit objectum I S ita magnum, ut a termino ejus S, ducta perpendiculo oculi G D parallela S α cadat tota extra speculi superficiem. Ducatur ab oculo G recta G α contingens speculum in Z. Si ergo punctum S poneretur in α , videretur in Z. Dum ergo rursus removetur sursum versus S, locus ejus apparebit in recta H Z. Exempli causa, si punctum objecti sit β , cujus radius $\beta \delta$ reflexus sit ad oculum in G, et producto G δ secet H Z in γ , erit γ locus apparens puncti β . Sit ergo objecti punctum in ipso S; ducta incidente S π et reflexa ejus π G, producta G π secet H Z in ρ , erit punctum ρ locus apparens ipsius S. Itaque locus imaginum per reflexionem a speculo convexo inventus est. Quod erat propositum.

Loquimur autem de iis objectis, quæ deficiente angulo visorio videri desinunt; id quod non fit in objectis sua natura lucidis. Nam angulo visorio deficiente stellæ tamen fixæ apparere non desinunt; neque candelæ apparere in speculo desinunt, etiamsi in tantum removeantur ut angulus visorius fiat insensibilis. Sed talis visio, ut diximus, semper confusa est, propter rationes (cap. II. art. 3) supra adductas.

SECT. II.

8.

CAPUT VI.

DE LOCO OBJECTI APPARENTE PER REFLEXIONEM A SPECULO SPHÆRICE CONCAVO.

- 1, 2. Oculo et objecto positus ita ut lines incidentes perpendicularum oculi non secant, invenire locum imaginis. 3, 4, 5, 6, 7. Oculo et objecto ita positus ut lines incidentes oculi perpendicularum secant. 8. Imago objecti utcumque positi in tantum recedere a speculo non potest, ut perveniat ad centrum retinæ. 9. Punctum objecti quod est in centro speculi, oculo citra centrum collocato, in ipso centro apparebit. 10. Maxima confusio ubi est.

Oculo et objecto positus ita ut lines incidentes perpendicularum oculi non secant, invenire locum imaginis.

1. In reflectionibus a superficie sphæricæ concava contingit apparere objectum quandoque situ simili, quandoque inverso. Cujus causa manifesta est hæc; quod quandoque radii incidentes se mutuo ante secant, quam reflectuntur; et tunc quidem objectum apparet inversum: alias vero situm obtinet naturali similem.

Itaque primo loco, oculo et objecto ita collocatis, ut ab objecto radii incidentes non se mutuo intersecant ante reflectionem, locum imaginis sic investigabimus.

Centro A, (in fig. 1) radio quocunque AB, sit descriptus arcus circuli BCD, cujus pars EC re-

SECT. II. 6. præsentet speculum concavum; sitque oculus in F. Ducatur recta FE, quæ reflectatur per EG, et

Oculo et objecto
ita positis ut li-
neas incidentes
perpendicularum
oculi non secent,
invenire locum
imaginis.

recta FC, quæ reflectatur per CH; juncta autem GH repræsentet objectum. Itaque incidens GE reflectetur per EF, et incidens HC per CF. Quare punctum G videbitur alicubi in linea visuali, si opus est, producta, FE. Similiter, videbitur punctum H in linea visuali FC, etiam si opus est, producta. Jam si puncta G et H essent in ipsis punctis E et C, viderentur, ut per se manifestum est, in illis ipsis punctis. Manifestum item est, prout magis magisque retrahuntur ab illis punctis E et C, ita magis apparitura esse ultra speculum. Supponantur ergo retracta esse ad G et H, ubi ea collocavimus; ducanturque a G et H rectæ GI, HK parallelæ perpendicularo oculi, nempe rectæ AB, secantes FE, FC productas in I et K. Dico fore ut objectum appareat inter I et K, nempe, punctum G in I, et punctum H in K.

Producantur indefinite parallelæ IG, KH in L et M, et supponatur objectum collocari in LM. Incidens ergo a puncto L, ut reflectatur ad oculum in F, cadet inter E et B; et incidens a puncto M, ut reflectatur ad idem punctum F, cadet inter C et E; et videbitur objectum per alias visuales quam FE, FC et magis ultra speculum. Nam quo objectum a speculo remotius est, eo etiam locus imaginis ab eodem speculo erit remotior, apparebitque sub minore angulo semper minor, donec in satis magna remotione deveniat, propter exiguitatem anguli visorii, invisibilis, nimirum coeuntibus parallelis in ipsum oculi perpendicularum. Atque hæc quidem una causa est ex iis quæ locum imaginis determinant, nempe quod locus imaginis ad speculum accedit et recedit in parallelis IG, KH.

Altera causa, quæ determinat locum imaginis, sunt ipsæ lineæ visuales exeuntes ab oculo F per puncta reflectionis E et C . Videbitur ergo punctum G tum in visuali FE , tum in parallela GI . Videbitur ergo in intersectione ad I . Et propter easdem causas videbitur punctum H in K .

SECT. II.

6.

Oculo et objecto positis ita ut lineæ incidentes perpendicularum oculi non secant, invenire locum imaginis.

Locus autem imaginis cujusvis alii puncti objecti invenitur per eandem methodum, nimirum a puncto ipso ducendo lineam perpendicularo oculi parallelam, et lineam ab eodem puncto quæ ad oculum reflectatur. Videbitur enim in earum concursu.

Regula hæc inveniendi locum imaginis etiam speculis planis et sphaerice convexis communis est, nempe ut sit locus imaginis in concursu rectæ a quovis puncto objecti ductæ perpendicularo oculi parallelæ cum linea visuali. Nam in speculis planis locus imaginis est in objecti perpendicularo, quod oculi perpendicularo est parallelum.

2. Quod si objectum ita collocatum sit ut incidentes radii non se intersecant, centrum autem speculi sit inter oculum et verticem speculi, invenietur locus imaginis hoc modo.

Sit centrum speculi A , vertex B , ipsum speculum ce , oculus f , objectum gh . Sitque ge incidens, et reflexa ef . Sit item hc incidens, et reflexa ejus cf . Videbuntur ergo puncta hg alicubi in visualibus fc , fe . Supponatur jam objectum hg moveri inter parallelas hk , gi . Videbuntur ergo moveri, sed per alias aliasque visuales. Cum autem punctum g est in i , et h in k , videbitur i ab oculo in g , et k ab oculo in h . Quare vicissim et h videbitur ab oculo in k ; et g ab oculo in i ; et ambo h et g ab uno et eodem oculo in f . Est ergo imaginis objecti hg locus inventus ki . Quod erat faciendum.

SECT. III. ~~www3ibUt sciamus~~ autem ubi locus objecti apparens

6.

Oculo et objecto
ita positis ut li-
neæ incidentes
oculi perpendi-
culum secant.

tunc est, quando incidens a puncto objecti radiante perpendiculum oculi ante secat quam fiat ad oculum reflectio, intelligere oportet loca esse duo, in quibus si objectum positum sit, extrema ejus puncta per reflexionem ibi apparebunt ubi apparerent in visione directa. Alter locus est, ubi extrema objecti puncta sunt in ipsa speculi superficie; alter, ubi radius incidens in speculum ab uno objecti termino ad oculum reflectitur per alterum. Exempli gratia: sit speculum (fig 2) A B C, cujus centrum D, sitque oculus ubicunque in E. Ponatur primo, objectum esse A C, cujus termini A et C sunt in ipsa speculi superficie, ducanturque EA, EC. Manifestum est videri A et C, sive per reflexionem sive per directam visionem, sub eodem angulo visorio A E C. Quare etiam in iisdem locis videbuntur A et C, sive visio fiat directa sive per reflexionem. Secundo, sit objectum F G ita positum, ut incidentis F H reflexa H E transeat per punctum G; item, incidentis G I reflexa I E transeat per F. In hoc quoque casu, puncta G et F per directam visionem videbuntur sub angulo F E G, tam in directa quam in reflexa visione. Quare, animo attento ad objectum, apparent G et F, sive per reflexionem sive directe visa, in ipsis punctis G et F. Quod si ducatur per centrum D recta quantulacunque K D L, incidentes K M, L N habebunt reflexas E M, E N, quæ secabunt K L, ideoque, si ducerentur B K, B L, secarent illas inter B et K ex una parte, et inter B et L ex altera: id quod notandum duxi propter propositionem 12.

4. Posito oculo ita ut centrum speculi sit inter ipsum et speculi verticem, et ab oculo ad speculum

ducta incidente, cujus reflexa secet oculi perpendiculum ad angulos rectos; atque infra ipsum perpendiculum et intra duas rectas perpendiculo oculi parallelas, quæ speculum utrinque tangant, collocato objecto, locum ejus apparentem invenire.

SECT. II.

6.

Oculo et objecto ita positus ut linee incidentes oculi perpendiculum secant.

Sit speculum (fig. 3) ABC , centrum ejus D , oculus in E , perpendiculum oculi BE , Ducta autem EC reflexa sit per CA , ita ut CA secet EB ad angulos rectos; ductæque sint CG , AF rectæ EB parallelæ. Posito jam objecto in KL , oportet invenire locum ejus apparentem. Ducantur per K et L rectæ KM , LN parallelæ perpendiculo oculi BE ; intelliganturque puncta K et L moveri in illis parallelis versus puncta M et N , donec ita sint collocata, exempli gratia, in O et P , ut incidens ab O , puta OQ , reflectatur ad E per punctum P , et vicissim incidens a P , puta PR , reflectatur ad E per O . Erit autem OP inter centrum et verticem circuli semper. Ductæ deinde BO , BP , quando opus est, producantur. Jam a puncto K ducta incidens KS reflectatur ad E per SE , et a puncto L ducta incidens LV reflectatur ad E per VE ; secantque SE , VE rectas BP , BO in X et Y . Dico K et L apparitura esse inter X et Y , nempe K in Y , et punctum L in X .

Si objectum KL positum esset in OP , tunc (per precedentem) apparet in ipso OP sub angulo OEP . Recedente autem objecto a vertice inter easdem parallelas OK , PL , angulus visorius semper minor fit, donec, continuata in infinitum remotione, latera anguli visorii exeuntia ab oculo E parallela fiant, vel potius coeant in unam rectam EB . Est ergo punctum B punctum evanescentiæ anguli visorii. Cum itaque objectum positum in OP appareat

SECT. II. www.flibros.com magnitudine eadem, qua in visione directa, et mag-

6.

Oculo et objecto
ita positis ut li-
neæ incidentes
oculi perpendi-
culum secant.

nitudine nulla in distantia citra verticem infinita, necesse est ut ubicunque ponatur citra OP , ubi angulus visorius minor est quam angulus PEO , appareant termini K et L alcubi in rectis BO , BP . Sed iidem ejus termini apparent in visualibus lineis SE , VE . Apparebunt itaque in ipsis intersectionibus, hoc est, K in Y , et L in X inverse. Inventus itaque est locus, etc. Quod erat faciendum.

Coroll. I. Objectum quando incidentes ante reflexionem secant oculi perpendiculum, apparet semper inversum, atque etiam inter oculum et superficiem reflectentem.

Coroll. II. Apparet hinc, quomodo etiam loca apparentia cæterorum punctorum objecti, nempe quæ sunt inter K et L , invenienda sunt. Nam per bina puncta a perpendiculo oculi hinc et inde æqualiter remota ducendæ sunt rectæ ipsi perpendiculo parallelæ, et admovendum objectum versus verticem quoad extrema ejus cum extremis punctis imaginis suæ reciproce coincidunt, et ad ea puncta ducendæ rectæ a vertice, etc.

5. Posito objecto extra dictas parallelas, et infra rectam AC , locum ejus invenire apparentem.

Sit rursus speculum (fig. 4) ABC , vertex ejus B , centrum D , oculus ut ante in E ; ductæque sint ab E duæ rectæ incidentes in speculum ad A et C , ita ut incidentis EA reflexa sit AC , et incidentis EC reflexa sit CA , et a punctis A et C ductæ sint AF , CG oculi perpendiculo EB parallelæ, extra quas sit positum objectum utcunque HI . A puncto autem H ducta sit incidens HK , quæ perpendiculum oculi secans reflectatur ad oculum per KE . Et a puncto I ducta sit incidens IL , et illa secans

perpendicularum oculi reflectatur ad oculum per LE; oportet jam locum imaginis objecti HI determinare.

SECT. II.
6.

Oculo et objecto
ita positis ut li-
neæ incidentes
oculi perpendi-
culum secant.

Ducantur HM, IN parallelæ rectæ AC, sive secantes EB perpendiculariter in O et P: sump-
tæque sint OM, PN æquales ipsis HO, IP. Et
a punctis M, N ducantur MR, NS, parallelæ BE,
terminatæque in CA producta ad R et S. Deinde
ducantur BR, BS, quarum BR secet visualem EK
in T, et BS secet visualem EL in V. Dico H ap-
pariturum in T, et I in V; et si quidem similiter
operemur per cætera puncta objecti HI, totum ob-
jectum appariturum in TV.

Ductis enim HX, IY rectæ EB parallelis, se-
cantibus AC productam in X et Y, suppositoque
quod XR esset ipsum objectum videndum, imago
puncti ejus extremi X appareret in A, et imago
puncti alterius extremi R appareret in C sub an-
gulo visorio AEC. Similiter supposito quod YS
ipsum esset objectum, apparerent quoque puncta
ejus extrema in iisdem punctis A et C, et sub eodem
angulo visorio AEC. Quanto autem X et Y in
suis parallelis XH, YI magis retrahuntur ex una
parte, et R, S ex altera, tanto magis angulus viso-
rius decrescit, ita ut posito quidem X in H, R vero
in M, videbuntur H et M sub angulo visorio cujus
semissis est BEK. Item posito Y in I, et S in N,
videbuntur I et N sub angulo visorio cujus semissis
est BEL. Est autem tam angulus BEL, quam
angulus BEK, minor angulo BEA semisse anguli
AEC, sub quo videntur X et R posita in recta
producta AC. Porro si H et I magis adhuc re-
trahantur ex una parte, et R, S ex altera, angulus
visorius sub quo viderentur extrema puncta X, R,
vel Y, S, adhuc erit minor, donec retracta in infi-

SECT. II.

6.

Oculo et objecto
ita positus ut li-
neæ incidentes
oculi perpendi-
culum secent.

nitum crura ambo anguli visorii conveniunt in unam rectam EB . Itaque punctum B est *punctum evanescentiæ*; et propterea imagines punctorum X et Y ubicunque positorum in parallelis suis XH , YI erunt in BR , BS . Quare puncta H et I apparebunt, H quidem in BR , I vero in BS . Apparent vero eadem puncta H et I in visualibus EK , EL ; apparent ergo in sectionibus, id est in T , V , nempe punctum H in T , punctum I in V . Posito itaque objecto, etc. Quod erat faciendum.

6. Posito objecto supra rectam AC , locum ejus apparentem invenire. Sit speculum (fig. 5) $FABC$, vertex B , centrum D , oculus E . Supponamus rectam AC reflecti per CE , et CA per AE . Præterea supponamus EF reflecti per FG perpendiculo oculi parallelam, secantem CA productam in G . Sit jam objectum HI , a cujus puncto H incidat in speculum HL quæ reflectatur ad E , sicut et a puncto I incidat IK , reflexa et ipsa ad E ; apparebunt igitur H in recta EL , et I in recta EK . Ducantur jam per H et I rectæ HM , IN parallelæ rectæ EB ; supponaturque objectum HI inter illas parallelas removeri ultra puncta H , I in infinitum; manifestum est, incidentes HL , IK facturos angulos cum FG insensibiles, et tres illas lineas FG , HL , IK quoad sensum coalituras in unum GF , et per consequens arcum LK , post remotionem objecti infinitam, contrahi atque evanescere tandem in puncto F . Ducantur deinde OP parallela ipsi IN , et a perpendiculo oculi tantundem distans, et GQ parallela ipsi HM , in eadem ab oculi perpendiculo distantia: juganturque FG , FO , quæ secant visuales EL , EK in L et R . Dico LR esse locum imaginis, sive locum objecti apparentem.

Quoniam enim angulus visorius major semper

est quo objecti termini H, I propiores sunt rectæ A C, et eo minor quo sunt ab ea remotiores, donec tandem remotis illis terminis in infinitum evanescit in puncto F, erunt eorum imagines in rectis FO, FQ ductis ad O et G. Cum igitur punctorum eorum imagines semper etiam sunt in visualibus E L, E K, erunt in ipsis intersectionibus, nempe in L et R. Itaque objecti H I locus apprensus inventus est, LR; quod erat faciendum.

SECT. II.

6.

Oculo et objecto
ita positis ut li-
nea incidentes
oculi perpendi-
culum secant.

7. Ex iis, quæ præsentate capite et tribus proxime præcedentibus de loco objecti apparente inveniendū tradita sunt, universaliter pronuntiare licet, locum illum semper inveniri in sectione crurum anguli cujusdam, cujus verticem appellavimus punctum evanescentiæ (in quo scilicet angulus visorius præ exiguitate evanescit) cum lineis visualibus in quibus apparent objecti extremitates, vel cum parallelis eductis a punctis ubi cura illa incidunt in speculum, et transeuntibus per objecti extremitates. Punctum autem illud evanescentiæ in diversis videndi modis est diversum. In visione directa punctum illud non determinatur, sed sumitur tanquam in horizonte; quia maxima quæ circa nos sunt objecta in distantia horizontis ab oculo evanescunt. Crura autem anguli, cujus vertex est illud punctum, desinunt in basi transeunte per centrum retinæ.

In visione per tabulam diaphanam, punctum illud est in recta transeunte per centrum retinæ, et per tabulam perspectivæ horizonti parallela; vocaturque a quibusdam perspectivæ scriptoribus *punctum principale*. Crura autem anguli, cujus illud punctum est vertex, ducta in tabula terminantur in plano horizontis.

In visione per reflectionem a speculo plano,

SECT. II. 6. punctum illud idem est quod in visione directa, sed ultra speculum.

In visione per reflectionem a speculo sphaerice convexo, punctum illud est in perpendicularo oculi, distans a vertice speculi quantum est quarta pars diametri. Crura autem ejus terminantur in superficie speculi ad ea puncta, in quæ incident ab objecti terminis duæ rectæ perpendicularo oculi parallelæ.

In visione denique per reflectionem a speculo sphaerice concavo, punctum illud varie ponitur. Si oculus sit inter verticem et centrum speculi, incidentes autem radii non secant oculi perpendicularum, punctum illud erit idem quod in visione per reflectionem a speculo convexo (art. 1, 2, 4), sed loca terminorum objecti erunt in sectionibus visualium cum rectis quæ ducuntur a punctis speculi, in quæ incident rectæ a puncto evanescentiæ transeuntes per terminos objecti perpendicularo oculi parallelæ. Si centrum speculi sit inter verticem ejus et oculum, objectum vero infra lineam perpendicularo oculi perpendiculararem in speculo terminatam et utrinque reflexam ad oculum, punctum illud erit ipse speculi vertex. Art. 7, 8.

Sin objectum sit supra illam lineam, punctum illud est in parte speculi diversa, ad quod ducta recta ab oculo reflectitur per lineam perpendicularo oculi parallelam. Art. 9.

Imago objecti utcumque positi in tantum recedere a speculo non potest, ut perveniat ad centrum retinæ.

8. Imago objecti visa in speculo concavo, etsi citra verticem speculi appareat modo plus, modo minus, nunquam tamen ad locum oculi, id est, ad centrum retinæ venire potest, multo minus, ut putant scriptores optici, a tergo spectantis esse potest.

Sit enim speculum (fig. 6) A B C, centrum ejus

D, oculus ubicunque in E; supponaturque EA ita ducta ut reflexa ejus sit AC, secans EB oculi perpendicularum ad angulos rectos; sitque, primo, objectum FG, a cujus terminis F et G supponantur ductæ incidentes FH, GI, quarum reflexæ sint HE, IE, accedentes ad oculum in E. Ductis ergo BF, BG et productis quoad secant visuales EI, EH, in K et L, videbitur F in K, et G in L, quæ puncta K et L semper erunt inter oculum et speculum, propterea quod sunt in ipsis visualibus EH, EI. Rursus, sit objectum MN in ipsa linea apparitionis maximæ AC. Videbitur ergo N in recta AE, et M in recta CE. Sed videbitur quoque M in recta BN producta, et N in recta BM producta. Videbitur ergo M in O, et N in P, hoc est, inter oculum et speculum. Quod si MN esset tota in linea EB, hoc est, si non esset objectum reale, sed punctum mathematicum, tum angulus MBN omnino perit, coeuntibus cruribus in unicum rectam BE, quam quidem lineæ visuales secant ambæ in puncto E, id est, in ipso centro retinæ; sed merum punctum, cujus termini nulli sunt, imaginem sui facere non potest. Nunquam ergo imago erit in ipso oculo, neque post oculum. Quod erat probandum.

Coroll. 1. Quanto magis accedit objectum ad rectam AC, tanto imago ejus et major est et oculo propior: id quod patet ex ipsa diagrammatis inspectione.

9. In quo puncto objectum et imago se mutuo tangunt, in eo est centrum speculi. Supponamus (in figura sexta) positum esse objectum aliquod in ipso centro D; ductæ ergo incidentes coibunt cum semidiametro DB, et quoniam EDB est oculi per-

SECT. II.

6.

Punctum objecti quod est in centro speculi, oculo circa centrum collocato, in ipso centro apparuit.

SECT. II. 6. **pendiculum,** erunt reflexæ earum in eadem recta B D. Videbitur ergo objectum puntuale D (per articulum 6) in ipso centro D, modo punctum illud sumatur pro puncto physico, ut videri possit. Puncta enim mathematica nullo modo sensibilia sunt, sed tantum doctrinæ causa considerabilia. Punctum ergo objecti quatenus videri potest, positum in centro speculi, ibidem quoque apparet per reflectionem. Addatur jam objecto magnitudo, eaque ex utraque parte centri æqualis, ut objectum sit K L, et a punctis K et L ductis incidentibus K M, L N, quarum reflexæ sint M E, N E, junctisque B K, B L, visuales E M, E N secabunt B K, B L, ex una parte inter B et K, ex altera inter B et L; ut ostensum est ad finem articuli 6. Non ergo puncta K et L contingent imagines suas, sed unicum punctum D in centro positum id facit. Itaque si punctum objecti et imago ejusdem se mutuo tangunt, est contactus ille in centro speculi. Quod erat probandum.

Maxima confusio ubi sit.

10. Quod attinet ad confusionem quæ in certis oculi et objecti positionibus observari potest, maxima confusio tunc accidit quando objectum est in linea apparitionis maximæ, nempe ea quæ faciens cum perpendiculo oculi angulos rectos reflectitur utrinque ad oculum; qualis est in figura 6, recta A C. In ea igitur si ponatur objectum, ut M N, unumquodque ejus punctum videbitur tum in utraque visuali E A, E C, tum etiam in tertia visuali, ut in figura ipsa patet; nam M videtur in visuali I E, et N in visuali H E. Quod si oculus collocetur inter verticem et centrum speculi, maxima confusio tunc erit quando prope illud punctum collocatur oculus, in quo semidiameter ita divisa est, ut pars

ad verticem ad partem ad centrum eam habet rationem quam habet totum oculi perpendiculum ad speculi semidiametrum. Nam prope punctum illud omnes incidentes reflectentur ad oculi pupillam.

SECT. II
6.

CAPUT VII.

DE LOCO APPARENTE OBJECTI VISI PER REFRACTIONEM UNICAM.

1. Regula pro loco apparente objecti visi per unicam refractionem generalis. 2, 3, 4, 5, 6. Regulæ illius applicationes aliquot. 7, 8. Quare astra prope horizontem majora apparent quam culminantia. 9. Quare plures videntur stellæ fixæ nocte serena frigida quam tepida.

1. IN visione per unicam refractionem, id est, quando oculus est in uno medio, objectum in alio diversæ resistantiæ, considerandus est locus, in quo videtur si utrumque medium ejusdem esset naturæ; deinde considerandum est punctum, in quo fit refractionis. Est enim recta ab oculo ad illud punctum ducta, linea visualis puncti visi; cui si adjiciatur longitudo rectæ, quæ est a puncto objecti visi ad punctum refractionis, terminabitur tota in loco imaginis quæsitiæ. Quantum enim radius a puncto viso, qui visionis causa est, extenditur intra suum medium, tanto videbitur extendi in eodem medio secundum lineam visualem.

Regula pro loco apparente objecti visi per unicam refractionem generalis.

2. Si objectum sit linea recta, et statuatur in medio densiore, oculus autem in rariore, linea autem duo illa media distinguens sit recta, et objecto parallela, ut si, exempli gratia, objectum sit in aqua, oculus in aere, apparebit obliqua, et accedens semper ad lineam quæ media disternat.

Regulæ illius applicationes aliquot.

SECT. II. www.Sitt(in figura prima tabulæ hujus capitis) objec-

7.

Regulæ
illius appli-
cationes aliquot.

tum recta $A B C D$. Linea, quæ duo media disterminat, sit $E G H I$ recta et ipsi $A D$ parallela, quibus utrisque sit $F E A$ perpendicularis, statuaturque oculus in F . Et intra parallelas $A D$, $E I$ sit medium densius, ut aqua; medium vero inter F et $E I$ sit rarius, ut aer. His constitutis, videbitur A in ipso puncto A , propterea quod in puncto E ob actionis perpendicularitatem, nulla fiet refractionis. Sumatur aliud punctum B , et ducatur $B G$, ita ut, servatis refractionis legibus, refringatur ad oculum in F ; et ducta $F G$ producat ad K , ita ut $G K$ sit æqualis $G B$. Punctum igitur B apparebit in K , quæ cadet citra rectam $A D$, quia $G B$ minor est quam foret $G K$ continuata usque ad ipsam $A D$. Similiter, sumpto alio puncto C , ductaque $C H$ quæ refringatur etiam ad F , sumatur in producta visuali $F H$ recta $H L$ æqualis ipsi $C H$; eritque locus puncti C apparens in L . Eadem methodo inveniatur puncti D locus apparens M , omniaque illa puncta K , L , M , modo secundum rationem refractionis medio debitam operemur, cadent in lineam $A K L M$, quæ ad superficiem, in qua est recta $E I$, propius semper accedet: id quod erat ostendendum.

Qualis autem illa linea sit, difficile est determinare. Si $G K$, $H L$, $I M$ essent omnes æquales perpendiculari $E A$, tunc quidem linea $A M$ esset conchois vulgaris: nunc vero non est conchois, sed tamen quia, etsi in infinitum procederet atque ad lineam $E I$ semper accederet, nunquam tamen illam attingeret, videtur ea inter species innumeras linearum conchoidearum recte numerari posse.

3. Quod si (ut in figura secunda) medium, quod est intra parallelas $A D$, $E I$, sit rarius eo in quo est

oculus, si operemur secundum leges refractionis, objectum A D apparebit in A M, semper magis magisque recedens a recta A D. Demonstratio enim eadem est quæ propositionis præcedentis, nisi quod refractionis hic fiat versus perpendiculum, illic contra. Nam hic quoque G K, H L, I M sumuntur æquales ipsis G B, H C, I D, singula singulis.

SECT. II.

7.

Regulae
illius appli-
cationes aliquot.

4. Similiter (in figura tertia) ubi objectum supponitur in medio densiore, oculus in rariore, et linea separatrix arcus circuli, inventis ex lege refractionis lineis visualibus, si in illis sumatur G K, H L, I M æquales radiis G B, H C, I D, singulæ singulis, locus objecti apparens erit A M propior oculo quam est A D.

5. Item (in figura quarta) ubi supponimus objectum in medio rariore, oculum in densiore et lineam separatricem, ut ante, arcum circuli; si operemur secundum leges refractionis, inveniatur A M locus objecti apparens recedere ab oculo longius quam A D.

6. Præterea (in quinta figura) ubi supponimus A D esse arcum circuli, idemque objectum; lineam autem separatricem I E arcum quoque circuli, objectum autem A D esse in medio rariore, oculum F in densiore; locus apparens objecti A D erit A M remotior ab oculo quam A D, atque adeo fiet punctum D videri in M supra horizontem elevatius quam est ipsum objectum D; et ob eam causam solem, antequam oriatur, si sit nubes aliqua densa in I E, videri ortum, propter refractionem in I E nube.

Supposito autem (in fig. 3) quod objectum A D divisum sit in tres partes æquales A B, B C, C D, apparebit pars A B, quæ est propior ad verticem, minor quam B C, quæ est a vertice remotior, et

SECT. II. **hæc minor quam CD: nimirum, erit AK minor quam KL, et hæc quam LM; propterea quod quod radius inclinatio est, eo magis refringitur, ideoque angulus tam refractus quam refractionis fit major.**

7.

Quare astra prope horizontem majora apparent quam culminantia.

7. Quæsitum est quare sol et luna, aliave stella, majores prope horizontem videntur quam culminantes; cujus rei causam attribuunt plerique aeri ad certam quandam a terra distantiam densiori, quam qui est usque ad astra reliquus: tanquam esset facta refractionis luminis in crassioris aeris orbe quodam, quem vocant atmosphæram. Id vero quomodo fieri potest difficile est intelligere. Concipio bene aerem nostrum, cœlesti quidem impuriorem, nimirum halitibus ex terra marique densissime interspersis ubique plenum esse, (qui halitus non aliud est quam vel terræ minutissimæ partes, vel aquæ minutissimæ guttæ), et terræ propiorem semper esse impuriorem; sed non facit refractionem hujusmodi impuritas, nisi tales guttulæ omnes sese mutuo tangent, sed debiliorem tantum luminis actionem; et videri objectum, non quidem extra locum usitatum, sed minus lucidum, sicut accidit spectantibus objectum quodlibet per aerem denso pulvere interspersum. Cæterum ut aer ipse, qui pulvisculis illis interfuit, sit densior in uno loco quam in alio, intelligere non possum. Itaque, etiamsi ex articulo præcedente necesse sit, si hujusmodi detur atmosphæra, sequiturum inde esse ut astra majora appareant prout accedunt ad horizontem, tamen atmosphæra ejus phænomeni causa esse non potest: primo, quia in ea nulla fit refractionis: secundo, quia si esset, videretur sol sub majore angulo in horizonte quam sub meridiano; itaque etiam minorem efficeret umbrarum latitudinem oriens vel occidens

quam culminans; id quod est contra experientiam factam a doctissimo Gassendo, quam refert in epistola de *sole humili et sublimi*. Præterea, quando aliquid videtur majus propter refractionem quam sine refractione, videtur semper sub angulo visorio majore in refractione quam sine refractione; ut (in fig. 5) angulus LFM major est quam KFA , cum tamen objecta DC , BA , quorum imagines sunt ML , KA , sint æqualia. Ac si quis observaverit accurate sub quibus angulis visoriis videntur duæ stellæ fixæ, positæ in eodem circulo verticali, in diversis super horizontem altitudinibus, id quod fecit et in commentarios suos retulit idem doctissimus Gassendus, inveniet idem quod ille, nempe, eas stellas videri sub majore semper angulo prout supra horizontem magis elevantur. Id quod argumenti loco est, nullam esse omnino in ea atmosphæra refractionem. Nam puncto G (figuræ 6) posito pro centro terræ, in hujus superficie sit oculus F , et eodem G centro ducti duo circuli, alter in superficie extima atmosphæra qui sit EH , alter AD in ea distantia ab oculo quam videntur habere stellæ fixæ; sitque FD horizon, arcusque AD divisus trifariam rectis FB , FC . Manifestum est angulum AFB majorem esse angulo BFC , et hunc rursus angulo DFC , idque sine ulla omnino refractione. Causa itaque, quare astra in horizonte majora apparent quam supra horizontem, aliunde petenda est.

8. Ponamus itaque atmosphæram non esse corpus homogeneous, sed guttulis pulvisculisque ex aqua et terra elevatis interspersum, qualia corpora sunt nebulæ, quarum aliæ magis, aliæ sunt minus spissæ.

Jam, quoniam astra omnia, tam ea quæ terræ proxima quam ea quæ remotissima sunt, apparent

SECT. II.

7.

Quare astra prope horizontem majora apparent quam culminantia.

SECT. II. 7. *omnia in una* illa superficie cærulea, quod vulgo vocatur cœlum, ita ut an una quam altera a nobis magis distet, sine consideratione magnitudinum et virium quibus in oculos nostros agant, solo intuitu dijudicari non possit, ponamus pro superficie illa cœlesti (in fig. 6) arcum A D, sitque arcus atmosphæræ E H, et utriusque arcus centrum G. Sit oculus F, horizon F D. Quoniam jam diviso trifariam A D in punctis B et C, angulus AFB major est angulo BFC, et hic major angulo CFD; si divideretur angulus DFA in tres partes æquales, arcus DC major esset quam CB, et hic major quam BA, et proinde quæ videntur in superficie cœli, ab oculo posito in superficie terræ ut in F, sub angulis visoriis æqualibus, majora apparebunt, sine refractione, quam quæ sunt supra horizontem elatiora; et quia majora, apparebunt quoque aliquanto dilutiora, sive lumine temperatiore. Seorsim vero luna rubicundior est, propter interspersa in atmosphæra corpuscula illa terrea aqueaque, quæ a latere axis optici circumstantia radios solares in se receptos reflectunt ad oculum; unde excitati alii radii visuales, præter axem opticum, et in apparentem superficiem lunæ terminati, faciunt ut lumen ejus reddatur turbidum, eo modo quo dictum est supra generari colorem rubeum, id quod in sole propter lucem ejus ingentem minus conspicitur.

Quare plures
videntur stellæ
fixæ nocte se-
rena frigida
quam tepida.

9. Causa autem, quare cœlo sereno, nocte frigida, plures apparent stellæ fixæ quam alio tempore, est hujusmodi; quando aer serenus est, stellæ agunt per medium, in quo actioni earum impedimentum nullum est. Nam serenitas aeris tollitur aut vaporibus a terra elevatis, quod accidit interdum, vel recidentibus, quod accidit noctibus tepidis; quæ

res solæ obstant serenitati eademque solæ impediunt actionem illuminationis. Quare necesse est, ut quando actio stellarum fortior solito est, non modo majores videri quam alias, sed etiam sentiri et videri stellas quæ cælo minus sereno videri non poterant.

SECT. II.

7.

CAPUT VIII.

DE VISIONE POST DUAS REFRACTIONES, SIVE
DE DIOPTRIS VULGARIBUS, SPHÆRICE
CONVEXIS, VEL CONCAVIS.

1. Dioptra antiquis incognita. 2. Per dioptrum convexum refractus radius, quo punctum radians dioptro propinquius est, eo radium ab eodem puncto perpendicularem ex altera parte dioptri longius secat. 3. Per dioptrum concavum radius refractus a puncto propiore, magis divergit a perpendiculo quam radius a puncto remotiore. 4. Ratio quare dioptrum convexum semibus inservit. 5. Ratio quare dioptrum concavum servit lusciosis. 6. Locus imaginis per dioptrum sphæricæ convexum. 7. Locus imaginis per dioptrum convexum inverse. 8. Locus imaginis per dioptrum sphæricæ concavum. 9. Locus imaginis per dioptrum hyperboloeides, oculo existente in umbilico, seu foco exteriori.

1. ARMATURA oculorum, sive orbes illi vitrei, quibus utuntur hodie illi, qui objecta nudo oculo minus distincte cernunt, antiquis tum Græcis tum Latinis videtur fuisse incognita. De usu enim ejus scriptum ab illis nihil invenitur. E contra, conqueritur exilitatem literarum Platinus senex, quod necesse non fuisset si armaturam oculorum hanc nostram tunc habuissent. Specilla, perspicilla, dioptra, in ea significatione, nisi a modernis, nunquam usurpata sunt. Nos autem perspicilla dicimus vitreos orbes illos, per quos transientes radii in utraque

Dioptra antiquis incognita.

SECT. II. **8.** superficie utcunque refringuntur, antequam accedant ad superficiem oculi. Nam in ipso oculo radii omnes, præter axem opticum, refringuntur, ut supra declaratum est, nempe in tribus humoribus, aqueo, crystallino et vitreo.

Per dioptrum convexum refractus radius, quo punctum radians dioptro propinquius est, eo radius ab eodem puncto perpendiculararem ex altera parte dioptri longius secat.

2. Si linea recta perspicillum perpendiculariter secet, sitque superficies ejus una quidem spherice convexa, altera vero vel spherice convexa vel plana, sumptumque sit in ea recta punctum radians, cujus radius, incidens in punctum quodlibet superficiei dioptri ibique refractus, secet eandem rectam productus ex altera parte dioptri; radius a puncto quolibet ejusdem rectæ perpendicularis remotiore, refractus in eodem puncto dioptri, secabit eandem perpendiculararem ex altera parte dioptri propius.

Dioptrum AB (in figura prima) secet recta CD perpendiculariter in E et F , sumptumque in ea sit punctum G , a quo radius GH incidat in anteriorem superficiem dioptri ad H ; sitque refractus primo ad I , et inde ad punctum M . Sumatur rursus aliud punctum C remotius, a quo radius CH refractus sit ad L , et inde ad D . Dico punctum D propius esse dioptro quam punctum M .

Quoniam enim GH , CH concurrunt in H , cadet refracta radii CH inter refractam radii GH et perpendiculararem CD : propterea quod refractione amborum, tam in dioptro quam ante et pone ipsum, in eodem fit medio. Secabit igitur radius LD perpendiculararem CD inter M et F . Propius ergo est dioptro punctum D quam punctum M . Quod erat probandum.

Notandum autem est, quod si determinata sit positione linea $GHIM$, sumptumque ita sit punctum C , ut EC , FM sint æquales, radius ductus a C ad

superficiem anteriorem æqualis erit refractæ ductæ ab I in superficie posteriore ad perpendicularem, id est, CH, IM erunt æquales, sicut et GH, LD. Refracti autem radii partes illæ, quæ sunt intra ipsum dioptrum, et æquales erunt et se mutuo secabunt; propterea quod refractione per eadem media ab utrovis termino ad alterum per eandem fit lineam.

SECT. II.

8.

Coroll. Quo punctum radians in dato objecto perpendiculo CD propius est, vel radius ab eo obliquius incidit in dioptrum, eo longius procedit radius antequam eandem CD iterum secet. Quod ex eo manifestum est, quod radius RH secet CD in M, radius vero QH in D. Unde universaliter enuntiari potest, quanto radii erectiores sunt, vel ultra erectionem magis reclinatæ ad dioptrum convexum, tanto refracti citius concurrunt ex altera parte cum perpendiculo; ideoque etiam radii omnes ab eodem puncto axis optici procedentes eo minus in retina spatium occupant, quo punctum visum est remotius.

3. Si linea recta dioptrum secet perpendiculariter, sitque dioptri superficies una quidem spherice concava, altera vero vel spherice concava vel plana, sumptumque sit in ea recta punctum radians, cujus radius incidens in punctum quodlibet dioptri, ibique refractus, ab eadem recta ex altera parte dioptri divergat; radius a puncto quolibet ejusdem perpendiculi remotiore, refractus in eodem dioptri puncto, post refractiones suas ab eodem perpendiculo minus diverget.

Per dioptrum concavum radius refractus a puncto propiore, magis divergit a perpendiculo quam radius a puncto remotiore.

Dioptrum AB (in figura secunda) secet recta CD perpendiculariter in E et F, sumptumque in ea sit punctum G, a quo radius GH incidat in anteriorem superficiem dioptri ad H, et sit refractus ad

SECT. II.

8.

I, et inde ad N; sumptumque sit in eadem CD aliud punctum remotius C , a quo procedens radius CH , refractusque in utraque dioptri superficie, pergat per LM . Dico LM cadere inter IN et perpendicularem CD . Quoniam enim CH , GH se mutuo secant in H , cadet HL intra HI , et LM intra IN : minus ergo a perpendiculo CD divergit LM quam IN . Quod erat probandum.

Ratio quare diop-
trum convexum
senibus inservit.

4. Ex iis quæ jam dicta sunt, ratio apparet manifesta, quare dioptrum spherice convexum armatura oculorum propria est iis, qui causam visionis confusæ habent hanc, quod radii a quolibet objecti puncto in superficiem oculi oblique incidentes, quales sunt præcipue illi qui transeunt per pupillæ extremitates, incidunt in retinam longius ab axe optico, a parte axis eadem, quam visionis distinctæ natura postulat. Nam hujusmodi dioptrum, inter oculum et objectum in debita ratione positum, facit ut radii a quolibet puncto venientes ad superficiem oculi erectiores sint, et propterea in spatium retinæ circa axem opticum contractius incidant. Ex quo fit, ut uni puncto objecti physico unicum respondeat punctum physicum in retina, a quo ducta recta per retinæ centrum fit unius puncti unica tantum linea visualis.

Ratio quare diop-
trum concavum
servit lusciosis.

5. Similiter, manifesta ratio est quare lusciosorum (quibus, propter nimiam refractionem, radii ab uno puncto objecti incidentes in superficiem oculi secant axem opticum citra retinam, spatiumque in retina occupant nimium in partibus contrariis) propria armatura est dioptrum concavum; quod, positum loco inter oculum et objectum debito, facit ut radii obliqui incidant in superficiem oculi inclinatiores; unde iidem refracti axem opticum longius

secant, et spatium, quod in retina occupant, rursus evadat contractius. SECT. II.

6.

Notandum hic est quod vitium oculorum, quo laborant senes, consistit plerumque in nimia pupillæ dilatatione. Nam et sine diopetro, modo per foramen aliquod pupilla minus objectum intueantur, quo contingit radios illos, qui incidunt in partes pupillæ extremas, ressecari, satis distincte vident.

6. Si in visione directa datum sit punctum evanescentiæ, dabitur etiam locus apparens objecti visi per dioptrum convexum, quoties radii non secant axem opticum antequam perveniant ad dioptrum.

Locus
imagingis per
dioptrum optum
sicut convergentium.

Sit (in figura tertia) Dioptrum convexum AB , centrum retinæ C , objectum DE ; punctum autem D sit in recta CF , quæ incidit in utramque dioptri superficiem perpendiculariter ad H et I ; sitque punctum F punctum evanescentiæ in visione directa. Ducatur radius EG , qui juxta leges refractionis refringatur ad K , et inde ad C ; producta autem CK donec secet DE productam in M , sumatur CL æqualis et parallela ipsi DM ; juncta autem LF secet visualem CM in N , fiatque NO parallela ipsi ND . Dico DE objectum, visum per dioptrum convexum AB , appariturum in ON .

Videbitur enim punctum E in linea visuali CK , et punctum D in axe FC . Rursus, supposito quod objectum esset DM , visumque sub angulo visorio, in visione directa, DCM , apparebit DM in ON . Sed objectum DE in eadem distantia ab oculo C videtur, in visione per dioptrum AB , sub eodem angulo DCM sive OCN . Videbitur ergo DE per dioptrum AB in eadem ON . Nam apparentia sub eodem angulo visorio ab eadem distantia, in eodem apparent loco. Dato ergo puncto evanescentiæ in

SECT. II. visione directa, datur etiam locus apparens objecti
 8. visi per dioptrum convexum, &c. Quod erat propo-
 bandum.

Locus
 imaginis per
 dioptrum sphae-
 ricæ convexum.

Coroll. Objectum idem majus et propius apparet
 visum per dioptrum convexum quam oculo nudo.
 Nam ducta recta CE , et sumpta in CL recta CP
 ipsi DE æquali, junctaque PF secante CE in Q ,
 apparebit ED oculo nudo in QR minor quam NO ,
 et NO erit oculo propinquior.

Si constituta sint objectum, dioptrum et oculus,
 ut in figura tertia, contingatque ut visio sit dis-
 tincta, hoc est, ut omnes radii, qui ab E incidunt in
 dioptrum, accedant satis prope ad axem opticum
 FC productum in ipsa retinæ superficie; tunc moto
 objecto vel dioptro in alium locum, ita ut distantia
 quæ est inter objectum et dioptrum mutetur, dis-
 tantia autem inter dioptrum et oculum non mutetur;
 vel si hæc mutetur, illa non mutetur, erit facta visio
 confusa. Incident enim lineæ visuales in alia puncta
 retinæ, quæ nimis longe ab axe optico ultra citrave
 retinam secabunt; citra, si objectum admoveatur;
 ultra, si removeatur. Itaque servata distantia CI ,
 quæ est inter oculum et dioptrum, si objectum ED
 removeatur a dioptro longius, non modo, ut in
 visione directa, apparebit minus et remotius, sed
 etiam magis magisque confusum, eodem scilicet
 puncto viso in pluribus simul lineis visualibus.

Rursus, si dioptrum ab oculo removeatur, objec-
 tum autem suo loco maneat, contingit radios aliquos
 procedentes ab uno puncto, ut E , incidere in reti-
 nam ad eadem puncta, ad quæ incidunt radii quo-
 que aliqui ab alio puncto, ut a D . Itaque fiet visio
 rursus confusa, nimirum duobus pluribusve punctis
 visis in visuali eadem.

Præterea, ~~libet~~ post visionem redditam hoc modo quantum fieri potest confusissimam, remoto objecto a dioptro adhuc longius, videbitur rursus magis magisque distincte, et tandem, inversa quidem imagine, distinctissime, ut mox clarius explicabitur.

SECT. II.

8

7. Objecti visi per dioptrum convexum, imagine inversa, locus apparens inveniri potest, si modo ejusdem objecti locus apparens daretur in visione directa.

Locus
imaginis per
dioptrum con-
vexum inversæ.

Sit (in figura quarta) centrum retinæ A, dioptrum B C, cujus superficiem utramque secet axis opticus A D in E et F. Ducatur ab A ad superficiem dioptri B F C recta utcunque A G, quæ juxta leges refractionis refringatur ad superficiem B E C in H, et rursus refringatur per H I. Similiter, ducatur utcunque ad superficiem B F C alia recta A K, quæ refringatur ad L in superficie B E C, et inde per L N. Et ab I ducatur I N, secans A D perpendiculariter in O, et L N in N; intelligaturque O N I esse ipsum objectum. Porro producatu I H donec rectæ A P, quæ sit objecto O I parallela, occurrat in P, et producatu N L donec occurrat eidem A P in Q. Postremo, producantur A G, A K donec occurrant rectis P O, Q O in R et S. Dico ductam R S usque ad axem in T, nempe, R S T esse imaginem objecti O N I, id est, apparere punctum O in T, punctum N in S, et punctum I in R.

Sed antequam accedam ad demonstrationem, præmittam ea quæ in hujusmodi visione ad clariorem rei explicationem observanda sunt.

Quorum primum est, quod si objectum O I collocaretur prope dioptrum, ut in V X, ita ut a nullo ejus puncto radius pervenire posset ad punctum A ex parte E B, sed tantum ex altera parte E C, imago ejus non inversa sed naturali situ appareret.

SECT. II. **Secundo, si V X removeretur paulatim longius a**

8.

Locus
 imaginis per
 dioptrum con-
 vexum inversæ.

dioptro, imago ejus esset magis magisque confusa ; nam punctum ejus, quod incidere in intersectionem duorum radiorum I H, N L, appareret in utraque visuali A R et A S ; itaque videretur in duobus simul locis, id quod est confusio ; idemque contingeret in quibuslibet binis radiis se mutuo contingentibus. Et quoniam fere omnis radius omnem radium secat, necesse esset omne punctum objecti in omni linea visuali apparere, quæ ingens confusio esset ; id quod notavi in articulo præcedente, et hic ex figura ipsa manifestum est.

Tertio, si adhuc a dioptro removeretur in tantum ut a nullo ejus puncto radius pervenire posset ad A ex parte E C, id est, quando removeretur ultra punctum quod in visione per idem dioptrum non inversa est punctum evanescentiæ, tunc primum imago ejus et inversa videretur et distincta.

Supponimus itaque objectum O N I adeo a dioptro remotum esse, ut imago ejus et inverse et distincte videri possit ; jam his observatis, oportet ostendere imaginem objecti O N I esse R S T.

Intelligatur moveri objectum O I inter parallelas O D, I M indefinite. Cum ergo punctum I est in M, radius ab M, per quem refractum ad A debet fieri visio, incidet in B E propius ad E quam est punctum H ; et quo removeretur longius, semper accedit radius ejus propius ad E. Itaque si semper removeatur, semper diminuetur angulus quem facit radius a termino I cum axe optico D A ; et quo objectum longius removeretur, eo axem opticum secat in puncto propiore ad O. Evanescet igitur angulus in quo radii ab O et I se mutuo secant, in ipso O ; nullum enim punctum est inter O et F, in quo axis non secatur a radio procedente ab aliquo puncto

objecti ON . Est igitur O punctum in quo, si SECT. II.
 oculus esset in OD , producta usque ad objectum, 8.
 ita ut dictum est, remotum, visio objecti quod po- Locus
 nitur in ipso OI , evanesceret. Est igitur O punc- imaginis per
 tum evanescentiæ respectu oculi collocati in OD dioptrum con-
 quantum satis est producta; nimirum, si visio intel- vexum inverse.
 ligatur directa, nullo interposito dioptro. Et si qui-
 dem ab objecti ita remoti diversis punctis ducerentur
 rectæ quotlibet ad O , et productæ, esset idem punc-
 tum O punctum evanescentiæ respectu oculi positi
 in A , modo nullum esset interpositum dioptrum.

Sed posito dioptro BC , et producto in directum
 radio IH ut occurrat AP in P , fiet AP major
 quam OI propter refractionem in dioptro. Itaque
 pro eo quod in visione directa sumitur in AP recta,
 ut AZ , æqualis objecto OI , sumitur in visione per
 dioptrum inversa ipsum AP . Ducta igitur PO ,
 in ea videbitur alicubi punctum I ; nam si intel-
 ligatur removeri a dioptro objectum OI inter pa-
 rallelas OD , IM quantum opus est, semper dimi-
 nuetur angulus quem faciunt in intersectione radius
 IH et axis DA ; et per consequens semper dimi-
 nuetur angulus visorius donec penitus deveniat in-
 sensibilis in O , coeuntibus scilicet rectis IH et OF .
 Videbitur ergo semper punctum I in recta PO ;
 sed idem punctum I videtur semper in visuali AG .
 Videbitur ergo ad intersectionem in R . Similiter,
 producta NL usque ad occursum rectæ AP in Q ,
 et ducta QO , apparebit, propter eandem rationem,
 punctum N in intersectione QO et AK productæ.
 Punctum autem O videbitur in axe, quia axis op-
 ticus non refringitur. Totum ergo ONI apparebit
 inverse in RST . Inventus ergo est locus imaginis
 inverse, etc. Quod erat faciendum.

SECT. II. **8.** Si in visione directa datum sit punctum evanescentiæ, dabitur etiam locus apparens objecti visi per dioptrum sphaerice concavum.

8.
Locus
imaginis per
dioptrum sphae-
rice concavum.

Sit (in figura quinta) dioptrum sphaerice concavum AB , centrum retinæ C , objectum DE : punctumque D sit in axe optico CF secante utramque dioptri superficiem perpendiculariter in H et I : sitque punctum F punctum evanescentiæ in visione directa. Ducatur radius EG , qui juxta leges refractionis refringatur ad K et inde ad C . Producat visualis CK donec occurrat objecto DE in L , et rectæ DL sumatur parallela et æqualis CM . Ducatur deinde MF , quæ secet visualem CK productam in N . Sumatur rursus quodlibet aliud objecti punctum O , a quo radius OP refringatur ad Q , et rursus ad C , et producta sit visualis CQ , donec occurrat objecto DE in R . Deinde sumpta CS æquali rectæ DR , ducatur SF secans visualem CR in T . Ducta demum NT et producta ad axem in V , dico punctum E appariturum in N , punctum O in T , et totum objectum DE in NV .

Nam si DL esset objectum visum visione directa, appareret in VN . Supponitur enim F esse punctum evanescentiæ, et DL , MC esse æqualia; et proinde punctum L videretur in N , et punctum D in axe ad punctum V . Sed DE visum per dioptrum videtur sub eodem angulo visorio, sub quo angulo videtur DL absque dioptro, et sunt objecta DE , DL in eadem ab oculo distantia; videtur itaque DE , DL , alterum per dioptrum, alterum sine dioptro in eodem loco. Sed sine dioptro videtur DL in VN ; ergo etiam in VN videbitur DE per dioptrum. Eadem ratiocinatione ostenditur DO apparere in VT ; nam CS sumitur æqualis rectæ DR , exis-

tente puncto R in visuali C Q. Dato ergo puncto evanescentiæ F, datur locus objecti DE apparens per dioptrum, nempe VTN. Quod erat propositum.

SECT. II.

8.

Coroll. Manifestum hinc est, locum apparentem objecti, visi per dioptrum concavum, minorem esse quam in visione directa.

9. Si dioptrum sit hyperbolicum rectum, cujus umbilicus externus est in centro retinæ, objectum, quo magis a dioptri base removetur, eo apparebit et magis confuse et minus illuminatum. Locus autem ejus apparens semper erit idem, nempe prope basem.

Locus imaginis per dioptrum hyperbolicides, oculo existente in umbilico seu foco exteriori.

Sit enim, (in figura sexta) hyperbole ABC, cujus umbilicus externus sit D, in ipso centro retinæ. Sitque objectum EF in base hyperbolæ collocatum. Ducantur autem per E et F rectæ GH, IK axi parallelæ, quæ in superficie conoeidis hyperbolicæ refringantur per HD, KD; producanturque DH, DK ad L et M, ita ut HL, KM sint ipsis HE, KF æquales. Erit ergo (per Cap. VII. art. 1) locus puncti E apparens in L, et puncti F in M, et locus totius objecti EF in LM. Si intelligamus jam objectum EF removeri a dioptro inter parallelas EG, FI, quantum satis erit, angulus visorius LDM, sub quo videtur EF, et cujus vertex D in centro retinæ in tanta distantia collocatur a dioptro et centro retinæ, evanescet; eruntque omnes rectæ, quæ a quovis objecti puncto incidunt in EF, quoad sensum parallelæ, et plano EF perpendiculares. Supposito ergo quod puncta G et I essent in ea distantia ab EF, ut anguli EGF, FIE essent insensibiles, essent quoque rectæ GF, IE ad superficiem EF quoad sensum perpendiculares. Et proinde

SECT. II. ~~refringentur~~ per H D et K D ad centrum retinæ

8.

Locus imaginis
per dioptrum hy-
perbolicoïdes, etc.

D. Unde fieret ut G videretur non modo in visuali D H, sed etiam in visuali D K. Et per eandem rationem, quodlibet aliud punctum ejusdem objecti in eadem visuali videretur, in qua videtur quodlibet aliud punctum ejusdem objecti, id quod est videri confuse, et in majore distantia magis confuse. Quod est primum. Rursus, quoniam objectum E F, sive propius dioptro sive ab eo remotius statuatur, lumen suum habet determinatum (planum enim neque colligit neque minuit lumen) fortius aget prope collocatum, quam ex longinquo. Quanto ergo objectum remotius statuatur, tanto videbitur minus clarum. Quod est secundum. Postremo, quoniam objectum E F, in quantalibet remotione, videtur semper sub eodem angulo visorio H D K, et per media eadem, videbitur quoque semper in M D L, ideoque in eodem semper loco. Quapropter, si sit dioptrum hyperbolicum, etc. Quod erat ostendendum.

Adduxi autem ratiocinationem hanc ob eam causam, quod viderem a nonnullis dioptra magno labore frustra fabricari hyperbolica; ex persuasione falsa, illam figuram tum telescopiis tum microscopiis accommodam esse; id quod verum non est. Idem dici potest de dioptris ellipticis, propter rationes easdem. Quanquam ad comburendum figuræ eadem, ut supra ostensum est, omnium sint aptissimæ.

CAPUT IX.

DE DIOPTRIS DUPLICATIS, SIVE TELESCOPIO ET MICROSCOPIO.

- 1, 2, 3. De ratione distinctæ visionis per dioptra. 4. In telescopiis quanto dioptrum applicatum oculo minoris sphaeræ portio est, tanto ab altero dioptro magis removeri debet. 5. Objecti per telescopium visi, cujus alterum dioptrum est concavum, locus apparet. 6. Objecti per telescopium visi, cujus utrumque dioptrum est convexum, locus apparet. 7. Distantia oculi a dioptro facit ut plus minusve objecti videatur, non ut magis minusve confuse. 8. Telescopium quibus rebus fit melius. 9. Microscopii ratio, ejus quod componitur ex duobus dioptris convexis. 10. Microscopium et telescopium ex duobus vitris convexis, non fabrica differunt, sed usu.

1. PUNCTUM visibile minimum distinctissime, quantum natura patitur, tunc videtur, quando duo radii ab eo procedentes ad extremitates pupillæ ita refringuntur, ut coeant cum axe optico in ipsa retina. Et quamquam cæteri radii ab eodem puncto axem opticum secant antequam perveniant ad retinam, ex quo fit ut plus quam punctum hinc inde includant in superficie retinæ, et per consequens puncta physica valde minuta nunquam distincte cerni possint, tamen videntur magis distincte quando extremi radii coeunt in retina cum ipso axe, quam alias. Radii autem illi extremi plerumque non nisi insensibiliter differunt a parallelis; parallelæ autem vere esse non possunt, sed magis vel minus parallelæ pro diversitate figuræ, magnitudinis, et naturæ partium oculi; quibus rebus refractionis in oculi humoribus, in aliis aliquanto major, in aliis minor esse solet. Quæ ut melius animo concipiatur, inspiciamus figuram primam.

SECT. II.
9.

De ratione distinctæ visionis per dioptra.

SECT. II. 9. Sit (in figura prima) oculus A B C, centrum retinæ D, axis opticus N C. Super pupillæ extremitates A, B ducantur radii quoad sensum paralleli

De ratione distinctæ visionis per dioptra.

I A, K B, qui refringantur ad retinam in puncto C. Videbitur ergo punctum visibile in puncto N, quo productæ A I, B K coirent, non solum virtute radii irrefracti N C, sed etiam (Cap. II. art. 2) virtute radiorum refractorum A C, B C, in ipso axe optico. Cum itaque alius radius exterior in oculum non admittatur, nulla erit confusio nisi quæ oritur a radiis, qui cadentes inter A et B secant axem opticum paululum citra C, inciduntque in retinam ex utraque parte puncti C, et proinde (Cap. II. art. 3, coll. 1.) confuse quidem videbitur, quod evitari non potest, sed minus quam si alii etiam radii extra A, B ad retinam pervenirent. Nam ut punctum valde parvum discerni, id est, distincte videri possit, impossibile est, nisi omnes radii ab uno puncto ad unum quoque punctum refringi possent, id quod nulla figura earum, quas hactenus geometræ consideraverunt, efficere potest. Si jam I A, K B sensibilem efficiant angulum, erunt illi ita refracti ut cadant in retinam, alii ex una, alii ex alia parte puncti C sensibilibiter. Itaque per illos radios videbitur N magis confuse. Atque hæc ita se habent in visione directa; ubi unusquisque partes objecti satis magnas in omni fere distantia satis distincte videt præter myopes, quibus radii visorii cum axe, propter angustiam pupillæ, citra punctum C, et senes quibus, propter laxitatem ejusdem, ultra ipsum coeunt. His igitur radii extremi resecandi vel cogendi, illis distinendi sunt si videre distincte volunt, necesse est.

2. In telescopio, ut quis distincte videat, oportet ut iidem sint radii extremi qui fuerunt in visione

directa, alioqui non coibunt in axe cum retina; id quod ad distinctam visionem est necessarium.

SECT. II.

9.

Distantia inter se duorum dioptrorum, ex quibus conficitur telescopium, duabus rebus determinata est. I. Per distantiam objecti a dioptro, quod ipsi proximum est. II. Per sphaerarum magnitudines, ex quibus ipsa conficiuntur dioptra. Exempli causa; sit (in eadem figura prima) dioptrum concavum I K, secans A I, B K, parallelas quoad sensum, sed coeuntes alicubi, in punctis I, K. Jam refringatur A I, ut postulat natura dioptri concavi, per I G in partes ab axe optico aversas, et rursus I G refringatur, ut postulat natura dioptri convexi G H, per G N, ita ut punctum N sit in ipso axe. Manifestum est (cap. II. art. 2) quod radius refractus N G I A C, sicut etiam radius N H K B C facit videri punctum N in ipso axe: fit igitur distincta visio, dioptris et objecto, sicut positum est, quoad distantiam et magnitudinem determinatis. Quod si punctum N, stantibus dioptris, in tantum ad ipsa admoveatur, ut radii ab ipso ad extremitates pupillae sensibilem faciant angulum, vel stante objecto distantia mutetur dioptrorum, manifestum est radios refractos ultimos non fore I A, B K, et proinde refractos in oculo non esse casuros in punctum C, et proinde distincte videri non posse.

De ratione distinctae visionis per dioptra.

3. Rursus, si telescopium constet ex utroque dioptro convexo, ratio propter quam objectum distincte videtur eadem est quae prius.

Sit (in figura secunda) oculus A B C, centrum retinae D, axis opticus N D C; incidantque in pupillae extremitates duo radii quoad sensum paralleli A I, B K; sitque dioptrum I K convexum, cujus centrum sit E, et refringatur A I, pro natura dioptri,

SECT. II. 9. per I F ad dioptrum alterum in F. Similiter refringatur radius B K in H, secentque I F, K H axem opticum in G. Postremo refringantur I F, K H ad axem opticum per F N, H N. Videbitur itaque punctum N distincte in axe N D C propter rationes proxime supra declaratas. Nam radii per quos videtur N, nempe N F I A C, N H K B C, et axis opticus N D C, concurrunt in puncto C, et proinde linea visualis illis tribus radiis respondens (cap. II. art 2) erit ipse axis opticus: itaque punctum N in solo axe apparebit, id est, videbitur, quantum natura punctum videri patitur, distinctissime.

In telescopiis
quanto dioptrum
applicatum oculo
minoris sphaerae
portio est, tanto
ab altero dioptro
magis removeri
debet.

4. Dioptrum concavum, quanto minoris sphaerae portio est, tanto, ut objectum distincte videatur, distare a dioptro convexo longius debet.

Sit (in figura tertia) oculus A B C, centrum retinae D, axis opticus N C, dioptrum concavum I K M P, cujus centrum L. Dioptrum convexum G H, cujus centrum O. Objectum autem N in axe positum videatur distincte per radium N G I A C. Jam ablato dioptro I K M P, et in locum ejus substituto dioptro I K Q R portione sphaerae minoris, cujus centrum sit V, ducatur V T secans A I in T. Quoniam ergo angulus inclinationis radii A I est L I A, minor scilicet quam angulus V T A qui est angulus inclinationis radii A T, major erit angulus refractus radii A T refracti in puncto T, quam angulus refractus radii A I refracti in I. Sit jam radii A T refractus T X; magis ergo diverget ab axe optico T X quam I G. Non potest ergo T X ita incidere in dioptrum G H, ut refringatur ad axem opticum in puncto N, sed aut altius aut non omnino: non ergo sic videbitur punctum N distincte. Removendum est igitur dioptrum G H longius a dioptro

IK; removeatur ergo ad X, ita ut centrum ejus, quod ante erat in O, nunc sit in Z; occurratque TX dioptro sic remoto in X. Angulus igitur inclinationis radii TX est ZXT, major quam OGI angulus inclinationis radii IG. Quare angulus refractus radii TX major est quam angulus refractus radii IG; itaque major refractione, quæ facta erat in dioptro minoris sphaeræ concavo in parte ab axe aversa, compensatur in dioptro convexo remoto per majorem refractionem versus axem. Si igitur distantia duorum dioptrorum justa fiat, id quod experiendo facile fit, radius TX refringetur ad ipsum punctum N; ideoque videbitur N distincte per dioptra magis quam prius inter se distantia. Quanto itaque dioptrum concavum minoris sphaeræ portio est, tanto magis a dioptro convexo distare debet, si modo videre objectum distincte volumus. Ratio autem, propter quam dioptrum concavum quo minoris sphaeræ portio est eo magis distare debet a dioptro convexo, valet etiam ad probandum idem de dioptro quod oculo proximum est, etiam si convexum fuerit. Quanto enim dioptrum convexum minoris sphaeræ portio est, tanto in eo refractione major est, et propterea tanto radius in eo refractus secat axem opticum propius oculo; et proinde, cum axem secuerit, magis ab ipso divergit: unde sequitur ut tanto major refractione in dioptro altero fiat, ut ad punctum axis, in quo objectum positum est, reducatur; ex quo sequitur angulum inclinationis majorem debere esse in dioptro quod objecto obvertitur. Id quod tum fit, cum dioptrum illud ab altero magis distat.

5. Locus objecti apparens per telescopium, cujus

SECT. II. ~~dioptrum oculo applicatum concavum est, deter-~~
 9. ~~minatur hoc modo.~~

Objecti per
 telescopium visi,
 cujus alterum di-
 optrum est con-
 cavum, locus ap-
 parens.

Sit (in figura quarta) oculus A B C, centrum re-
 tinæ D, axis opticus L H D C, dioptrum concavum
 M N, dioptrum convexum R Q: quæ dioptra ita
 collocata esse supponantur, ut punctum objecti H
 distincte videatur; sitque totum objectum H I K.
 Sumatur in objecto punctum quodlibet I, et duca-
 tur radius I Q, qui refractus in Q per Q M refringa-
 tur rursus per M D ad centrum retinæ; videbitur
 ergo punctum H in axe D H, et punctum I in D M
 producta: nam per conversionem oculi, quæ fit in
 objecti partibus legendis, erit nunc D M axis op-
 ticus, qui produci intelligatur recta via ad O. Si-
 militer, radius a puncto K refringatur per R N,
 et inde per N D. Videbitur ergo punctum K in
 linea visuali D N, quæ producatuſ usque ad P. Erit
 ergo locus apparens puncti H in D H, puncti I in
 D O, et puncti K in D P. Supponamus jam punc-
 tum evanescentiæ objecti H I K esse in L, et fiat D S
 æqualis et parallela rectæ H P; et D T sumatur in
 ipsa D S æqualis rectæ H O, junganturque L T, L S.
 Quare locus apparens puncti I est in L T, et locus
 apparens puncti K in L S. Sed erant eadem loca
 in D O, D P; sunt ergo in intersectionibus recta-
 rum D O, D P cum rectis L T, L S, id est, in punc-
 tis V et X. Ducta igitur V X et producta ad axem
 in Y, erit Y X V locus apparens objecti H I K, ut
 propositum est, determinatus.

Objecti per
 telescopium visi,
 cujus utrumque
 dioptrum est con-
 vexum, locus ap-
 parens.

6. Eodem etiam modo determinatur locus objecti
 apparens per telescopium, cujus dioptrum oculo
 proximum est convexum; nisi quod radii, antequam
 ad oculum perveniant, axem opticum et se invicem
 secent.

Sit (in figura quinta) oculus A B C, centrum retinæ D, axis opticus E D C, dioptrum convexum oculo proximum F G, dioptrum quod objecto obvertitur H I; quæ dioptra ita collocari intelligantur, ut punctum objecti, puta E, in axe positum, distincte videatur; sitque totum objectum E K L. Sumatur in objecto punctum quodlibet K, a quo procedat radius K I, qui refractus in dioptro I H secet axem opticum in M, pergatque ad G, et inde refringatur ad centrum retinæ D, et producta D G linea visualis, in qua videbitur punctum K, secet L E productam in P. Similiter, radius a puncto L sit L H, qui refractus secet axem opticum in O, pergatque ad F, et inde refringatur ad D; eritque D F linea visualis puncti L, quæ producta secet L E productam in N. Videbuntur ergo puncta E, K, L in rectis D E, D P, D N. Fiat deinde rectæ E N parallela et æqualis D Q, in qua sumatur D R rectæ E P æqualis. Jam supposito puncto evanescentiæ alicubi in producto axe D E, in quo concurrant duæ rectæ ductæ a Q et R, quæ rectæ sint Q S, R T, in illis apparebunt puncta L et K. Sed illa eadem apparent in D N, D P; apparent ergo in intersectionibus ad V et X. Itaque ducta V X, et producta ad axem opticum in Y, apparebit objectum totum E K L, ordine partium inverso, in Y X V.

Nota autem quod V Y non apparebit inter duo dioptra, nam (per ea quæ dicta sunt capite præcedente art. 6) apparebit dioptrum ipsum I H in Z Z. Præterea, consideret lector quod in figura hac et præcedente, quarum magnitudines ad brevissimæ chartæ modulum limitandæ erant, non potuit depingi objectum in tanta ab oculo distantia, quanta requiritur, ut vocari debeat telescopium, quod sig-

SECT. II.

9.

Objecti per telescopium visi, etc.

SECT. II. **9.** **nificat instrumentum** quo res videntur a longinquo, sed potius microscopium, quo scilicet objecta minuta apparent magna; ratio tamen eadem est. Nam telescopium quodlibet, si adhibeatur ad objecta videntia quæ sunt in proximo posita, et ob eam causam dioptra ejus, quantum satis est, diducantur, fit microscopium.

Distantia oculi a dioptra facit ut plus minusve objecti videatur, non ut magis minusve confuse.

7. In telescopiis locus oculi non magnopere consideratur. Nam si quidem dioptrum oculo proximum sit concavum, quanto propior ipsi oculus applicatur, tanto plus videtur objecti. Nam qui inspiciet figuram quartam, facile animadvertet quod remoto puncto D longius a dioptra MN , radium $KRNAD$ non posse cadere in centrum retinæ; perit itaque puncti K radiatio. Itaque prout removeatur oculus, ita extremarum partium objecti radiatio nihil agit, et proinde in remotione majore totius objecti visio amittitur. Contra, inspiciendo figuram quintam, manifestum est quod si punctum D propius sit dioptra FG , radium LHF non posse refringi ad D , sed necessario axem secare infra ipsum, ideoque perire visionem puncti L . Quod si ipsum dioptrum FG finiatur in F , ut non sit locus irradiationi extra punctum F , et removeatur punctum D longius a dioptra FG , sic quoque peribit visio puncti H . Itaque in axe optico locus centri retinæ unicus existit, ubi objecti partes plurimæ videri possunt; ita ut centro D inde moto sive propius ad dioptrum sive ab eo longius, minus objecti semper apparebit. Est autem locus ille a quo radium cum axe optico in ipsa retina concurrentes transeunt per dioptri ab oculo remotioris terminos extremos.

Telescopium quibus rebus fit melius.

8. Telescopiorum, tum in quibus dioptrum oculo applicandum concavum est, tum quæ dioptrum

illud convexum habent, optimum illud est, cujus dioptrum, quod objecto obvertitur, maximæ sphaeræ portio est; modo cætera, nimirum vitri materia et figuræ accurata efformatio, paria sint. Nam et major erit angulus visorius, unde majus apparebit objectum, et pluribus radiis fiet illuminatio; ita ut quamvis majus appareat objectum, non tamen ideo minus videatur clarum. Ideoque in distincte videndis remotorum objectorum partibus minutioribus, ope telescopii eo usque progredi potest scientia humana, quousque materia idonea manusque artificum non repugnent. Potest quidem fieri ut per dioptrum convexum sphaeræ mediocris portionem, objecti, quantum quis velit, magnitudo apparens ampliatur; dioptro scilicet altero facto minore: sed tamen inutiliter, cum in omni magnitudine apparente, ubi dioptrum quod objecto obvertitur idem manet, etiam lumen idem erit; quod quidem lumen in majore totius apparentia idem existens, erit tamen in partibus singulis minus quam in partibus æqualibus, ubi magnitudo apparens minor est.

9. Microscopium optimum (nam vitra pluribus modis conformantur et conjunguntur ad reddendam magnitudinem apparentem minorum objectorum majorem) illud est, quod fit ex duobus dioptris convexis, quorum, quod minoris sphaeræ portio est, objecto applicatur, alterum inter ipsum et oculum interponitur; ita ut microscopium hoc nihil aliud sit præter telescopium inversum. Rationem constructionis ejus (adhibita figura sexta), nunc explicabimus.

Sit (in figura sexta) oculus A B C, centrum retinæ D, axis opticus E D C. Sit dioptrum majus

SECT. II.

9.

Microscopii ratio, ejus quod componitur ex duobus dioptris convexis.

SECT. II. www.libtoci.com.cn sive quod oculo proximum est, F G H I, dioptrum
 9. autem minus objecto applicatum sit K L M N. Sit
 Microscopii ratio, ejus quod componitur ex duobus dioptris convexis. jam a centro retinæ D ducta D H, quæ sit refracta
 ad F, deinde ad K, deinde ad O in superficie dioptri
 M O N, postremo ad P. Similiter, ex altera parte
 ducatur refracta D I G L O Q, sitque objectum P Q ;
 apparebit igitur P in visuali D H producta : pro-
 ducatur autem D H ad occursum productæ P Q in
 T. Propter eandem causam apparebit punctum Q
 in visuali D I producta : producat autem ad V.
 Jam rectæ E T fiat æqualis et parallela D X, intel-
 ligaturque X Y ita esse ducta, ut producta incideret
 in axem opticum C E ad punctum evanescentiæ ;
 secet autem X Y visualem D T in puncto Z. Ap-
 parebit igitur P in Z : ductaque Z α parallela rectæ
 T V, et secante D V in α , apparebit punctum Q in
 α , et totum objectum P E Q, ordine inverso, in Z α .
 Ut autem sine confusione videatur, ita collocari
 debent dioptra F G et M N, ut a quolibet puncto
 objecti, ut P, radii duo exeuntes, ut P M, P N, ita
 refringantur ut cum venerint ad superficiem
 dioptri F G, tendant ad oculum parallelōs, saltem
 quoad sensum, ut inde refracti concurrant in retina
 cum H A D producta, quæ per conversionem oculi
 est axis opticus, in puncto β . Sic enim fiet ut
 punctum P, unde procedunt radii refracti P M R β ,
 P N S β , appareat in visuali β D A H Z, id est, ut
 distincte videatur, modo radius nullus a puncto
 alio per refractionem veniat ad idem punctum β ;
 id quod caveri potest et solet tegendo superficiem
 dioptri minoris alteram, nimirum aut anteriorem
 omnem excepta parte M N, aut posteriorem omnem
 excepta K L, ita ut radiis a quolibet objecti puncto
 procedentibus tantus ad transitum relinquatur locus,

quantus sufficit ad transmittendum radios in retina coituros: nam foramen MN si majus justo sit, orietur confusio a radiis, qui ab aliis punctis objecti transitum invenient ad idem punctum β ; sin minus justo sit, orietur obscuritas, propter radiorum utilium exclusionem.

SECT. II.

9.

10. Quemadmodum telescopia, augendo magnitudinem sphaerarum ex quibus dioptra eorum conficiuntur, meliora semper fiunt, quousque ad perfectionem tantam perveniant, ut materia et artificum manus tendere ulterius non possint; ita quoque in hoc genere microscopiorum procederetur objecta minuta amplificando per dioptra majoris sphaerae, si pateretur materia et manus, in infinitum; cujus rei ratio eadem est, quam supra (art. 4) explicuimus, cum loqueremur de telescopiis. Est enim microscopium idem instrumentum cum eo telescopio, cujus utrumque dioptrum est convexum. Nam hujusmodi telescopium inversum et in majorem longitudinem diductum fit microscopium; et contra, microscopium inversum et contractum fit parvum telescopium.

Microscopium et telescopium ex duobus vitris convexis, non fabrica differunt, sed usu.

Tam telescopium quam microscopium ex uno solo diopthro constare potest; quo si utimur ad ea quae procul sunt amplificanda, oportet ut portio sit sphaerae valde magnae, oculusque ab eo retrahendus est in tantum, ut multo incommodius sit quam quod fit ex dioptris duobus. Similiter, unum dioptrum solum facit ut objectum propinquum valde augeri videatur; sed neque tantum quantum duo dioptra, neque a tantula distantia. Quare de his nihil amplius dicam.

CAPUT X.

DE SERMONE ET SCIENTIIS.

1. Sermo definitus; homini proprius. 2. Sermonis origo. 3. Sermonis commoda et incommoda. 4. Scientia et demonstratio oriuntur ex cognitione causarum. 5. Theoremata demonstrabilia sunt in iis tantum rebus quarum causæ in nostra potestate sunt; in cæteris tantum demonstrabile est ita esse posse.

SECT. II.

10.

Sermo definitus;
homini proprius.

1. SERMO sive oratio est vocabulorum contextus arbitrio hominum constitutorum, ad significandam seriem conceptuum earum rerum quas cogitamus. Itaque ut vocabulum est ad ideam sive conceptum unius rei, ita est sermo ad discursum animi. Et videtur homini proprius esse. Nam etsi nonnulla animalia bruta concipiunt, usu docta, ea quæ volumus et imperamus, propter verba, non tamen id faciunt propter verba quatenus verba, sed quatenus signa sunt; nam ad quam rem significandam arbitrio hominum constituta sunt, nesciunt.

Significatio autem, quæ fit per vocem unius ad alterum in eodem genere animalium, ideo sermo non est, quia non arbitrio ipsorum sed necessitate naturæ suæ voces illæ, quibus spes, metus, gaudium, etc., significantur, ab ipsis passionibus vi exprimuntur. Fit itaque in animalibus, quorum vocibus minimam contingit inesse varietatem, ut altera ab alteris diversitate vocum in periculis moventur ut fugiant, evocentur ad pastum, excitentur ad cantum, sollicitentur ad amorem; non tamen voces illæ sermo sunt, cum non voluntate ipsorum constitutæ sint, sed erumpant vi naturæ a proprio

cujusque metu, gaudio, cupidine, et cæteris passionibus ; id quod non est loqui, ut ex eo manifestum est, quod animalium, quæ ejusdem sunt speciei, ubi vis terrarum voces eædem, hominum diversæ sunt.

SECT. II.
10.

Itaque cætera animalia etiam intellectu carent. Est enim intellectus imaginatio quidem, sed quæ oritur ex verborum significatione constituta.

2. Cum autem vocabula ex constituto humano Sermonis origo. orta esse dixerim, quæret fortasse aliquis, quorum hominum constitutiones tantum valere, ut beneficium, quantum præstat nobis sermo, in genus humanum conferre potuerunt. Nam convenisse quondam in consilium homines, ut verba verborumque contextus quid significarent decreto statuerent, incredibile est. Credibile ergo est nomina ab initio pauca fuisse, et earum rerum quæ maxime erant familiares. Itaque primus homo suo arbitrio animalibus quibusdam tantum nomina imposuit, nimirum quæ a Deo in conspectum ejus adducta erant ; deinde rebus aliis, prout aliæ aliæque rerum species sensibus ejus sese obtulerunt ; quæ nomina a patribus accepta filii posteris suis tradiderunt, qui etiam alia adinvenerunt. Sed cum in capite secundo Geneseos prius dicatur Deus *esum fructus arboris scientiæ boni et mali* prohibuisse, quam Adamus dedisset nomina rebus ullis, quomodo mandatum Dei intelligere potuit ille, qui quid esset *edere*, quid *fructus*, quid *arbor*, quid *scientia*, quid denique *bonum* vel *malum*, adhuc ignoravit ? Necessè ergo est ut prohibitionem illam divinam intellexerit Adamus non ex vi verborum, sed modo aliquo supernaturali, ut paulo post manifestum fit ex eo, quod interrogat eum Deus, quis illi indicavit quod esset nudus. Similiter, quomodo potuit ser-

SECT. II. ^{10.} ~~penitentem~~ intelligere loquentem de morte, cujus nullam habere potuit ideam Adamus, primus mortalium? Hæc ergo naturali modo intelligi non potuerunt; et per consequens, origo sermonis naturaliter alia esse non potuit præter ipsius hominis arbitrium. Quod magis adhuc perspicuum est ex linguarum ad Babel oblivione. Nam ex eo tempore linguæ ortæ sunt diversæ, et a singulis hominibus in singulas gentes derivatæ. Quod autem dicunt aliqui, imposita esse singulis rebus nomina juxta ipsarum rerum naturam, puerile est. Qui enim fieri potuit, cum una sit ubique natura rerum, diversæ tamen essent linguæ? Et quid habet affine *vox*, id est sonus, et animal, quod est corpus?

Sermonis
commoda et
incommoda.

3. Ab oratione quæ contingunt commoda, præcipua hæc sunt. Primo, quod ope nominum numeralium homo possit numerare non modo *unitates*, sed etiam *una*, quæcunque ea sunt; ut corpora, quatenus sunt ullo modo quanta, sive longa, sive longa et lata, sive longa lata et crassa; eademque componere, minuere, et per numeros multiplicare et dividere, et inter se comparare; etiam tempora, motum, pondera, et in qualitatibus gradus intensiōnis et remissionis calculo subjicere. Ex quibus rebus vitæ humanæ, supra conditionem cæterorum animalium, ingentia commoda oriuntur. Artium enim harum usus quantus sit in mensurandis corporibus, in calculo temporum, in computatione motuum cælestium, in orbis terrarum descriptione, in navigationibus, in ædificiis, in machinis aliisque rebus necessariis, nemo est qui nescit. Quæ omnia a numeratione proficiscuntur, a sermone autem numeratio. Secundo, quod alter alterum docere, id est, scientiam suam alteri communicare, quod

monere, quod consulere possit, ab eadem habet oratione; ita ut bonum, per se magnum, fiat jam communicando adhuc majus. Tertio, quod imperare et imperata intelligere possimus, beneficium sermonis est, et quidem maximum. Nam sine eo nulla esset inter homines societas, nulla pax, et consequenter nulla disciplina; sed feritas primo, et deinde solitudo, et pro domiciliis latibula. Quamquam enim quibusdam animalibus suæ quædam sint politicæ, non sunt tamen illæ illis satis magni momenti ad bene vivendum; neque ergo merentur ut illas consideremus; inveniunturque in animalibus tantum inermibus nec multarum rerum indigis: in quorum numero homo non est, qui quantum enses et sclopeti, arma hominum, superant arma brutorum, cornua, dentes, aculeos, tantum homo lupos, ursos, serpentes, qui ultra famem rapaces non sunt, nec nisi lacessiti sæviunt, rapacitate et sevitia superat, etiam fame futura famelicus. Ex quo facile intelligitur quantum orationi debemus, qua sociati et in pacta consentientes, secure, beate, ornate vivimus; vivere, inquam, possumus si volumus. Sed sunt quoque orationi sua incommoda; nimirum, quod homo, cum solus animalium, propter vocabulorum significationem universalem, regulas sibi, cum in aliis artibus, tum in arte vivendi, excogitare possit generales, solus etiam falsis uti potest, easdemque aliis utendas tradere. Itaque latius et periculosius errat homo, quam possunt errare cætera animalia. Etiam homo, si libuerit, (libebit autem quoties consiliis suis videbitur expedire,) poterit quæ falsa esse scit data opera docere, id est, mentiri, et animos hominum conditionibus societatis et pacis infestos reddere: id quod in so-

SECT. II.

10.

Sermonis
commoda et
incommoda.

SECT. II. ^{10.} **cietatibus aliorum animalium contingere non potest;** quia quæ bene et male sibi sunt, suis sensibus non aliorum æstimant querimoniis, quarum querimonia-
 riarum causas, nisi vident, intelligere non possunt. Præterea, consuetudine audiendi contingit aliquando iis, qui philosophos et scholasticos audiunt, ut verba quæ audiunt, etsi nulla ex illis sententia exprimi possit, qualia sunt illa quæ a doctoribus ad ignorantiam suam tegendam inventa sunt, temere tamen recipiunt, iisque utuntur, putantes se dicere aliquid cum nihil dicant. Denique propter loquendi facilitatem homo, quæ ne cogitat quidem, loquitur, et quæ loquitur credit vera esse, et seipsum decipere potest; bestia seipsam fallere non potest. Itaque oratione homo non melior fit, sed potentior.

Scientia et demonstratio oriuntur ex cognitione causarum.

4. *Scientia* intelligitur de theorematum, id est, de propositionum generalium veritate, id est, de veritate consequentiarum. Quando vero de veritate facti agitur, non proprie *scientia*, sed simpliciter *cognitio* dicitur. Itaque scientia ea quidem, qua scimus propositum, aliquod theorema esse verum, est cognitio a causis, sive a generatione subjecti per rectam ratiocinationem derivata. Ea vero, qua scimus tantum possibile esse ut theorema tale verum sit, est cognitio derivata per legitimam ratiocinationem ab experientia effectuum. Quæ quidem derivationes ambæ vocari solent demonstrationes: potior tamen illa quam hæc; et quidem merito; præstat enim scire quomodo possimus præsentibus causis optime uti, quam irrevocabile præteritum, quale fuit, cognoscere. Itaque earum tantum rerum scientia per demonstrationem illam a *priore* hominibus concessa est, quarum generatio dependet ab ipsorum hominum arbitrio.

5. Demonstrabilia ergo sunt theoremata plurima circa quantitatem, quorum scientia appellatur geometria. Cum enim causæ proprietatum, quas habent singulæ figuræ, insint in illis quas ipsi ducimus lineas; generationesque figurarum ex nostro dependeant arbitrio; nihil amplius requiritur ad cognoscendam quamlibet figuræ propriam passionem, quam ut ea omnia consideremus, quæ consequuntur constructionem quam in delineanda figura ipsi facimus. Itaque ob hanc rem, quod figuras nos ipsi creamus, contigit geometriam haberi et esse demonstrabilem. Contra, quia rerum naturalium causæ in nostra potestate non sunt, sed in voluntate divina, et quia earum maxima pars, nempe æther, est invisibilis; proprietates earum a causis deducere, nos qui eas non videmus, non possumus. Veruntamen ab ipsis proprietatibus quas videmus, consequentijs deducendo eo usque procedere concessum est, ut tales vel tales earum causas esse potuisse demonstrare possimus. Quæ demonstratio a *posteriore* dicitur, et scientia ipsa, physica. Et quoniam ne a posterioribus quidem ad priora ratiocinando procedi potest in rebus naturalibus, quæ motu perficiuntur, sine cognitione eorum quæ unamquamque motus speciem consequuntur; nec ad motuum consequentijs sine cognitione quantitatis, quæ est geometria; fieri non potest ut non aliqua etiam a physico demonstratione a priori demonstranda sint. Itaque physica, vera inquam physica, quæ geometriæ innititur, inter mathematicas mixtas numerari solet. Mathematicæ enim dici solitæ sunt illæ scientiæ, quæ non usu et experiendo, sed a magistris et per regulas discebantur. Mathematica ergo pura est, quæ circa quantitates versatur

SECT. II.

10.

Theoremata demonstrabilia sunt in his tantum rebus quarum causæ in nostra potestate sunt; in cæteris tantum demonstrabile est ita esse posse.

SECT. II. 10. in abstracto, ut opus non habeat cognitione sub-
jecti, ut geometria et arithmetica: mixtæ vero, in
quarum rationibus consideratur etiam subjecti ali-
qua proprietas, quales sunt astronomia, musica,
physica, et partes physicæ, quæ variæ esse possunt
pro varietate specierum et partium universi.

Præterea politica et ethica, id est scientia *justi* et
injusti, *æqui* et *iniqui*, demonstrari a priori potest;
propterea quod principia, quibus *justum* et *æquum*
et contra, *injustum* et *iniquum*, quid sint, cognos-
citur, id est, justitiæ causas, nimirum leges et pacta,
ipsi fecimus. Nam ante pacta et leges conditas,
nulla neque justitia neque injustitia, neque boni
neque mali publici natura erat inter homines, magis
quam inter bestias.

CAPUT XI.

DE APPETITU ET FUGA, JUCUNDO ET MOLESTO, ET EORUM CAUSIS.

1. Appetitus et fuga quid sint, et a quibus causis.
2. Non dependent a nostro arbitrio.
3. Appetitus nascitur experiundo.
4. Boni nomina varia, pulchrum, jucundum, utile.
5. Boni et mali nomina adhuc diversa.
6. Bonorum maximum sui cuique conservatio; maximum malum, respectu naturæ, corruptio.
7. Divitiæ.
8. Sapientia.
9. Artes.
10. Literæ.
11. Negotia.
12. Jucunda quæ.
13. Pulchra quæ.
14. Bona comparata.
15. Summum bonum.

Appetitus et
fuga quid sint, et
a quibus causis.

1. APPETITIO et fuga a voluptate et molestia non
aliter differunt, quam desiderare a frui, id est, quam
futurum a præsentis. Nam et appetitio voluptas,
et fuga molestia est; sed illa e jucundo, hæc e
molesto, nondum præsentis sed prævisio aut expectato.
Voluptas autem et molestia, etsi sensationes

non dicantur, differunt tamen in hoc tantum, quod sensio sit objecti, ut externi, propter reactionem sive resistantiam quæ fit ab organo; et proinde consistit in conatu organi extrorsum; voluptas autem consistit in passione quæ fit ab actione objecti, et est conatus introrsum.

SECT. II.

11.

2. Causæ ergo, ut sensionis, ita appetitus et fugæ, voluptatis et molestiæ, sunt ipsa objecta sensuum. Ex quo intelligi potest neque appetitum nostrum neque fugam nostram causam esse quare hoc vel illud cupimus vel fugimus; id est, quod non ideo appetimus quia volumus. Nam voluntas ipsa est appetitus; nec fugimus quia nolumus, sed quia tum appetitio tum aversio ab ipsis rebus cupitis vel exosis generata est, sequiturque necessario præconceptum jucunditatis molestiæque ex ipsis objectis adfuturæ. Quid enim? An esurimus, cæteraque naturæ necessaria appetimus, quia volumus? An fames, sitis, et cupidines voluntariæ sunt? Appetentibus *agere* quidem liberum esse potest; ipsum autem *appetere* non potest; quod ita cuilibet propria experientia manifestum est, ut non possim non admirari tam multos esse, qui quomodo id fieri possit non intelligunt. Quando dicimus liberum esse alicui arbitrium hoc vel illud faciendi vel non faciendi, semper intelligendum est cum apposita conditione hac, *si voluerit*; nam ut quis liberum arbitrium habeat faciendi hoc vel illud utrum velit necne, absurde dicitur.

Non dependent
a nostro arbitrio.

Quando quæritur ab aliquo, utrum rem aliquam propositam facere debeat an prætermittere, dicitur *deliberare*, id est, quam in utramque partem habet libertatem deponere. In qua deliberatione, prout commoda et incommoda hinc vel illinc se ostendunt,

SECT. II. 11. alternatim appetunt et fugiunt, donec re postulante ut aliquid decernant, appetitus ultimus sive faciendi sive omittendi, qui actionem vel omissionem immediate producit, proprie *voluntas* dicitur.

Appetitus nascitur experiundo.

3. Prior secundum naturæ methodum est *sensio* quam *appetitus*. Utrum enim id quod videmus jucundum necne futurum sit, nisi experiundo, id est sentiendo, sciri non potest. Itaque vulgo dicunt ignoti cupidinem non esse. Veruntamen cupido experiundi etiam ignoti esse potest. Inde est quod infantes pauca appetunt, pueri plura et nova tentant, et procedente ætate innumera experiuntur homines maturi, præsertim eruditi, etiam non necessaria; quæque jucunda esse experti sciunt, postea sollicitante memoria sæpius appetunt. Etiam aliquando quæ prima experientia molesta sunt, si tamen rara aut nova fuerint, consuetudine redduntur non molesta, et postea jucunda; tantum potest in natura singularium hominum mutanda consuetudo.

Boni nomina varia, pulchrum, jucundum, utile.

4. Omnibus rebus, quæ appetuntur, quatenus appetuntur, nomen commune est *bonum*; et rebus omnibus, quas fugimus, *malum*. Itaque *bonum* bene definivit Aristoteles, illud esse quod omnes appetunt. Sed cum alia alii appetant et fugiant, necesse est multa esse quæ aliquibus *bona* aliquibus *mala* sunt; ut quod nobis *bonum* hostibus *malum*. Sunt ergo *bonum* et *malum* appetentibus et fugientibus correlata. *Bonum* commune esse potest, et recte dici de re aliqua, *communiter bonum est*, id est, multis utile, vel civitati bonum. Etiam *omnibus bonum* dici aliquando potest, ut de sanitate; sed et hæc oratio relativa est: itaque *simpliciter bonum* dici non potest; cum quicquid bonum est, bonum sit aliquibus vel alicui. Bona erant ab initio omnia

quæ creavit Deus. Quare? Quia ipsi opera sua omnia placere. Dicitur quoque, bonus est Deus omnibus qui nomen ejus invocant, non autem illis qui nomen ejus blasphemant. Bonum ergo relative dicitur ad personam, ad locum, et ad tempus. Huic hic, nunc, placet; illi, illic, tunc, displicet: et sic de circumstantiis cæteris. Natura enim boni et mali sequitur rerum *συμμεταβολῶν*.

SECT. II.

11.

5. Etiam boni et mali nomina diversimode variantur. Nam eadem res quæ ut cupita bona, ut acquisita *jucunda*; eadem res quæ ut cupita bona, ut considerata *pulchra* dicitur. Est enim pulchritudo objecti qualitas ea, quæ facit ut bonum ab eo expectetur. Quæ enim similia videntur illis rebus quæ placuerunt, videntur placitura. Est ergo pulchritudo futuri boni indicium. Quæ, cum in actionibus spectatur, dicitur honestas; quando in forma consistit, appellatur *forma*; placetque etiam antequam bonum, cujus ipsa est indicium, acquiratur, per imaginationem. Eadem ratione *malum* et *turpe* dicuntur de eodem. Præterea, res ea quæ ut cupita bona nominatur, si propter se cupiatur, *jucunda*, si propter aliud, *utilis* dicitur. Bono enim, quod cupimus propter se, non *utimur*, quia *usus* mediorum et instrumentorum est; sed *fruitio* propositæ alicujus rei tanquam finis est. Distinguitur præterea bonum, ut et malum, in *verum* et *apparens*. Non quod bonum aliquod apparens non sit vere bonum per se, sine aliarum rerum consideratione quæ ab illo dependent; sed quia multarum rerum, quarum pars bona, pars mala est, ita necessaria aliquando est connectio, ut separari non possint. Itaque quantum unaquæque earum bona est tantum, vel mala tantum; catena tamen tota est partim bona partim

Boni et
mali nomina
adhuc diversa.

SECT. II.

11.

mala. Ac quando major pars bona est, series bona dicitur, et appetitur; contra, si major pars mala sit, totum repudiatur, si tamen ita esse cognitum sit. Unde evenit ut homines imperiti, consequentias rerum parum longe prospicientes, quod bonum apparet accipiunt, malum annexum non videntes; postea damnosum experiuntur. Atque hoc est quod volunt illi, qui bonum et malum distinguunt in *verum et apparens*.

Bonorum maximum sicutque conservatio; maximum malum, respectu naturæ, corruptio

6. Bonorum autem primum est sua cuique conservatio. Natura enim comparatum est, ut cupiant omnes sibi bene esse. Cujus ut capaces esse possint, necesse est cupiant vitam, sanitatem, et utriusque, quantum fieri potest, securitatem futuri temporis. Contra vero, malorum omnium primum mors, præsertim cum cruciatu; nam tantæ possunt esse vitæ ægritudines, ut, nisi earum finis propinquus prævideatur, faciant mortem inter bona numerari.

Potentia, si eximia sit, bona est, quia utilis ad præsidium; in præsidio autem securitas. Si eximia non sit, inutilis; nam quæ omnibus æqualis est, nulla est.

Amicitia bonæ, nempe utiles. Nam amicitia cum ad multa alia tum ad præsidium conferunt. Itaque inimicitia malæ, ut quæ pericula afferunt, præsidium tollunt.

Divitiæ.

7. Divitiæ, si ingentes, nempe ut definivit divitem Lucullus, eum esse qui exercitum alere possit ex suo, utile. Sunt enim præsidium fere certum. Etiam modicæ, volenti illis ad præsidium uti, utiles; nam acquirunt amicitias; amicitia autem præsidio sunt. Nolentibus autem ad præsidium uti, invidiam provocant. Sunt ergo *bonum apparens* tantum.

Divitiæ, non relictæ sed industria propria acqui-

sitæ, bonum; nam jucundum. Videntur enim cuique argumentum prudentiæ suæ. Mendicitas, vel etiam paupertas citra id quod necessarium est, malum; quia indigere necessariis, malum. Paupertas sine indigentia, bonum; subtrahit dominum suum ab invidia, calumnia et insidiis.

SECT. II.
11.

8. Sapientia, utile. Nam præsidium in se habet nonnullum. Etiam appetibile est per se, id est, jucundum. Item pulchrum; quia acquisitu difficilis. Ignorantia, malum; ut in qua præsidium nullum, neque ingruentis mali prævisio.

Sapientia.

Divitiarum quam sapientiæ cupido major. Vulgo enim non quæritur hæc nisi propter illas. Et illas si habent, etiam hanc habere videri volunt. Non enim qui sapiens est, ut dixere stoici, dives est; sed contra, qui dives est sapiens dicendus est.

Sapientiæ quam divitiarum major est gloria. Hæc enim pro illius signo haberi solent. Indigentia quam stultitia minus est dedecus; illa enim fortunæ iniquitatem accusare potest; hæc naturam accusat solam. Tolerabilior autem est stultitia quam indigentia; illa enim in proprio, quod aiunt, elemento non gravat.

9. Scientiæ sive artes, bonum. Jucundum enim. Nam finxit natura hominem omnis rei novæ admiratorem, id est, avidum sciendi omnium rerum causas. Itaque fit, ut scientia sit tantum animi pabulum, et proinde eandem habeat rationem ad animum quam habent alimenta ad corpus; et ut esurienti cibus, ita sunt animo curioso phænomena. Differunt tamen in hoc, quod corpori accidere potest ciborum satietas; animus autem sciendo expleri non potest.

Artes.

Etiam, sua cuique ars eatenus utilis, quatenus

SECT. II. *eam materiae* applicare potest. Eadem etiam publice utilissimæ, ut quibus omnia fere debemus humani generis auxilia et ornamenta. Intelligendum autem non omnes habere scientiam quam profitentur; nam qui de rerum causis ex aliorum scriptis disserunt, neque quicquam, aliorum sententias transcribentes, adveniunt, omnino utiles non sunt. Nam actum agere boni in se nihil habet, sed contra, nonnunquam hoc malum, quod veterum errores confirmando viam veritati obstruant.

Literæ.

10. Literæ quoque, bonum, nempe linguæ et historiæ; nam jucundæ. Etiam utiles, præsertim historiæ; suppeditant enim experimenta, quibus scientiæ innituntur causarum; historia quidem naturalis physicæ, historiæ autem civiles scientiæ civili et morali; idque sive veræ sint sive falsæ, modo non sint impossibiles. In scientiis enim quaeruntur causæ non tam eorum quæ fuere, quam eorum quæ esse possunt. Linguæ etiam utiles sunt, quæ in usu sunt apud gentes vicinas, propter commercia et negotiationes. Item Latina et Græca, nempe linguæ scientiarum, propter scientiam.

Negotia.

11. Negotium, bonum: etenim vitæ motus est. Itaque nisi sit quod agas, ambulatio pro negotio est. *Quo me vertam, quid agam?* voces sunt dolentium. Otium torquet. Natura neque locum neque tempus vacuum esse patitur.

Jucunda quæ.

12. Progredi, jucundum; quia ad finem, id est, ad jucundius appropinquatio est. Malum videre alienum, jucundum: placet enim non ut malum, sed ut alienum. Inde est, quod soleant homines ad mortis et periculi aliorum spectacula concurrere. Similiter, bonum videre alienum molestum est; non tamen ut bonum, sed ut alienum. Imitatio, jucun-

dum : **revocat enim præterita**. Præterita autem si bona fuerint, jucunda sunt repræsentata, quia bona ; si mala, quia præterita. Jucunda igitur musica, poesis, pictura.

SECT. II.

11.

Jucunda quæ.

Nova, jucunda : appetuntur enim ut animi pabulum. Bene sentire de sua ipsius potentia, sive merito sive immerito, jucundum. Videtur enim, si vere de se judicat, præsidium sibi habere in se ; si falso, jucundum tamen ; nam quæ vera placent, placent etiam ficta.

Itaque victoria, jucunda : facit enim bene de se sentire ; et ludî certaminaque omnia, jucunda ; quia qui certant, victoriam imaginantur. Placent autem maxime certamina ingeniorum ; ut in quibus maximum sibi quisque putat positum esse præsidium. Itaque vinci in certamine ingeniorum, molestum.

Laudari, jucundum : facit enim ut bene sentiamus de nobis ipsis.

13. **Pulchra sunt boni signa sive indicia**. Itaque signum potentiæ egregiæ, pulchrum. Itaque facere quod et bonum est et factu difficile, pulchrum : nam indicium potentiæ non vulgaris. Forma egregia, pulchrum : signum enim in unaquaque re est operis, ad quod natum est, egregie perficiendi. Formosum autem est, quod formam ejus rei habet quam in suo genere optimam esse experti sumus.

Pulchra quæ.

Laudari, amari, magnifieri, pulchrum : sunt enim de virtute et potentia testimonia. Ad ministeria publica adhiberi, pulchrum : est enim virtutis testimonium publicum.

In artibus inventa nova, si utilia, pulchra : nam signa sunt potentiæ egregiæ. Nugæ contra, quo difficiliiores, minus pulchræ : signa quidem potentiæ,

SECT. II. 11. sed inutilis, simulque animi indicium non magna conantis.

Pulchra quæ.

Artes didicisse ab aliis, id est, doctum esse, utile quidem, sed non pulchrum; ut in quo nihil est egregium. Nam pauci sunt qui doceri non possunt.

Audere in periculis cum res postulat, pulchrum: quia non vulgare. Sin res non postulet, stultitia est, id est, turpe. Agere in omni loco congruenter ingenio et professioni, in viris conspicuis pulchrum; ut indicium ingenii liberi. Contra facere, in personis conspicuis turpe est et animi servilis et habentis quod tegat: pulchra autem tegit nemo. Recta reprehendere, ignorantia signum, turpe: nam scire est posse. Insuper convitari turpius, signum in-eruditi. Errare non turpe, quia omnibus commune. Sæpius errare, doctori turpe: quia contra professionem.

Fiducia sui, pulchrum: nempe signum conscii virtutis suæ. Ostentatio, turpis: nam oritur ab indigentia laudis.

Contemptus divitiarum, non maximarum, pulchrum: indicium enim non indigentis parvo. Amor pecuniæ, turpe: signum ejus, qui ad quidlibet duci potest mercede. Præterea, signum est indigentia, etiam in hominibus pecuniosis.

Ignoscere veniam petenti, pulchrum; nam indicium fiducia sui. Inimicos placare beneficiis, turpe. Est enim redemptio sui, seu pacis emptio, signum indigentia; solent enim homines non emere, nisi ea quibus indigent.

Bona comparata.

14. Bona et mala si comparentur, majus est, cæteris paribus, quod est diuturnius, ut totum parte.

Et quod, cæteris paribus, vehementius, ob eandem causam. Differunt enim magis et minus ut majus et minus.

Et, cæteris paribus, quod pluribus bonum, quam quod paucioribus. Nam generalius et specialius differunt ut majus et minus.

SECT. II.

11.

Bonum recipere quam non perdidisse, melius. Nam rectius æstimatur propter memoriam mali. Itaque convalescere quam non decubuisse, melius.

15. De jucundis quorum est satietas, quales sunt voluptates carnis, quia jucunditas eorum fastidio compensatur, et nimis nota sunt, et eorum aliqua fætent, nihil dicam. Summum bonum, sive ut vocatur, felicitas et finis ultimus, in præsentè vita reperiri non potest. Nam si finis sit ultimus, nihil desideratur, nihil appetitur; unde sequitur non modo nihil ab eo tempore ipsi esse bonum, sed ne sentire quidem hominem. Omnis enim sensio cum aliquo appetitu vel fuga conjuncta est; et non sentire est non vivere.

Summum
bonum.

Bonorum autem maximum est, ad fines semper ulteriores minime impedita progressio. Ipsa cupiti fruitio, tunc cum fruimur, appetitus est, nimirum motus animi fruētis per partes rei qua fruitur. Nam vita motus est perpetuus, qui, cum recta progredi non potest, convertitur in motum circularem.

CAPUT XII.

DE AFFECTIBUS, SIVE PERTURBATIONIBUS ANIMI.

1. Perturbatio animi quid.
2. Gaudium et odium.
3. Spes et metus.
4. Ira.
5. Metus invisibilium.
6. Gloriatio et pudor.
7. Risus et fletus.
8. Amor rerum externarum.
9. Sui æstimatio.
10. Misericordia.
11. Æmulatio et invidia.
12. Admiratio.

1. AFFECTUS sive *perturbationes* animi sunt appetitionis et fugæ species, assumptis differentiis ab

Perturbatio
animi quid.

SECT. II.

12

objectorum, quæ appetimus fugimusve, diversitate et circumstantiis. Dicuntur autem *perturbationes*, propterea quod officiant plerumque rectæ ratiocinationi. Officiunt autem ratiocinationi rectæ in eo, quod contra bonum verum pro apparente et præsentissimo bono militant, quod plerumque, perpensis omnibus adjunctis, invenitur esse malum. Nam ex fœdere animi et corporis est, ut initium quidem exequendi ab appetitu, consilium autem a ratione sit. Itaque, cum bonum verum in longinquum prospiciendo quærendum sit, id quod rationis opus est, arripit appetitus bonum præsens, non prævisis quæ ipsi necessario adhærent majora mala. Perturbat ergo et impedit operationem rationis; unde recte dicitur *perturbatio*.

Consistunt autem affectus in diversis motibus sanguinis et spirituum animalium, prout se varie modo expandunt, modo ad fontem se recipiunt; quorum motuum causæ sunt phantasmata circa bonum et malum ab objectis in animo excitata.

Gaudium
et odium.

2. Quatenus concipitur ab aliquo bonum sibi adveniens, sine compensatione ullius mali consequentis, quæ boni fruitio est, affectus vocatur *gaudium*. Contra autem, qui concipit malum sibi incumbens sine conceptu boni quod malum illum compenset, affectus ejus vocatur *odium*; et malum omne, quatenus incumbit, *odiosum* dicitur. Itaque mala, quæ neque superare neque evitare possumus, *odimus*.

Spes et metus.

3. Quando vero concipimus una cum malo mutationem ejus per modum aliquem, quo ipsum malum evitetur, affectus ille oritur quam vocamus *spem*. Similiter, si incumbente bono concipimus modum aliquem quo amittatur, vel si malum aliquod illi connexum trahi imaginamur, *metus* dicitur.

Itaque manifestum est *spem* et *metum* ita alternari inter se, ut nullum fere tempus tam breve sit, ut non possit eorum vicissitudinem continere. Itaque *spes* et *metus* perturbationes dicendæ tunc sunt, quando ambæ brevissimo tempore continentur, nominanturque secundum affectum prævalentem, simpliciter *spes* vel *metus*.

SECT. II.

12.

4. Si incumbente vel ingruente malo spes subita concipiatur superari illud malum posse repugnando sive resistendo, oritur passio quæ appellatur *ira*. Et oritur quidem sæpissime ab opinione contemptus. Vult ergo iratus facere quantum potest vel posse sperat, ne aliorum ludibrio idoneus et obnoxius esse videatur, nimirum malum contemptori inferendo quantum sibi satis esse videbitur ad efficiendum, ut mali illati pœniteat. Sed non est semper cum ira conjuncta hypolepsis illa contemptus. Nam procedentes ad quemcunque finem propositum, quæcunque res progredientibus obstant, etiam si animatæ non sint neque ergo contemnere possint, simulatque spes apparuerit obstacula talia via moveri posse, vim evocant, id est, iram ostendunt qua amovenda sunt.

Ira.

Affinis iræ est affectus qui Græcis $\mu\eta\eta\epsilon\varsigma$ dicitur, nimirum *cupido vindictæ*, id est, constans et diuturna voluntas alicui male faciendi eo fine, ut suppositæ injuriæ ab illo illatæ illum pœniteat, vel alios ab injuria sibi inferenda absterreat. Qualis erat ira Achillis contra Græcos propter injuriam illatam sibi ab Agamemnone. Differt autem ab illa altera ira, eo quod illa repentina sit, hæc contra constantissime tam diu duret quam diu expectari potest conversio animi ejus, cui irascimur, ad voluntatem nostram. Itaque vindictam non explet

SECT. II.
12.

illum occidere, qui injuriam fecit; nam mortuum nunquam cujusquam rei pœnitet. Objectum ergo iræ est molestum, sed quatenus vi superabile. Quem enim conviciis lacessieris nudus, iratum; armatus, tremebundum facies. *Iram* ut spes effert, ita metus temperat; id est, sicut per imaginationem spiritus animales effunduntur in nervos ad faciendam vim in malum quod ingruit; ita per imaginationem majoris mali retrahuntur ad cor suæ defensionis causa, vel ad fugam. Spei objectum est bonum apparens; metus objectum, malum. Bonum enim speratum unde ad nos venire debeat, nunquam satis perspicimus: nam si perspiceremus, res certa esset, nec expectatio nostra amplius diceretur spes, sed gaudium. Ad spem sufficiunt etiam levissima argumenta. Imo res, quæ ne animo quidem concipi potest, sperari tamen potest, si dici potest. Similiter, metui quidlibet potest quanquam non concipiatur, modo terribile esse vulgo dicatur, vel si multos simul fugere videamus; nam, quanquam incognita causa, fugimus quoque nos, ut in terroribus quos vocant panicos. Credimus enim eos, qui primi fugiunt, fugæ causam vidisse periculum aliquod. Itaque affectus isti ratione gubernari opus habent. Ratio enim est, quæ, tam nostras quam objectorum vires mensurans comparansque, tum spei, tum metui modum statuit, ne aut sperantes illudamur, aut timentes ea bona, quæ habemus, sine causa justa amittamus. Quod enim spem perfidam et metum proditorem toties experimur, sola facit imperitia nostra.

Metus
invisibillum.

5. Omnes homines opinione tenentur esse invisibile aliquod vel invisibilia, a quo vel quibus, prout propitia sunt vel infesta, omnia bona speranda,

omnia mala timenda sunt. Homines enim, quorum potentia exigua est, cum aspicerent ingentia illa opera cœlum et terram mundumque aspectabilem, illumque subtilissimæ excogitationis motum et intellectum animale, organorumque ingeniosissimam fabricam, non potuerunt ingenium suum, quia nihil horum imitari possunt, non contemnere, neque ergo incomprehensibile illud, a quo condita sunt maxima, non admirari, aut non ab eo propitio omnia bona, ab irato mala expectare. Atque hic est affectus quæ vocatur pietas naturalis, et est religionum omnium fundamentum primum.

SECT. II.

12.

6. Efferuntur spiritus animales in congressibus aliquando gaudio quodam, quod oritur cogitantibus se *ἔυδοκιμείν*; quæ animi elatio gloriatio dicitur, causamque habet in eo, quod sentientibus comprobari ea, quæ dicunt vel faciunt, spiritus e corde in vultum ascendunt bonæ opinionis de seipso conceptæ testis.

Gloriatio
et pudor.

Huic contraria passio est pudor, in quo efferentes se spiritus subito propter conscientiam vel suspicionem alicujus amissi indecori conturbantur, sanguinemque cogunt in musculos faciei, quod est erubescere. Pudor ergo molestia est quæ iis contingit, qui amant laudes, tunc cum deprehensi sunt facientes vel dicentes id quod factu vel dictu est indecorum. Erubescere ergo signum est cupientis omnia dicere et agere decenter; et proinde in adolescentibus laudabile, in aliis non item. Nam a viris maturis non tantum ut decore studeant, sed etiam ut sciant, postulatur.

7. Præterea efferuntur spiritus animales gaudio subitaneo ex dicto, facto, vel cogitato aliquo suo decore, vel indecoro alieno; quæ est passio ri-

Risus et fletus.

SECT. II. 12. **dentium.** Nam si quis dictum aliquod dixerit, vel factum aliquod egregium, ut sibi videtur, fecerit,

Risus et fletus.

pronum ei est ridere. Item si alius dixerit feceritve aliquid indecore, quicum se comparans commendatior sibi fit quam ante, vix poterit sese a risu abstinere. Et universaliter passio ridentium, est sui sibi ex indecore alieno subita commendatio. Ridentur ergo nihil fere nisi subitum; neque eadem res neque iidem joci sæpius ridentur ab iisdem. Amicorum autem vel consanguineorum indecora non ridentur, quia non sunt aliena. Quæ risum ergo movent tria sunt conjuncta; indecorum, alienum, et subitum.

Fletium passio contra est, quando quis ab aliqua vehementi spe subito se dejectum concipit. Itaque spe dilatati spiritus animales, subito fallente spe contracti, impetum in organa lacrimandi facientes, humorem, qui in illis est, in oculos cogit redundare. Plurimum et sæpius fient, qui spem in se minimam, in amicis plurimam habent, ut feminæ et infantes. Plurimum rident, qui a factis suis laudabilibus paucissima, ab aliorum factis turpibus virtutis suæ plurima argumenta colligunt. Fient quoque aliquando post iras amici in gratiam redeuntes. Est enim reditio in gratiam tendentis ad vindictam subita animi repulsa. Fient ergo, ut pueri inulti.

Amor rerum
externarum.

8. Amor, si conspicuus sit, in tot passiones fere dividitur, quot sunt amoris objecta. Ut amor pecuniæ, amor potentiæ, amor scientiæ, etc. Amor pecuniæ, si modum excedat, avaritia; amor potentiæ civilis, si immoderatus sit, ambitio nominatur. Perturbant enim et pervertunt animum.

Amor autem, quo homo hominem amat, duplici

modo intelligitur; et utrique modo inest benevolentia. Sed uno modo nominatur amor quando nobis, alio quando aliis bene volumus. Itaque aliter vicinus, aliter vicina amari solet: nam illum amando, illi; hanc amando, nobis bonum quærimus.

SECT. II.
12.

Item amor famæ sive celebritatis inter perturbationes, si nimius sit, ponendus est; sed modus, tam in cupiditate famæ quam in cupiditate cæterarum rerum externarum, est utilitas; nempe quoad præsidio esse possunt. Etsi enim de fama post mortem non injucunde, nec aliis inutiliter cogitamus, fallimur tamen, futurum, quod sensuri non sumus aut parvi æstimaturi, contemplantes tanquam præsens. Idem enim facimus, ac si ideo doleremus, quod celebres non fuimus antequam essemus nati.

9. Sui æstimatio nimia rationem impedit; et propterea animi perturbatio est, in qua efferentibus se spiritibus animalibus tumor quidam sentitur ipsius animi. Cui contraria passio est diffidentia nimia sive animi contractio. Itaque his solitudo, illis frequentia hominum placere solet. Sui autem æstimatio justa perturbatio non est, sed animi status is qui esse debet. Qui autem recte se æstimant, ex factis suis præteritis se æstimant, itaque quæ fecere, iterum tentare audent. Qui vero nimium se æstimant, vel fingunt se esse quod non sunt, vel credunt adulatoribus, cum ventum est ad pericula ipsa animis deficient.

Sui æstimatio.

10. Dolere ob malum alienum, id est, condolere sive compati, id est, malum alienum sibi accidere posse imaginari, misericordia dicitur. Itaque qui similibus malis assueti sunt, magis sunt misericordes; et contra. Nam malum quod quis minus expertus est, minus metuit sibi. Item, eorum, qui

Misericordia.

SECT. II. **12.** **criminum poenas dant, minus miserescimus, quia aut odimus malefactores, aut in nobis esse credimus ne in simile peccatum incidamus. Itaque quod eorum, qui æternum cruciari apud inferos dicuntur, idque cruciatibus intensissimis, nemo fere miserescat, ratio esse potest vel quia credimus idem non posse accidere nobis, vel quia imaginatio nostra cruciatus illos non satis fortiter comprehendit, vel quia qui hæc ita esse docent non ita vivunt, ac si ipsi sibimet ipsis in ea re crederent.**

*Æmulatio
et invidia.*

11. Dolor ob prælatum sibi alium, conjunctus cum conatu proprio, est æmulatio : sed conjunctus cum voluntate prælatum sibi retrahendi, invidia est.

Admiratio.

12. Admiratio passio est gaudentium novitate : homini enim novitatem amare naturale est. Nova autem dicimus, quæ raro accidunt ; quæ autem in unoquoque genere rerum magna sunt, etiam rara sunt. Est autem hæc passio hominum fere propria. Etsi enim cætera animalia, quando novum aut inusitatum aliquid aspiciunt, eousque admirantur dum an ipsis noxium sit vel innoxium possint judicare ; homines tamen quod novum vident, unde productum sit, et ad quid eo uti possunt quærunt. Itaque novitate gaudent, ut causarum effectuumque cognoscendarum occasione. Ex quo sequitur, quod qui plura quam alii admiratur, aliis vel imperitior vel ingeniosior sit ; nimirum, si plura ei contingant nova, imperitior ; si eadem nova magis admiretur, ingeniosior.

Infinitus pene esset numerus passionum, si ad omnem earum quantulamcunque differentiam diversa illis imponeremus nomina. Sed cum nulla sit quæ non sit harum, quas descripsimus, alicui affinis, de his dixisse contenti erimus.

CAPUT XIII.

DE INGENIIS ET MORIBUS.

1. Ingenii definitio. 2. Diversitas ingeniorum a temperie corporis: 3. A consuetudine: 4. Ab experientia: 5. A bonis fortunæ: 6. Ab opinione quam quisque habet de se: 7. Ab authoribus. 8. Virtutes diversis diversæ. 9. Mensura morum lex.

1. INGENIA, id est, hominum ad certas res pro- SECT. II.
pensiones, a sextuplici fere fonte oriuntur; nimi- 13.
rum, a temperie, ab experientia, a consuetudine, a Ingenii definitio.
bonis fortunæ, ab opinione quam quisque habet de
seipso, ab authoribus. Quibus mutatis mutantur
etiam ingenia.

2. A temperie: quod qui temperie calidiore sunt, Diversitas ingeniorum a temperie corporis;
plerumque etiam cæteris paribus audaciores sunt; qui frigidior, timidiore. A mobilitate spirituum animalium, id est, a celeritate imaginandi differunt ingenia dupliciter: primo, quod alia acutiora sunt; unde alii ingenio vivo, alii tardo sunt; secundo, quod eorum, qui celeri ingenio sunt, partim cogitationes per ampla spatia vagantur, partim circa unum aliquid convertuntur; unde aliquibus laudabilis est phantasia, aliis iudicium probabile est. Atque his ingenium est idoneum ad cognoscendas controversias, et ad philosophiam omnis generis, id est, ad ratiocinandum; illis ad poesin et ad inventionem: utrumque simul ad oratoriam. Et iudicium quidem distinguit subtiliter in objectis similibus: phantasia autem confundit jucunde objecta dissimilia. Illud senum plerumque, hoc juvenum. Sæpe tamen utrumque in utrisque invenitur. Phantasia, si modum excedat, exit in stultitiam, qualis est

SECT. II. **eorum qui inceptum sermonem finire non possunt,**
 13. **abducti cogitationibus a proposito alienis. Tarditas**
contra, si modum excedat, desinit in aliam stul-
titiae speciem, qui est stupor.

Quod dicitur vulgo, senes ingenio esse ad divitias nimis attento, verum non est. Nam quod senum magna pars divitias, quibus minime usuri sunt, acervare solent, non id faciunt ex ingenio senili, sed ex studio perpetuo; nam ante senectutem idem erat studium, nempe ut, experiundo quousque prudentia sua et ingenio in acquirendis divitiis procedere possunt, sibimet ipsis possent applaudere, nec ut divitiis illis, sed prudentia sua frui possent, qua illas congesserunt. Neque hoc mirum videri debet; nam et qui literis student, quanto ætate magis provehuntur tanto magis scientiam augere soliti sunt, spectantes animi sui virtutem in scientia, tanquam in speculo. Denique omnes institutum, quod elegerint, ut jucundissimum usque ad senectutem ornare et excolere solent quantum valent; et in senectute maxime, non quia seniores, sed quia profecerunt magis, more earum rerum quæ sua natura quo longius eo velocius semper feruntur.

A consuetudine: 3. A consuetudine: propterea quod quæ nova offendunt, id est, quibus in principio resistit natura hominis, eadem sæpius iterata naturam subigunt; et primo quidem ferre se, mox autem amare cogunt. Id quod in regimine corporis maxime, deinde etiam in operationibus animi perspicuum est. Itaque vino ab adolescentia assueti, haud facile desuescunt; et opinionibus quibuscunque a pueritia imbuti, eas plerumque retinent etiam in senectute, præsertim homines qui non, nisi in rebus pertinentibus ad rem familiarem, de vero et falso magnopere solliciti sunt.

Itaque apud omnes gentes religio et doctrina, quas quique a primis annis didicerunt, ita eas servant perpetuo, ut dissentientes oderint et convitientur; ut manifestum est ex libris præcipue theologorum, quos id minime omnium decet, atrocissimorum convitiorum plenis. Quorum hominum ingenium paci et societati aptum non est.

SECT. II.

18.

Consuetudine item fit, ut qui in periculis sæpe et diu versati sint, ingenium habeant minus meticulosum; et qui in honoribus a tempore longissimo versati sint, ingenio sint minus insolente, ut qui desierunt jam sese admirari.

4. Ab experientia rerum externarum. Hinc fit Ab experientia ut ingenium reddatur cautum. Contra, qui paucarum rerum habent experientiam, ingenio sunt plerumque temerario. Nam animus humanus ratiocinando procedit a cognitis ad incognita; neque potest rerum consequentias in magnam longitudinem prospicere sine cognitione quæ est a sensibus, id est, sine multarum consequentiarum experientia. Fit inde ut ingenia hominum adversis eventis corrigantur, nimirum, ingenium audax frequentibus infortuniis, ingenium ambitiosum crebris repulsis, ingenium protervum crebris refrigerationibus; denique puerorum ingenia ad omnia formantur, quæ volunt parentes et magistri, virgis.

5. A bonis fortunæ, hoc est, a divitiis, a nobilitate generis, a potentia civili fit ut ingenia aliquatenus varientur; nam a divitiis et potentia civili, ingenia plerumque fiunt superbiora; nam qui plus possunt, plus licere sibi postulant, id est, ad injurias inferendas magis propensi sunt, et ad societatem cum iis, qui minus possunt, æquis legibus ineundam ineptiores sunt. Nobilitas antiqua inge-

SECT. II.

18.

nium facit come, propterea quod in tribuendo cuique honorem, tuto largi et benigni esse possunt, cum debiti sibimet ipsis honoris satis sint securi. Nobilitatis novæ ingenium magis est suspicax, ut qui, nondum satis certi quantus honor sibi tribui debet, fiunt versus inferiores sæpe nimis asperi, versus æquales nimis verecundi.

Ab opinione
quam quis-
que habet de se:

6. Ab opinione quam habet quisque de seipso. Inde enim fit ut qui sibi videntur sapientes, nec sunt, ingenium ad sua ipsorum vitia corrigenda ineptum habeant. Non enim in seipsis esse putant quod corrigi debet. Contra, ad aliorum facta vel corrigenda, vel vituperanda, vel deridenda proclives sunt, ut qui, quicquid factum vident præter sententiam suam, non recte factum putant. Itaque civitatem etiam male gubernari existimant, quæ non ut ipsi volunt gubernatur; et per consequens ad res novas cæteris hominibus aptiores sunt. Eorum, qui sibi videntur docti, idem est ingenium; videntur enim sibi sapientes; nam doctum esse, nisi doctum ad sapientiam, nemo cuperet. Hinc fit ut pædagogi sæpissime ingenio sint censorio et ad convictum odioso, ut qui, cum electos se videant ad formandos mores puerorum, vix abstinent a censendis moribus ipsorum patrum, nedum conviventium. Etiam qui adhibentur ad regendos doctrina sua mores publicos, nimirum doctores ecclesiæ, nescientesque a quo ad ministerium tantum evocantur, ipsos reges et ecclesiæ rectores summos a se regendos esse postulant; imo non regibus et iis, quorum curæ salus populi a Deo commissa est, sed sibi immediate a Deo munus illud concessum esse videri volunt, summo cum periculo civitatis. Similiter, ii, qui a civitate eliguntur ad interpretationem le-

gum, propter tam amplum civitatis testimonium vix possunt non videri sibi cæteris hominibus sapientiores. Itaque munere suo non tantum ad jus dicendum, id est, ad leges, id est, ad mandata civitatis explicanda, sed sæpe etiam ad jus dandum, id est, ad summos imperantes, id est, ad civitatem in ordinem cogendam uti postulant: id quod plerumque bellorum civilium initium esse solet, nimirum rectoribus civitatis injustitiæ accusatis ab iis, qui habentur juris peritissimi, imperitissimum vulgus, ducentibus iis quibus res novæ et bellum civile vel propter ambitionem jucundum vel propter rem familiarem attritam utile est, contra civitatis rectores, id est, contra ipsam civitatem arma sumunt.

SECT. II.

13.

7. Ab authoribus. Authores autem cuique Ab authoribus. que rei eos voco, quorum quis præcepta aut exemplum sequitur, ductus opinione sapientiæ ejus. Ab his, si boni, ingenia adolescentium formantur bona, prava si pravi; sive magistri ii sint, sive patres, sive alii quicumque, quos vulgo a sapientia laudari audiunt; nam laudatos reverentur et dignos existimant quos imitentur. Ex quo intelligitur, primo, non modo quam veris et bonis præceptis adolescentium animos imbuere debeant patres, magistri, et tutores eorum, sed etiam quam sancte et juste in eorum præsentia sese gerant, ut quorum ingenia non minus sed multo magis ad mores malos exemplo, quam ad bonos præceptis disponuntur. Secundo, quam, quos lecturi sunt libros, sint sani, casti, et utiles. Sunt autem libri scripti a civibus Romanis, florente democratia aut recens extincta, nec non a Græcis florente republica Atheniensi, tum præceptorum tum exemplorum pleni, quibus ingenium vulgi regibus suis infestum redditur; idque

SECT. II.

13.

ob nullam aliam causam, quam quod ab hominibus perfidis perpetrata flagitia in illis libris laudari vident, nimirum regicidia, si modo reges antequam occidant tyrannos vocent. Verum ingenium vulgi corrumpitur adhuc magis a lectione librorum et auditione concionantium eorum, qui regnum in regno, ecclesiasticum in civili esse volunt. Hinc enim pro Cassiis et Brutis oriuntur Ravilliaci et Clementes, qui, cum reges suos occidendo ambitioni inservirent alienæ, Deo se servire arbitrabantur.

Virtutes di-
versis diversæ.

8. Ingenia, quando assuescendo ita confirmata sunt, ut facile nec reluctante ratione suas edant actiones, dicuntur *mores*. Mores autem, si boni sint, *virtutes*; si mali, *vitia* appellantur. Quoniam autem non eadem omnibus bona et mala sunt, contingit eosdem mores ab his laudari ab illis culpari, id est, ab aliis bonos, ab aliis malos, ab aliis virtutes, ab aliis vitia appellari. Quare ut, quod dici solet, quot capita tot sententiæ, ita etiam dici potest, quot homines tot virtutis et vitii diversæ regulæ. Quod tamen de hominibus eatenus intelligendum est, quatenus homines tantum, non etiam quatenus cives; nam eorum, qui extra civitatem sunt, alter alterius sententiam sequi non obligatur; in civitate vero pactis obligantur. Ex quo intelligitur scientiam moralem nullam habere posse eos, qui homines considerant per se et quasi extra societatem civilem, propter defectum mensuræ certæ, qua virtus et vitium æstimari et definiri possint. Nam scientiæ omnes incipiunt a definitionibus, nec aliter scientiæ dicendæ sunt, sed sermones meri.

Mensura
morum lex.

9. Itaque nisi in vita civili, virtutum et vitiorum communis mensura non invenitur; quæ mensura ob eam causam alia esse non potest præter uniuscujus-

que civitatis leges; nam leges naturales, constituta civitate, legum civilium fiunt pars. Neque impedit quo minus ita sit, quod innumeræ sint, et olim fuerint civitates diversis legibus. Quæcumque enim sunt leges, illas leges non violare semper et ubique civium virtus habita est, et easdem negligere vitium. Quare etsi actiones quædam, quæ in una civitate justæ sunt, in alia sint injustæ, justitia tamen, id est, non violare leges, ubique eadem est et erit. Virtus autem moralis, quam quidem mensurare possumus legibus civilibus, quæ diversis civitatibus diversæ sunt, sola est justitia et æquitas; quam autem mensuramus per leges mere naturales, charitas sola est. Atque in his duabus continetur omnis virtus morum. Quod autem attinet ad virtutes alias tres præter justitiam, quas vocant cardinales, *fortitudinem, prudentiam, et temperantiam*, non sunt illæ civium virtutes, ut civium, sed ut hominum; ut quæ non tam civitati quam ipsis hominibus singularibus, qui ipsas habent, utiles sunt. Civitas enim, sicut nisi per fortitudinem, prudentiam, et temperantiam honorum civium non conservatur, ita nisi per fortitudinem, prudentiam et temperantiam hostium non destruitur. Sunt enim tam fortitudo, tam prudentia, vis animi potius quam bonitas morum; et temperantia privatio potius vitiorum, quæ oriuntur ab ingeniis cupidis, quibus non leditur civitas, sed ipsi, quam virtus moralis. Et enim civis omnis bonum suum sibi privatim habet; ita et civitas bonum suum sibi publicum. Neque vero fortitudinem et prudentiam privati hominis, si ipsi soli utiles sint, a civitatibus aut a quibusvis aliis hominibus, quibus eædem utiles non sunt, laudari, id est, pro virtute haberi postulari debet. Sed totam hanc doctrinam de moribus et ingeniis

SECT. II.

13.

Membra
morum lex.

SECT. II. **in paucissima verba contrahens, dico ingenia quidem**
 13. **bona esse ea, quæ idonea sunt societati civili ine-**
undæ ; et mores bonos, id est, virtutes morales, eos
esse quibus inita optime conservari potest. Con-
tineri autem virtutes omnes in iustitia et charitate.
Unde intelligi etiam potest ingenia his contraria
prava esse ; et mores contrarios vitiaque omnia con-
tineri in injustitia et animo ad aliena mala stupido,
id est, in defectu charitatis.

CAPUT XIV.

DE RELIGIONE.

1. Religionis definitio. 2. Amare et timere Deum quid sit.
3. Fides quid. 4. Fides dependet a legibus. 5. Iustitia a Deo cordibus insculpta. 6. Deus peccata remittere sine injustitia potest, nulla exacta poena. 7. Nemini opera justa peccata sunt. 8. Cultus definitio et divisio. 9. Cultus publicus quid.
10. Cultus partes, preces, gratiarum actiones, jejunia publica, dona. 11. Cultus superstitiosi varii. 12. Cultuum finis quis mortalibus futuri anxiiis. 13. Quæ sint quæ religiones mutant.

Religionis
definitio.

1. *RELIGIO est hominum, qui Deum sincere honorant, cultus externus.* Deum autem sincere honorant, qui illum non modo existere, sed etiam rerum omnium omnipotentem et omniscium creatorem et rectorem, et præterea rerum prosperarum et adversarum arbitrio suo distributorem esse credunt. Itaque religionis simpliciter, id est, naturalis, duæ sunt partes ; quarum altera est *fides*, sive credere Deum esse et omnia gubernare, altera est *cultus*. Prior autem pars illa, de fide in Deum, vocari solet *pietas* erga Deum. Nam qui id credit, non potest non conari in rebus omnibus illi obedire, neque illi

in prosperis gratias non agere, neque in adversis non supplicare; quæ sunt propriissima opera pietatis; in his enim continentur amor et metus, quibus jubemur amare et timere Deum.

SECT. II.
14.

2. Non autem ita ab homine amandus est Deus, ut ab homine homo. Nam per amorem hominis erga hominem intelligimus semper aut cupidinem amplectendi aut benevolentiam; quorum utrumque de amore erga Deum intelligere ineptum esset. Amare Deum est Dei jussa lætum facere. Timere Deum est cavere ne incidamus in peccata, eo modo quo solemus timere leges.

Amare et timere
Deum quid sit.

3. Fides autem, præterquam eam qua credimus Deum condidisse et regere omnia, si sit de rebus quæ supra naturæ humanæ captum positæ sunt, opinio est, quæ nascitur ab autoritate dicentium. Nisi ergo præcesserit opinio quod is, qui dicit, ea quæ dicit modo aliquo supernaturali scierit, nulla esse potest causa quare illi credere debeamus. Circa res ergo supernaturales nemini credimus, nisi quem prius factum aliquod fecisse supernaturale credimus. Dicenti autem alicui ea, quæ dicit vel docet, confirmata miraculis esse, quomodo credi potest nisi et ipse miraculum ediderit? Nam si homini privato sine miraculo credendum sit, cur diversa docentium uni magis quam alteri? Religionis ergo nostræ pars maxima et Deo gratissima fides ab hominibus privatis, nisi faciant miracula, dependere non debet.

Fides quid.

4. Si religio, præter eam quæ consistit in pietate naturali, ab hominibus privatis non dependeat, tunc necessarium est, cessantibus jamdudum miraculis, ut dependeat a legibus civitatis. Religio itaque philosophia non est, sed in omni civitate lex; et

Fides dependet a legibus.

SECT. II. ^{14.} ~~propterea non disputanda est, sed implenda.~~ Neque enim an honorifice de Deo sentiendum sit, neque an sit amandus, timendus, colendus, dubitari potest. Sunt enim hæc religionum per omnes gentes communia. Disputantur ea sola, quibus unus homo ab alio dissentit; quæ propterea de fide in Deum non sunt. In his autem disputationibus, dum scientiam quærimus earum rerum quæ sub scientiam non cadunt, fidem in Deum, quantum in nobis est, destruimus. Posita enim scientia tollitur fides, sicut posita fruitione tollitur spes. Docet autem apostolus, ex tribus virtutibus *fide, spe, charitate*, adveniente regno Dei, *fidem et spem* amplius non existere, sed solam manere *charitatem*. Quæstiones ergo de natura Dei naturæ conditoris nimis curiosæ sunt, nec operibus pietatis accensendæ; et qui disputant de Deo, non tam Deo fidem, cui jam omnes credunt, quam sibimet ipsis conciliare cupiunt.

Justitia a
Deo cordi-
bus insculpta.

5. Quoniam autem amare Deum idem est quod mandatis ejus obedire, et timere Deum idem quod timere ne quicquam contra mandata ejus faciamus, quæri iterum potest unde sciri potest, quæ sint ea quæ Deus imperavit. Cui quæstioni responderi potest, Deum eo ipso, quod homines fecerit rationales, hoc illis præcipisse, et cordibus omnium hanc legem insculpsisse, ne quisquam cuiquam faceret quod alium sibi facere iniquum duceret. In quo præcepto universa justitia et obedientia civilis continetur. Quis enim est qui, si in civitate cum summo imperio constitutus esset a populo, regendi sui et legum condendarum causa, non iniquum esse leges suas a quolibet subdito sperni, vel auctoritatem suam negligi, nedum disputari, judicaret?

Cum ergo rex si esses, iniquum id esse duceres, nonne legem habes actionum tuarum regulam certissimam? Ea autem etiam divina est, quæ supremis potestatibus, id est, supremorum imperantium legibus obedire præcipit.

6. Sed cum homines mandata Dei jam violaverint, peccentque quotidie, quomodo, dicet aliquis, cum justitia divina stare potest, ut peccatorum pœnas non ab illis requirat Deus? Sed homo si injurias sibi illatas nunquam ulciscatur, si ita ignoscat ut nullam omnino vindictam, ne pœnitentiam quidem exigit, an illum injustum, an potius sanctum esse existimabimus? Nisi ergo Deum minus misericordem esse dicamus quam homines, causa nulla est cur non possit Deus peccatoribus, saltem pœnitentibus, sine ulla ipsorum aut aliorum pro illis accepta pœna ignoscere. Quod Deus olim pro peccatis populi exigeret sacrificia, non habebant illa sacrificia rationem pœnæ, sed erant constituta pro peccantium sese ad Deum convertentium, et ad obedientiam pristinam redeuntium *signis*. Itaque Servatoris nostri mors non erat peccantium pœna, sed pro peccatis sacrificium. Et quod peccata nostra bajulare dicitur, non magis de pœna intelligendum est, quam sacrificia olim ita intelligebantur, quæ non erant in illis animalibus peccatorum, quæ commiserunt Judæi, pœnitentiones, sed gratorum hominum oblationes. Requisivit ab Israelitis Deus quotannis duos hircos; quorum alter, qui pro oblatione erat, immolabatur, alter, qui peccatis populi oneratus erat, abigebatur in desertum quasi peccata populi absportaturus. Similiter Christus, quatenus oblatus in cruce, occisus est; quatenus vero peccatis nostris oneratus est, resurrexit. Nisi Christus

SECT. II.

14.

Deus peccata remittere sine injustitia potest, nulla exacta pœna.

SECT. II. resuscitatus sit, manent, inquit apostolus, peccata
 14. nostra.

Neminis
 opera justa
 peccata sunt.

7. Cum ergo pietas constet fide, justitia et charitate; justitia autem et charitas virtutes sint morales; non possum iis assentiri qui eas appellarunt splendida peccata. Siquidem enim peccata essent, quanto quis cæteris hominibus sanctior esset, tanto illi minus credi deberet, ut minus justo. Quid igitur est, quod Deo in iis displicet qui justitiam faciunt? Displicet fide, id est, pietatis maxima parte carentium simulatio. Nam etsi opera eorum permulta justa fuerint, ipsi tamen, qui opera justa et eleemosynas faciunt ad gloriam tantum vel ad opes acquirendas vel ad pœnam vitandam, injusti sunt. Itaque sacrificia populi sui odisse dicitur Deus, quæ tamen cum a Deo jussa fuerint, peccata esse non poterunt. Sed Deo, sicut opera justa sine fide, ita etiam sacrificium et cultus omnis sine justitia et charitate abominatio est.

Cultus definitio
 et divisio.

8. Colere proprie dicimur illud quicquid est, quod officiis et labore studemus nobis facere quantum possumus beneficium. Sic terram colimus, ut feracior nobis sit; homines potentes colimus potentia vel præsidii alicujus nostri causa; sic quoque Deum colimus, ut eum habeamus propitium nobis. Est ergo cultus divinus illas actiones agere, quæ pietatis erga Deum signa sunt. Hæ enim Deo gratæ sunt, et his solis propitius nobis reddi potest. Sunt autem actiones illæ ejusdem plerumque generis cum illis actionibus, quas facimus quando colimus homines, sed in unoquoque genere optimæ; nam signa alia pietatis naturaliter ostendere non possumus. Cultuum autem alius est *privatus*, alius *publicus*. Privatus est, quem exhibent homines

~~singuli arbitrio suo.~~ Publicus est, quem exhibent iidem jussu civitatis. Privatus rursus vel ab uno secreto, vel a pluribus collectis exhibetur; quorum ille pietatis sinceræ signum est; quorsum enim simulare illi qui a nemine videtur, nisi ab eo qui simulationem etiam videt? hic simulatus vel ambitiosus esse potest. In cultu secreto ceremoniæ nullæ sunt. Ceremonias appello operum pietatis signa illa, quæ non a natura operis oriuntur, sed ab arbitrio civitatis; nam precantem vel adorantem procumbere vel genua flectere pro signo humiliationis et subjectionis coram Deo, omnibus natura dedit, quibus esse Deum dedit credere. In cultu privato plurimum simul ceremoniæ esse possunt, quia possunt inter se de decoro actionis communis communiter statuere; modo nihil faciant contra leges civitatis. Sed locus hic est et invitamentum simulationis, quæ tamen aliquando culpa vacat. Homines enim, si in unum locum convenerint multi simul, habent hoc a natura multitudinis, ut a singulis timeri velint, postulentque ut nemo neque ad illos, neque coram illis scurriliter, inconsiderate, rustice, incomposite, aut non, quantum illi intelligunt, ornatissime loquatur, nec non gestum exigunt decorum gravitate, et quali nemo utitur domi suæ. Quapropter illi, qui ad multitudinem vel in eorum præsentia cæteris omnibus tacentibus loquitur, induenda *persona* est gravior sanctiorque quam alioqui faceret; quæ species quidem histrionicæ est, sed culpa vacat, ita scilicet postulante multitudine, singulis multo potentiore.

9. Cultus publicus sine ceremoniis esse non potest; nam cultus publicus is est, quem in signum habitus honoris Deo exhiberi ab omnibus civibus,

SECT. II.

14.

Cultus
publicus quid.

SECT. II. 14. www.bloccen.it idque locis et temporibus constitutis, imperavit civitas. Itaque judicandi quid sit decorum, quid non, in publico cultu Dei, penes civitatem jus est. Ceremoniæ sunt operum pietatis signa illa, non quæ a natura operis tantum, qui cultus est rationalis, sed etiam illa quæ imperantur ad arbitrium civitatis. Et propterea in diversis gentibus, necesse est ut in cultu Dei multa sint apud unam gentem, quæ apud aliam non sunt; et ut aliorum cultus quandoque ab aliis rideatur. Cultus a Deo immediate ordinatus nullus unquam fuit præterquam apud Judæos, regnante ipso. Aliarum gentium ceremoniæ aliæ quidem aliis magis erant rationales; apud omnes tamen ceremoniis lege civili jussis uti, rationale erat.

Cultus partes, preces, gratiarum actiones, jejunia publica, dona.

Cultus partes sunt vel rationales, vel supersticiosæ sive phantasticæ. Rationales sunt, primo, *preces*; his enim credere nos significamus bona omnia futura a Deo, et ab eo solo speranda esse. Secundo, *gratiarum actiones*; nam his significamus credere nos a Deo, et ab illius solius gratia, bona præterita omnia nobis data esse. Deum autem precibus flectere, etiam vincere homines pii dicuntur aliquando; non quod Deum sententiam suam et decreta æterna mutare unquam coegerint, sed quod omnium rerum ordinator Deus dona sua hominum preces quandoque antecedere, quandoque consequi, voluit. Adeo ut non improprie tum preces tum gratiarum actiones uno nomine *supplicationes* appellati sint. Tertio, *jejunia publica*, aliique actus peccata lugentium. Signa enim sunt pœnitentiæ, id est, quod peccatorum pudet; deinde quod minus viribus propriis præteritorum lapsuum conscii confidamus, et quod in futurum cauti esse volumus ne in pecca-

tum rursus incidamus. Humilitatem autem et luctum cinere et sacco et prosternatione significare soliti sunt; non quod pudor et humilitas sine his vera non sit; sed quia natura ipsa docet iisdem rebus Deum colere, qui corda nostra videt, quibus vidimus coli homines, qui nisi talibus signis de penitentia vera judicare non possunt. Qui vero peccata sua, simulatque resipuerint, condonata esse pro certo habent, iidemque se sciunt resipuisse, nisi quod doloris species aliqua sit etiam pudor, dolere ulterius non possunt: nam si dolent signum manifestum est, quod ideo dolent, quia eo miseriam se reductos vident, ut vel ipsi, vel peccata quæ amant abjicienda sunt; quemadmodum in mari mercator dolet, quando aut se aut mercem perituram esse videt. Itaque in cultu divino tristitia post peccata decora est et naturalis; sed tristitia illa non repugnantis, sed pudentis et humiliati animi esse debet. Quarto, cultus divini rationalis publici pars sunt *dona*, id est, sacrificia et oblationes. Rationis enim non est, ut illi, a quo accepimus omnia, nihil retribuamus, id est, Deo nihil consecremus, id est, partem seponamus nullam divini cultus publici ministris, pro dignitate illius ministerii, alendis. Sicut enim in ecclesia, ministri Christi ab evangeliiis, id est, ab iis rebus quæ ob bonum nuntium ab hominibus gratis datæ erant, et apud Judæos plurimasque alias gentes ab oblationibus et sacrificiis sacerdotes alebantur; ita rationis est ut in omni civitate ministri cultus divini alantur a Deo consecratis, quæ propterea in omni genere debent esse perfectissima.

11. Cultus superstitiosus, propter diversitatem opi-

SECT. II.

14.

Cultus
partes, pre-
ces, gratiarum
actiones, jejunia
publica, dona.

SECT. II.

14.

Cultus superstitioni varii.

nionum eorum hominum, qui plures Deos esse credebant, nimirum qui gentem quandam cœlitum, quasi hominum aeriorum civitatem, esse putabant, majorem habet varietatem quam ut narrari possit. Etiam diis illis linguam propriam sibi fuisse in cœlo, aliterque ab hominibus aliter a diis easdem res nominari crediderunt; ut qui Romulus in terris Quirinus in cœlo diceretur; similiterque in aliis nominibus, ut apud poetas Græcos, ecclesiæ ethnicae patres, videre est; eodem fere modo, quo quam nos *civitatem*, populus clericus appellat *ecclesiam*, id quod in civitate *lex*, in ecclesia *canon*, et quod in regno *majestas*, in ecclesia *sanctitas* appellatur. Nec una Deorum civitate contenti, aliam statuerunt Deorum marinorum sub regimine Neptuni, et tertiam apud inferos sub Plutone. Præterea, creatura fere nulla erat quam non invocarent ut Deum vel Deam; nulla fere virtus, præter laborem et industriam numina per se propitia, sine ara aut templo erat. Quicquid denique nominabile, idem et deificabile erat. Quod quam rationi naturali incongruum sit, nemo est qui non intelligit. Superstitionem autem hanc facere potuit lex loci ut religio appellaretur, et cultus omnes alios superstitiones.

Cultuum finis
quis mortali-
bus futuri anxii.

12. Finis, quem cultui divino civitates omnes prætendunt, is est, ut earum Deus vel Dii tum ipsi civitati, tum etiam singulis civibus propitii sint. Veruntamen plerisque divina gratia simpliciter non sufficit. Cogitant enim, *Deus mihi daturus quidem dona est, sed alia fortasse quam quæ ego volo; avertet mala, sed per prudentiam meam. Utinam ergo scirem quæ bona illa sunt, quæ dare mihi parat, et quæ sunt mala, quæ ita prope me*

ventura sunt, ut abigi opus habeant. Itaque sic colunt, ut tamen aut de sapientia aut de indulgentia divina semper dubitare videantur. Atque hinc est quod omnes fere mortales, futuri temporis anxii, convertant se ad prognostica plurium generum, quam ut facile possint enumerari. Prognosticorum autem unicum genus certum est, nimirum, vox prophetæ, sed tamen si propheta ille fecerit miraculum; cætera falsa sunt. Quod astrologia contemplatione siderum de futuris eventibus fortuitis judicare vel in utramvis partem pronuntiare audet, non scientiæ est; sed fugiendæ egestatis causa, hominis stratagema est, ut prædam auferat a populo stulto. Idem sentiendum est de iis, qui nullo miraculo facto prophetas se esse simulant. Quod somniatores somnia sua, nullo edito miraculo, futurarum rerum prognostica esse putant, stultitia est; quod postulant sibi credi, insania est; quod prædicunt temere civitati mala, crimen est. Quod maleficæ a plurimis credantur nocere illis quibus volunt male, verum non est; sed cum mala, quæ imprecantur, contingunt ut volunt, tunc ipsæ suis precibus a dæmone, quem somniant se vidisse ejusque operam pacto conduxisse, mala illa facta esse autumant, et tanquam a se facta aliquando confitentur. Illæ ergo futura non sciunt, sed quæ optant, futura esse sperant. Veruntamen, tum propter nocendi voluntatem, tum etiam propter nefarium cultum non immerito puniuntur. Præterea, animi præsentia, id est, metus et spes, etiam sua cuique somnia pro propheticis habita sunt. Item transitus avium fortuitus augurium erat. Intestinis pecudum inhiabant homines ut futura prædicturis. Verba sine intentione loquentis futuri omina credebantur.

SECT. II.

14.

Cultum finis
quis mortali-
bus futuri anxii.

SECT. II.

14.

Inusitata omnia, portenta, et ostenta, quia Dii per illa videbantur ventura ostendere, dicebantur. Etiam sortibus diversorum generum utebantur, id est, in omnibus fortuitis fortunam suam experiebantur. Cæterum innumeros alios modos divinationis, ne stultitia hominum nimis diu immorer, prætereo.

Quæ sint quæ religiones mutant.

13. Quæ religiones mutant duæ solent esse res, ambæ in sacerdotibus; dogmata absurda, et religioni, quam docent, contrarii mores. Erraverunt enim homines prudentes ecclesiæ Romanæ cum vulgi ignorantia eo usque abuti se posse arbitrabantur, ut sperarent efficere se posse ut verba, inter se pugnantia, non modo tunc sed semper vulgo crederentur. Paulatim eruditur vulgus, et verborum, quibus utitur, tandem aliquando vim intelligit. Ex quo fit, ut cum doctores religionis ea, quæ non cohærent inter se, non modo ipsos loqui videant, sed etiam alios ita loqui religiose jubere, proni sint tum ipsos contemnere ut ignorantes, tum ipsam religionem ut falsam suspicari, et eam aut corrigere aut ejicere e civitate. Cavendum ergo imprimis est doctoribus religionis ne regulis colendi Deum quicquam immisceant ex doctrina physicorum. Nam evitari vix potest, cum rerum naturalium nullam habeant scientiam, quin aliquando incidant in propositiones absurdas; quæ postea, etiam ab indoctis detectæ, faciunt ut omnia quæ docebunt contemnantur; quemadmodum detecta a Luthero doctorum Romanorum ignorantia, non modo magnam partem religionis Romanæ tum in nostra, tum in aliis gentibus abolevit, sed etiam ipsas gentes avulsit a Romana clientela. Quod si de transubstantiatione, id est, de natura corporis et loci, de libero arbitrio, id est, de natura voluntatis et intellectus, et de aliis rebus, quas brevitatis

causa prætereo, tacuissent, potuissent quas lucrati erant retinere. Quod ad alteram mutandarum religionum causam attinet, nempe mores, manifestum est neminem e vulgo ita esse stupidum, ut cum illum, qui credere jubet res alioqui creditu difficiles, ita vivere viderit ac si ipse non crederet, non impostorem putet, et credenda non esse quæ credi jubet; præsertim si, ut ille credat, jubenti credere sit utile. Si doceant ergo, ut ubique docent, credentium esse minus avaros esse quam alii, minus ambitiosos, minus superbos, minus sensibus indulgere, minus se immiscere negotiis mundanis, id est civilibus, minus convitari, minus invidere, magis quam alii corde simplici esse, id est magis apertos, magis misericordes, magis veraces, nec tamen ipsi tales sint, non debent conqueri si fides illis postea non adhibeatur. Equidem quod religio Christiana tempore sanctorum apostolorum insigniter creverit, in magna parte causæ fuisse credo sacerdotum ethnicorum vitam non sanctam. Scilicet præter vitia cum vulgo illis communia, immiscebant se civitatum inter se controversiis; custodiebantque Deos quemadmodum nutrices custodire infantes solent; nimirum ne cuiquam, nisi quem illi volunt, ad illos accessus sit, aut quemquam ament nisi a seipsis commendatum. Commendabant autem homines avari eos solos, a quibus beneficia accipiebant.

SECT. II.

14.

Quæ sint quæ religiones mutant.

www.libtool.com.cn

CAPUT XV.

DE HOMINE FICTITIO.

1. Personæ definitio. 2. Author et autoritas, quid sint. 3. Sponsor sive fidejussor, quid. 4. Personam habere intelligi possunt aliæ res præter hominem.

SECT. II.

15.

Personæ
definitio.

1. QUOD Græci *πρόσωπον*, Latini dicunt quandoque *faciem* sive *os* hominis, quandoque *personam*: *faciem* si de homine vero, *personam* si de fictitio intelligi volunt, qualem in theatro solebant habere comœdi et tragœdi. Intelligebatur enim in theatro loqui non ipse histrio, sed aliquis alius, puta Agamemnon, nimirum faciem fictitiam Agamemnonis induente histrione, qui pro illo tempore erat Agamemnon; quod tamen postea intelligebatur etiam sine facie ficta, nimirum profitente se actore quam personam acturus erat. Nec minus necessariae sunt in civitate fictiones hujusmodi, propter absentium commercia et contractus, quam in theatro. Quod autem ad usum personæ civilem attinet, definiiri potest hoc modo; *persona est, cui verba et actiones hominum attribuuntur vel suæ vel alienæ*: si suæ, persona *naturalis* est; si alienæ, *fictitia* est. Ut ergo idem histrio potest diversas personas diversis temporibus induere, ita quilibet homo plures homines repræsentare potest. *Ego*, inquit Cicero, *unus sustineo tres personas, mei et adversarii et judicis*. Quasi diceret, unus Cicero considerari possum ut egomet ipse, ut adversarius, ut judex.

Author et autoritas, quid sint.

2. Eorum, qui in civitate personas sustinent, alii jubente eo cujus personam gerunt, alii non jubente

id faciunt. **Quicquid ergo** facit aliquis in persona ejus, qui representari ab eo non vult, ipsi, id est actori soli, imputatur. Sed quod jubente alio facit, actus jubentis semper est, sed aliquando etiam representantis, id est, utriusque tum authoris tum actoris. *Author enim vocatur is, qui actionem quam facit alius pro sua habere se velle declaravit: et qui in possessionibus dominus, in actionibus author appellatur.* Itaque authoritatem habere dicuntur, qui quid jure faciunt alieno. Nisi enim is, qui author est, jus habeat agendi ipse, actor agendi authoritatem non habet. Itaque si quis cum actore paciscatur vel contractum quemcumque fecerit, nescius an authoritatem habeat necne, suo periculo id facit. Quod si quis alterius jussu peccat, uterque peccat, quia neuter jure fecit; nisi forte civitas jusserit, ita ut recusare actor non debeat.

SECT. II.

16.

3. Item in sponsionibus, sponsor personam illius induit pro quo spondet. Nam fidei, quam habet promissori is qui credit, author est, jubetque credere suo ipsius sponsoris periculo. Unde fidejussor dicitur.

Sponsor sive fidejussor quid.

Neque solum homo singularis hominis singularis, sed etiam unus multorum, et multi unius personam gerere possunt. Si enim consentiant homines plures ut, quicquid fecerit unus aliquis vel coetus ex pluribus, id se pro actione uniuscujusque ipsorum habituros esse, erit unusquisque actionum, quas is homo vel coetus faciet, author; neque ergo actionem ullam illorum accusare potest, quin seipsum accuset. Item reges omnes et civitatum cujuscumque generis rectores summi, si dominum agnoscant Deum, Dei personam gerunt. Speciatim vero

SECT. II. 15. Dei regnantis personam gerebant primo Moses, deinde Christus, et nunc, postquam die Pentecostes Spiritus Sanctus in apostolos visibiliter descendisset, ecclesia, id est ecclesiæ in omni civitate rector summus. Habet ergo in omnibus gentibus Deus possessiones, more hominum, terras, jura, et alia bona sua, nempe sibi consecrata. Sed hæc non nisi civitate constituta. Cum enim voluntas Dei nisi per civitatem non cognoscatur, requiratur autem voluntas illius, qui repræsentatur; ut author sit actionum quas faciunt illi a quibus repræsentatur, necesse est ut persona fiat per voluntatem civitatis.

Personam habere intelligi possunt alie res præter hominum.

4. Etiam rei inanimatæ persona esse potest, id est, possessiones et alia bona habere, et jure agere potest, ut templum, pons vel alia res quæcunque, ad cujus conservationem sumptibus opus est. Et personam ejus gerent curatores a civitate constituti, ut quæ voluntatem non habet præter voluntatem civitatis.

Hujusmodi autem fictionum quis sit usus in civitate, (est autem maximus,) dicemus in sectione tertia, quæ est *De Cive*.

Quanquam leges naturales hominem quatenus hominem respiciunt, de illis tamen, nisi ut continentur in bonis moribus, mentionem in hac sectione non fecimus. Sed quia nisi legibus civilibus et potestate coercendi præexistentibus observari non possunt, de illis ut de legibus in eadem sectione tertia satis ampliter disseremus.



www.libtool.com.cn

ELEMENTORUM PHILOSOPHIÆ
SECTIO TERTIA,
DE CIVE.


www.libtool.com.cn

EXCELLENTISSIMO VIRO
GULIELMO,
COMITI DEVONIÆ,
DOMINO MEO COLENDISSIMO.

POPULI Romani, memoria Tarquiniorum, et civitatis instituto, regibus iniqui, vox erat, excellentissime Domine, prolata ore Marci Catonis Censoris, reges omnes de genere esse bestiarum rapacium. Ipse autem populus Romanus, qui per Africanos, Asiaticos, Macedonicos, Achaicos, cæterosque a spoliatis gentibus cognominatos cives, totum fere orbem terrarum diripuerat, qualis bellua erat? Non minus ergo quam Cato, sapienter dixit Pontius Telesinus. Is prælio ad Portam Collinam contra Syllam circumvolans ordines exercitus sui, vociferatusque eruendam delendamque ipsam Romam, adiciebat, “nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis *lupos*, nisi sylvæ, in quam refugere solerent, esset excisa.” Profecto utrumque vere dictum est, *homo homini deus*, et *homo homini lupo*. Illud, si concives inter se; hoc, si civitates comparemus. Illic justitia et charitate,

virtutibus pacis, ad similitudinem Dei acceditur; hic propter malorum pravitatem, recurrendum etiam bonis est, si se tueri volunt, ad virtutes bellicas vim et dolum, id est, ad ferinam rapacitatem. Quam etsi homines pro convitio invicem objiciant, more innato, facta sua in personis aliorum, tanquam in speculo sinistra dextra, dextra sinistra existimantes; vitium tamen esse non sinit profectum a necessitate conservationis propriæ jus naturale. Quod autem Catoni, viro sapientiæ celebratissimæ, odium pro judicio, affectus pro ratione imponere in tantum potuit, ut quod æquum in populo suo, idem reges facere iniquum censeret, mirari fortasse alii poterunt; ego sane in ea opinione jam diu sum, neque egregiam sententiam unquam fuisse quæ placuit populo, neque sapientiam vulgari majorem vulgo agnosci posse; quippe quam vel non intelligunt, vel intelligentes æquant. Græcorum Romanorumque facta et dicta celebria non ratio, sed magnitudo, et sæpe illud ipsum lupinum, quod mutuo exprobrant, historiæ commendavit, quæ una cum publicis actionibus actores per cursum seculorum devolvit qualescunque. Sapientia vera nihil aliud est quam in omni materia veritatis scientia. Ea vero, cum a memoria rerum per appellationes certas et definitas excitata derivetur, non animi acris et repentini impetus, sed rationis rectæ, id est, philosophiæ opus est. Per hanc enim a rerum singularum contemplatione

ad præcepta universalia via aperitur. Quot autem genera rerum sunt, in quibus ratio humana locum habet, in tot ramos se diffundit philosophia, diverse tamen pro diversitate subjectæ materiæ nominata. Nam quæ, de figuris tractans, GEOMETRIA; de motu, PHYSICA; de jure naturali, MORALIS dicitur, tota PHILOSOPHIA est: quemadmodum mare, quod hic Britannicum, illic Atlanticum, alias Indicum, a singulis litoribus appellatum, totum tamen est oceanus. Et geometræ quidem provinciam suam egregie administraverunt. Quicquid enim humanæ vitæ auxilii contingit a siderum observatione, a terrarum descriptione, a temporum notatione, a longinquis navigationibus; quicquid in ædificiis pulchrum, in propugnaculis validum, in machinis mirabile est; quicquid denique hodiernum tempus a prisca barbarie distinguit, totum fere beneficium est geometriæ. Nam quod physicæ debemus, id debet physica eidem geometriæ. Si philosophi morales munere suo pari felicitate functi essent, non video ad felicitatem suam in hac vita quid amplius contribuere humana industria posset. Cognita enim, pari certitudine, ratione actionum humanarum, qua cognoscitur ratio magnitudinum in figuris, ambitio et avaritia, quarum potentia falsis vulgi circa *jus et injuriam* opinionibus innititur, inermes essent, fruereturque gens humana pace adeo constante, ut non videatur, nisi de loco, crescente scilicet hominum mul-

titudine, unquam pugnandum esse. Nunc quod bellum gladiis vel calamis perpetuum sit : quod non sit juris et legum naturalium major scientia hodie quam olim : quod sententiis philosophorum utraque pars suum jus tueatur : quod alii laudent, alii vituperent eandem actionem : quod idem nunc probet quæ alio tempore damnat, et sua facta in aliis aliter æstimet : signa manifestissima sunt, nihil profuisse ad scientiam veritatis quæ hactenus scripta sunt a philosophis moralibus ; placuisse vero non illuminando animum, sed venusta et secunda affectibus oratione opiniones temere receptas confirmando. Huic ergo philosophiæ parti idem contigit quod viis publicis, quibus omnes ingrediuntur euntque prorsum et retrorsum ; alii animi causa inambulant, alii rixantur, sed nihil seritur. Cujus rei unica hæc videtur esse ratio, quod nemo eorum, qui materiam hanc tractarunt, commodo usus sit docendi principio. Non enim, ut in circulo, initium scientiæ arbitrio nostro sumi potest. Incipit in ipsis dubitandi tenebris filum quoddam rationis, cujus ductu evaditur in lucem clarissimam ; ibi principium docendi est ; inde ad solvenda dubia converso itinere lux referenda est. Quoties ergo scriptor filum illud vel inscitia deserit vel cupiditatibus abrumpit, non scientiæ, sed errationum suarum vestigia literis describit. Quapropter, cum cogitationes meas ad inquisitionem justitiæ naturalis convertissem, admonitus sum ab ipsa

justitiæ appellatione, qua constans voluntas unicuique *jus suum* tribuendi significatur, quærendum prius esse, unde esset quod quis rem aliquam *suam* potius quam *alienam* esse diceret. Quod cum non a natura, sed a consensu hominum profectum constaret; nam quæ natura in medium protulit, homines postea distribuerunt; ducebar inde ad quæstionem aliam, nimirum, cui bono et qua necessitate coacti, cum omnia essent omnium, voluerint potius sua cuique esse propria. Videbam autem ex communitate rerum bellum atque inde omne genus calamitatis, hominibus de earum usu per vim certantibus, necessario sequuturum esse; id quod omnes natura fugiunt. Nactus ergo duo certissima naturæ humanæ postulata, unum cupiditatis naturalis, qua quisque rerum communium usum postulat sibi proprium; alterum rationis naturalis, qua quisque mortem violentam tanquam summum naturæ malum studet evitare; ab his principiis pactorum et fidei conservandæ necessitatem, atque inde virtutis moralis officiorumque civilium elementa, in hac opella, evidentissima connexionione videor mihi demonstrasse. Quod adjectum est de regno Dei, eo consilio factum est, ne quid inter dictata Dei per naturam, et legem Dei traditam in Scripturis, repugantiæ esse videretur. Operam etiam diligentem per totum cursum orationis meæ dedi, ne quid de legibus cujusunque nationis civilibus dicerem, id est, ne ad

litora accederem tum scopulis, tum præsentibus procellis periculosa. Quantum laboris diligentiaëque in veritate investiganda adhibitum sit, scio. Quid effecerim nescio: nam inventa nostra omnes præ amore minus recte aestimamus. Itaque libellum hunc censuræ tuæ quam favori prius offero, ut apud quem certissimis experimentis exploratum habeam, opinioniones neque celebritate authorum, neque novitate sua, neque specie orationis, sed firmitudine rationum favorabiles fieri. Si arrideat, id est, si nervosus, si utilis, si non vulgaris sit, tum demum eum tibi, excellentissime Domine, præsidium et decus meum, humillime dico dedicoque; sin erraverim, testem tamen habes gratitudinis meæ, quod otium, beneficio tuo concessum, ad gratiam tuam promerendam uti voluerim. Te Deus optimus maximus in statione hac mortali civem optimum protegat, eaque peracta, sed longissima, civitatis cælestis gloria coronet.

Excellentiæ tuæ servus humillimus,

THOMAS HOBBIUS.

Parisiis, Nov. 1, 1646.

PRÆFATIO
AD LECTORES.

QUÆ res attentam lectionem promissæ efficere maxime posse videntur, rei tractandæ dignitas et utilitas, tractandi recta methodus, causa et consilium in scribendo probum, scribentis denique moderatio, eas, lectores, vobis promitto, atque oculis aliquatenus ex hoc loco prospiciendas exhibeo. Describuntur hoc libello hominum officia, primo ut hominum, deinde ut civium, postremo ut Christianorum. Quibus officiis cum juris naturalis gentiumque elementa, justitiæque origo et vis, tum etiam religionis Christianæ, quantum patitur instituti modus, essentia continetur.

Quod quidem doctrinæ genus, excepto quod spectat ad religionem Christianam, sapientum antiquissimi non nisi carminibus decoratum, vel allegoriis adumbratum, quasi imperii mysterium quoddam pulcherrimum et sacrosanctum, ne privatorum hominum disputationibus contaminaretur, posteris tradendum esse censuere. Philosophi interea alii, cum generis humani commodo,

www.libtool.com.cn
rerum figuras et motus, alii, sine incommodo, rerum naturas et causas contemplantur. Temporibus autem quæ insequuta sunt, scientiam hanc civilem, etsi non penitus perspectam, aliqua tamen ex parte in reipublicæ regimine tanquam per nubem pelluentem, primus adamasse dicitur Socrates, itaque coluisse, ut, despecta desertaque omni alia philosophiæ parte, solam hanc ingenio suo dignam judicaret. Post eum Plato, Aristoteles, Cicero, cæterique philosophi Græci, Latini, denique omnes omnium gentium non modo philosophi, sed etiam otiosi, quasi facilem, nullo studio ambiendam, cujuslibet ingenio naturali expositam et prostitutam attrectaverunt attrectantque. Quodque ad dignitatem ejus præcipue facit, illi, qui eam se habere putant vel eo loco sunt ut habere debeant, adeo sibi in ejus specie vehementer placent, ut reliquarum scientiarum studiosos haberi et vocari ingeniosos, doctos, eruditos, quidlibet præter prudentes, æquo animo ferant. Nam nomen hoc propter excellentiam peritiæ civilis sibi solis deberi arbitrantur. Sive igitur scientiarum dignitas ex dignitate eorum ad quos pertinent, sive ex numero eorum qui de ipsis scripserunt, sive ex judicio sapientissimorum hominum æstimanda est, dignissima certe scientiarum hæc ipsa est, quæ ad principes pertinet, hominesque in regendo genere humano occupatos; cujus etiam falsa specie omnes fere homines delectantur; et in qua phi-

www.libtool.com.cn
losophorum excellentissima ingenia maxime versata sunt. Ejusdem utilitatem, sed recte traditæ, id est, ex veris principiis evidenti nexu derivatæ, sic optime perspiciemus, si, quæ falsam ejus et loquacem speciem humano generi consequuntur, damna consideraverimus. Nam in iis rebus, quas ingenii exercendi causa speculamur, si quis error irrepserit, innoxius est, neque fit jactura nisi temporis tantum. In iis vero, quæ quisque vivendi causa meditari debet, non modo ab errore sed etiam ab ignorantia, offensiones, rixas, cædes oriri necesse est. Quanta ergo hæc damna sunt, tanta est ab officiorum doctrina bene tradita utilitas. Quot reges, eosdemque viros bonos, error unus, posse regem tyrannum a subdito suo jure occidi, occidi fecit? Error hic, posse principem summum certis de causis a certis hominibus regno spoliari, quantum hominum jugulavit? Quantum hominum interfecit doctrina hæc erronea, reges summos multitudine superiores non esse, sed ministros ejus? Denique illa quot rebellionum causa fuit, qua docetur, imperata regum utrum justa an injusta sint, cognitionem ad privatos homines pertinere, et priusquam fiant, disputari non modo jure posse sed etiam oportere? Præterea, in communiter recepta philosophia morali alia sunt multa non minus his periculosa, quæ recitari non est opus. Puto hæc prospexisse veteres illos, qui justitiæ scientiam fabulis contectam, quam disputationibus expo-

sitam esse maluerunt. Antequam enim quæstiones illius modi agitari cœperunt, principes potestatem summam non postulabant, sed exercebant. Imperium suum non argumentis, sed hominum sceleratorum quidem pœna, proborum vero defensione tuebantur. Vicissim cives justitiam non sermonibus hominum privatorum, sed legibus civitatis metiebantur : nec disputationibus, sed vi imperii in pace continebantur. Imo potestatem summam, sive in uno homine, sive in uno concilio ea resideret, tanquam divinitatem quandam visibilem venerabantur. Itaque ambitiosis perditisve hominibus ad evertendum civitatis statum minime, ut nunc, se adjugebant. Nam ut eam rem, per quam conservabantur ipsi, conservatam esse nollent, in animum inducere non poterant. Scilicet illorum temporum simplicitas tam doctam stultitiam non capiebat. Itaque pax erat et seculum aureum, quod non ante finem habuit quam, Saturno expulso, contra reges arma ferri posse doceri cœperat. Hæc, inquam, veteres non modo vidisse, sed in una suarum fabularum aptissime videntur significasse. Dicunt enim Ixionem, cum esset a Jove adhibitus in convivium, adamasse atque sollicitasse ipsam Junonem. Illi pro Dea nubem in ejus speciem formatam oblatam esse. Inde genitos esse Centauros, naturæ partim humanæ, partim equinæ, genus pugnax et inquietum. Id quod mutatis nominibus idem est ac si dixissent, homines privatos, ad con-

cilia de summa reipublicæ vocatos, justitiam, imperii summi sororem et conjugem, subjicere suæ ipsorum cognitioni cupere, cæterum falsam et inanem ejus speciem quasi nubem amplexantes, dogmata illa philosophorum moralium biformia, partim recta et speciosa, partim bruta et ferina, rixarum omnium et cædium causas, genuisse. Cum tales igitur opiniones quotidie oriantur, si quis discussserit nubes illas, rationibusque firmissimis ostenderit doctrinas de justo et injusto, bono et malo, præter leges in unaquaque civitate constitutas, authenticas esse nullas, et utrum aliqua actio justa vel injusta, bona vel mala futura sit, a nemine inquirendum esse, præterquam ab iis ad quos legum suarum interpretationem demandaverit, is certe non modo pacis viam regiam sed etiam seditionis opacas et tenebrosas semitas commonstrabit, qua re utilius nihil excogitari potest.

Quod attinet ad methodum, non orationis ordinem, quamquam conspicuus ille sit, solum sufficere, sed a civitatis materia incipiendum, deinde ad generationem et formam ejus, et justitiæ originem primam progrediendum esse existimavi. Nam ex quibus rebus quæque res constituitur, ex iisdem etiam optime cognoscitur. Sicut enim in horologio automato aliave machina paulo implicatiore, quod sit cujusque partis rotæque officium, nisi dissolvatur, partiumque materia, figura, motus seor-

sim ~~inspiciatur~~, sciri non potest: ita in jure civitatis civiumque officiis investigandis, opus est, non quidem ut dissolvatur civitas, sed tamen ut tanquam dissoluta consideretur, id est, ut qualis sit natura humana, quibus rebus ad civitatem compaginandam apta vel inepta sit, et quomodo homines inter se componi debeant qui coalescere volunt, recte intelligatur. Talem ergo methodum secutus, pono, primo loco, pro principio omnibus per experientiam noto, quodque nemo est qui non confiteatur, nimirum, ingenia hominum ejusmodi esse a natura, ut nisi metu potentiae alicujus communis coerceantur, fore, ut sibi invicem diffidant et sese mutuo metuant, et ut propriis viribus singuli sibi cavere cum jure possint, tum necessario velint. Objicietis fortasse nonnullos hoc negare. Ita vero est; permulti enim negant. Numnam igitur, qui eosdem idem et fateri et negare dico, mecum ipse pugno? Minime quidem ego, sed illi, qui, quod actionibus confitentur, id ipsum oratione negant. Videmus civitates omnes, etiamsi cum vicinis pacem habeant, fines tamen suos præsiidiis militum, urbes mœnibus, portis, vigiliis tueri. Quorsum hæc, si a vicinis nihil metuerent? Videmus etiam in ipsis civitatibus, ubi leges sunt et poenæ in malos constitutæ, cives tamen singulares neque in itinere esse sine telo sui defendendi causa, neque dormitum ire nisi obseratis non modo foribus contra concives, sed etiam arcis capsulisque contra domesticos. Possintne

homines sibi invicem omnesque omnibus diffidere sese apertius significare? Quoniam autem omnes sic faciunt, tam civitates quam homines metum suum et diffidentiam mutuam confitentur. Inter disputandum autem negant; hoc est, studio contradicendi aliis, contradicunt sibi metipsis. Objectum porro a nonnullis est, quod, admisso hoc principio, continuo sequatur homines omnes non modo malos, quod forte, etsi durum, concedendum tamen est; cum id clare dictum videatur in Scripturis sacris; sed etiam, quod concedi sine impietate non potest, natura malos esse. Illud vero, homines natura malos esse, ex hoc principio non sequitur. Nam etsi pauciores essent mali quam boni, quoniam tamen bonos a malis internoscere non possumus, necessitas diffidendi, cavendi, anticipandi, subjugandi, quoquo modo se defendendi, incumbit perpetuo etiam bonis et modestis. Minus vero sequitur eos ipsos, qui mali sunt, ita factos esse a natura. Quamquam enim a natura, hoc est, ab ipsa nativitate, ex eo quod nascantur animalia, hoc habeant, ut statim omnia, quæ sibi placent, cupiant faciantque quantum possunt, ut quæ impendent mala, aut metu fugiant, aut ira repellant, non tamen ob eam causam mali censi solent: nam affectus animi, qui a natura animali proficiscuntur, mali non sunt ipsi, sed actiones inde provenientes malæ aliquando sunt; nimirum quando et noxiæ sunt, et contra officium. Infantes, nisi omnia quæ

cupiunt dederis, plorant atque irascuntur, etiam parentes ipsos verberant, habentque a natura ut ita faciant; atamen culpa vacant, neque mali sunt, primo quia nocere non possunt, deinde quia rationis usu carentes officiorum omnium immunes sunt. Iidem si adulta ætate, acquisitis viribus quibus nocere possunt, eadem facere pergant, tum vero mali et esse et appellari incipiunt. Ita ut vir malus idem fere sit, quod puer robustus, vel vir animo puerili, et malitia idem quod defectus rationis ea ætate, qua per naturam, disciplina atque damnorum experientia gubernatam, accidere hominibus solet. Nisi ergo homines ideo a natura factos malos esse dixerimus, quod disciplinam et usum rationis a natura non habent, confitendum est posse homines a natura cupiditatem, metum, iram, cæterosque affectus habere animales, ut tamen mali facti a natura non sint. Immoto igitur quod jeci fundamento, ostendo primo conditionem hominum extra societatem civilem, quam conditionem appellare liceat statum naturæ, aliam non esse quam bellum omnium contra omnes; atque in eo bello jus esse omnibus in omnia: deinde homines omnes ex eo statu misero et odioso, necessitate naturæ suæ, simulatque miseriam illam intellexerint, exire velle: id autem, nisi initis pactis a jure suo in omnia decedant, fieri non posse. Porro quæ sit pactorum natura, quo modo jura ab alio in alium, ut pacta valida fiant, transferri debeant; item quæ jura

et quibus ad stabiliendam pacem necessario concedenda sunt, id est, quæ sint rationis dictamina ea quæ leges naturales appellari proprie possunt, explico et confirmo. Atque hæc sunt in ea parte libri quæ inscribitur **LIBERTAS**.

His constitutis, ostendo quid et quotuplex sit, et quo modo fiat civitas, summumque civitatis imperium, quæque a singulis hominibus civitatem constituturis jura in summum imperantem, sive is unus homo sit, sive unus hominum coetus, ita necessario transferenda sint, ut nisi sint translata civitas nulla fiat, et jus omnium in omnia, id est, jus belli maneat. Deinde civitatum diversas species, monarchiam, aristocratiam, democratiam, dominium paternum, et despoticum, distinguo; quomodo constituentur doceo, et commoda incommodaque singulorum inter se comparo. Præterea, quæ res civitatem destruant, et quæ sint summum imperium administrantis officia, expono. Postremo, legis et peccati naturas explico, et legem a consilio, a pacto, a jure distinguo. Quæ omnia sub titulo **IMPERII** continentur.

In parte ultima, cui inscribitur **RELIGIO**, ne jus illud, quod in præcedentibus summos imperantes in cives habere rationibus confirmaveram, Scripturis sacris repugnare videretur; ostendo primo loco non repugnare illud juri divino, quatenus imperantibus imperat Deus per naturam, id est, per dictamina rationis naturalis. Secundo, idem non repugnare juri divino, quatenus impe-

www.libtool.com.cn
rium habuit Deus in Judæos peculiare per pactum antiquum circumcisionis. Tertio, idem non repugnare juri divino, quatenus Deus imperat in Christianos per pactum baptismale : adeoque jus illud summorum imperantium, sive jus civitatis, cum religione omnino non pugnare. Postremo, ostendo quæ officia ad introitum in regnum cælorum requiruntur necessario ; atque ex illis, obedientiam, quam a civibus singulis Christianis principi suo Christiano deberi affirmaveram, religioni Christianæ repugnare non posse, ex Scripturæ sacræ testimoniis, secundum receptam ab omnibus interpretationem, evidentissime demonstro et concludo.

Methodum vidistis ; causam jam et consilium scribendi accipitote. Dabam operam philosophiæ animi causa, ejusque in omni genere elementa prima congregabam, et in tres sectiones digesta paulatim conscribebam, ita ut in prima, de Corpore proprietatibusque ejus generalibus ; in secunda, de Homine et facultatibus affectibusque ejus speciatim ; in tertia, de Civitate civiumque officiis ageretur. Itaque sectio prima Philosophiam primam et Physiæ elementa aliquot continet : in ea temporis, loci, causæ, potentiæ, relationis, proportionis, quantitatis, figuræ, motus rationes computantur. Secunda circa imaginationem, memoriam, intellectum, ratiocinationem, appetitum, voluntatem, bonum, malum, honestum et turpe, aliaque ejus generis occupatur. Tertia

hæc quid agat, jam ante dictum est. Hæc dum compleo, ordino, lente moroseque conscribo; non enim dissero, sed computo; accidit interea patriam meam, ante .annos aliquot quam bellum civile exardesceret, questionibus de jure imperii et debita civium obedientia, belli propinqui præcursoribus, fervere. Id quod partis hujus tertiæ, cæteris dilatis, maturandæ absolvendæque causa fuit. Itaque factum est ut quæ ordine ultima esset, tempore tamen prior prodierit; præsertim cum eam principiis propriis experientia cognitis innixam, præcedentibus indigere non viderem.

Feci tamen non eo consilio ut laudarer; quamquam si fecissem, excusatione hac uti possem, nisi qui laudem amant, paucos esse qui laudabilia faciunt; sed vestri causa, lectores, qui cum doctrinam quam affero cognitam et perspectam haberetis, sperabam fore, ut aliqua incommoda in re familiari, quoniam res humanæ sine incommodo esse non possunt, æquo animo ferre, quam reipublicæ statum conturbari malletis. Ut justitiam earum rerum, quas facere cogitatis, non sermone vel consilio privatorum, sed legibus civitatis metientes, non amplius sanguine vestro ad suam potentiam ambitiosos homines abuti pateremini. Ut statu præsentem, etsi non optimo, vos ipsos frui, quam bello excitato, vobis interfectis vel ætate consumptis, alios homines alio seculo statum habere reformatiorem, satius duceretis. Præterea,

qui magistratui civili subditos sese esse nolunt, onerumque publicorum immunes esse volunt, in civitate tamen esse, atque ab ea protegi a vi et injuriis postulant, ne illos cives, sed hostes exploratoresque esse putaretis, neque omnia, quæ illi pro verbo Dei vobis vel palam vel secreto proponunt, temere reciperetis. Apertius dicam. Si quis concionator, vel confessor, vel casuista doctrinam hanc, summum imperantem, imò quemlibet hominem, injussu summi imperantis, jure a cive interfici, aut rebellionem, conjurationem, fœdusve quodlibet civium contra civitatem jure iniri posse, verbo Dei consentaneum esse dixerit, illi ne crederetis, sed nomen ejus denunciaretis. Hæc qui probat, is meum quoque in scribendo consilium probum esse existimabit.

Postremo, per totam orationem meam modum talem conservandum mihi proposui, primo ne de justitia singularium actionum quicquam determinarem, sed legibus determinandum relinquerem. Deinde, ne quicquam dissererem de cujuscunque civitatis legibus speciatim, id est, ne quæ sint, sed quid sint leges, dicerem. Tertio, ne civitati aristocraticæ vel democraticæ minorem a civibus obedientiam deberi quam monarchicæ existimare viderer: licet enim monarchiam cæteris civitatis speciebus capite decimo commodiorem esse argumentis aliquot suadere conatus sim; quam rem unam in hoc libro non demon-

stratam sed probabiliter positam esse confiteor; omni tamen civitati potestatem summam et æqualem tribuendam esse passim et expresse dico. Quarto, de doctrinis theologorum, præterquam de illis quæ civium obedientiam tollunt et civitatis statum labefactant, ne quid in ullam partem disputarem. Postremo, ne quid per imprudentiam ederem quod edito opus non esset, id, quod conscripseram, publici juris esse illico nolui: itaque exemplaria pauca privatim impressa amicis distribuenda curavi, ut sententiis aliorum exploratis, si quæ erronea, dura, obscurave esse viderentur, ea emendarem, mollirem atque explicarem.

Acerrime vero reprehensa hæc reperi, quod potentiam civilem immodicam fecerim, sed ab ecclesiasticis; quod libertatem conscientiæ abstulerim, sed a sectariis; quod summos imperantes legibus civilibus exsolverim, sed a legistis. Horum itaque reprehensionibus, ut qui rem suam agunt, nisi ut eos nodos fortius adstringerem, non magnopere commovebar. Cæterum eorum causa, qui circa ipsa principia hæserunt, nempe naturam hominum, jus naturæ, naturam pactorum et generationem civitatis, quoniam non affectus sed sensus suos genuinos in reprehendendo sequuti sunt, annotationes quibusdam in locis adjeci, quales dissentientibus satisfacere posse judicavi. Denique, ne quemquam offenderem præter eos quorum

inceptis hæc repugnant, eosque quorum animi omni opinionum dissensione offendi solent, operam ubique diligenter dedi.

Quapropter, si aliqua inveneritis aut minus certa, aut magis quam necesse erat acriter dicta, cum non partium sed pacis studio, et ab eo dicta sint cujus propter patriæ præsentem calamitatem dolori justo aliquid condonari æquum est, ea ut æquo animo ferre dignemini, lectores, oro postuloque.

PER-ERUDITO AC PER-AMICO VIRO
www.libtool.com.cn
SAMUELI SORBERIO,
PETRUS GASSENDUS S.

QUOD epistolium ad me Caletō vela mox facturus dedisti, accepi. Nihil opus fuit excusare, quod vale coram non dixeris; nam præclarus noster Martellus sat declaravit, quam improvisa discedendi occasio fuerit, et quam requisieris me tamen, utcumque non adfuerim domi. Quod addis autem, potuisse te ante discessum extorquere ab eximio illo HOBBIŌ id exemplum libri de CIVĒ, cui ipse manu propria marginaleis notas apposuit, ut cum isthuc, ubi te voveo incolumem, perveneris, edi iterato procures, id summopere delectavit. Videlicet tam pauca fuere excusa libri exemplaria, ut illa sui sitim potius fecerint, quam expleverint; siquidem innumeros video, qui librum ardentem, sed frustra requirant. E liber certe est non vulgaris, dignusque qui omnium, qui altiora sapiunt, manibus teratur; neque (si illa seposuero, quæ religionem, in qua sumus *εἰρεπόδοξοι*, adiinent) scriptorem agnosco, qui argumentum scrutetur, quam ille, profundius. Utinam vero cætera etiam, quæ ille versavit, perinde extorsisses! Quippe et ex ipsis in lucem prolatis summe beasses nationem totam philosophantium solide; cum ego quidem neminem norim, qui sit inter philosophandum magis a præiudiciis liber, quique penitus quicquid rerum edisseruerit, introspiciat. Enimvero tu virum satis nosti; frustra que foret, si quid præterea in commendationem ejus adderetur. Vale, et amicos optimos saluta, imprimisque Curcellium, Heereboordium, Bornium, et alios. Parisiis iv. Kalend. Maj. c1610cxlvi.

ERUDITISSIMO VIRO

D. SAMUELI SORBERIO

DOCTORI MEDICO S. D.

MARINUS MERSENNUS M.

EN audio, doctissime Sorberi, tecum illud egregium opus de CIVE, incomparabilis viri D. HOBBIJ, te Hagam Comitum, hoc est, ingentem thesaurum literarium tulisse, novis auctum cogitationibus, quæ singulis difficultatibus satisfaciunt, planum iter exhibeant. Vide igitur, ut quis egregius typographus librum illum aureum, gemmis auctum et ornatum, in lucem edat, neque diutius patiaris eum a nobis desiderari. Sed et authorem pro viribus urgeas, ne totum corpus philosophicum, quod mente premit, et calamo explicat, deinceps arca, nobis fatali, concludat, ne tandem nos ad auctoritatem regiam provocare cogat, qua ipsius arcam invidam effringamus. Quanta autem voluptate a nobis afficeris, quando videris nobilem illam philosophiam, non minus quam Euclidis Elementa demonstrari! Quam libenter illi tuæ epochæ et scepticis næniis renuntiaturus es, cum dogmaticam firmissimis innixam fuleris fateri cogaris! Vale. Ubi vero D. Rivetum, ubi Hugenum mirabilem virum videris, millies eos meo nomine salutes velim, meque tui credas memorem et obsequentem. Aureliæ xxv April, c1o1ocxlvj.

SECTIO III.

DE CIVE.

LIBERTAS.

CAPUT I.

DE STATU HOMINUM EXTRA SOCIETATEM CIVILEM.

1. *Introductio.* 2. *Societatis civilis initium esse a mutuo metu.* 3. *Homines natura æquales inter se esse.* 4. *Unde nascitur mutuo se lædendi voluntas.* 5. *Discordia a comparatione ingeniorum.* 6. *Ab appetitu plurium ad eandem rem.* 7. *Definitio juris.* 8. *Jus ad finem dat jus ad media necessaria.* 9. *Jure naturali unumquemque judicem esse mediorem ad sui conservationem.* 10. *Jure naturali omnia esse omnium.* 11. *Jus omnium ad omnia inutile esse.* 12. *Statum hominum extra societatem bellum esse.* *Belli et pacis definitiones.* 13. *Bellum conservationi hominum adversum esse.* 14. *Jure naturali licere cuique alium in sua potestate existentem cogere ad cautionem præstandam futuræ obedientiæ.* 15. *Naturam dicere querendam esse pacem.*

1. *NATURÆ humanæ facultates ad quatuor genera reduci possunt, vim corpoream, experientiam, rationem, affectum. Ab his sequentis doctrinæ initium capientes dicemus primo loco, quid animi habeant homines illis facultatibus præditi, alteri adversus alteros: et an, et qua facultate, apti nati*

SECT. III.

I.

Introductio.

SECT. III. ~~sint ad societatem, et ad conservandum se adversus~~
 1. mutuum vim; deinde progredientes, quid consilii
 in eam rem necessario capiendum fuit, et quæ sint
 societatis sive pacis humanæ conditiones, hoc est,
 mutato tantum nomine, quæ sint naturæ leges fun-
 damentales, ostendemus.

Societatis civi-
 lis initium esse
 a mutuo metu.

2. Eorum, qui de rebus publicis aliquid conscrip-
 serunt, maxima pars vel supponunt, vel petunt, vel
 postulant, hominem esse animal aptum natum* ad
 societatem; Græci dicunt ζῶον πολιτικόν; eoque
 fundamento ita superædificant doctrinam civilem,

* *Aptum natum, etc.*] Cum societatem inter homines actu jam
 constitutam; cum extra societatem vivere neminem; cum appetere
 congressum et colloquia mutua omnes videamus; mira quædam
 videri potest stupiditas in ipso doctrinæ civilis limine hujusmodi
 offencilum legentibus opponere, *hominem ad societatem aptum
 natum non esse.* Itaque explicatius dicendum est. Verum qui-
 dem esse homini per naturam, sive quatenus est homo, id est,
 statim atque est natus, solitudinem perpetuam molestam esse.
 Nam infantes ad vivendum, adulti ad bene vivendum aliorum ope
 indigent. Itaque homines alterum alterius congressum natura
 cogente appetere non nego. Societates autem civiles non sunt
 meri congressus, sed fœdera, quibus faciendis fides et pacta ne-
 cessaria sunt. Horum, ab infantibus quidem et indoctis, vis; ab
 iis autem, qui damnorum a defectu societatis inexperti sunt, uti-
 litas ignoratur: unde fit ut illi, quia quid sit societas non intelli-
 gunt, eam inire non possint; hi, quia nesciunt quid prodest, non
 curent. Manifestum ergo est omnes homines, cum sint nati
 infantes, ad societatem ineptos natos esse: per multos etiam,
 fortasse plurimos, vel morbo animi, vel defectu disciplinæ, per
 omnem vitam ineptos manere. Habent tamen illi tam infantes
 quam adulti naturam humanam. Ad societatem ergo homo aptus,
 non natura, sed disciplina factus est. Porro tametsi ea conditione
 natus esset homo ut societatem appeteret, non sequitur eundem
 ita natum esse, ut societati ineundæ sit idoneus. Alia res est ap-
 petere, alia capacem esse. Appetunt enim illi, qui tamen con-
 ditiones æquas, sine quibus societas esse non potest, accipere per
 superbiam non dignantur.

tanquam ad ~~conservationem~~ pacis et totius generis humani regimen nihil aliud opus esset, quam ut homines in pacta et conditiones quasdam, quas ipsi jam tum leges appellant, consentirent. Quod axioma, quamquam a plurimis receptum, falsum tamen, errorque a nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est. Causas enim, quibus homines congregantur et societate mutua gaudent, penitius inspectantibus facile constabit, non ideo id fieri, quod aliter fieri natura non possit, sed ex accidente. Nam si homo hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem; nulla ratio reddi posset, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipsi potius quam aliis defertur honor et utilitas. Non socios igitur, sed ab illis honore vel commodo affici natura quærimus; hæc primario, illos secundo appetimus. Quo autem consilio homines congregentur, ex iis cognoscitur quæ faciunt congregati. Si coeant enim commercii causa, unusquisque non socium, sed rem suam colit: si officii causa, nascitur forensis quædam amicitia, plus habens mutui metus quam amoris; unde factio aliquando nascitur, sed benevolentia nunquam. Si animi et hilaritatis causa, solet maxime perplacere sibi unusquisque iis rebus, quæ risum excitant, unde possit, prout est natura ridiculi, comparatione turpidinis vel infirmitatis alienæ, ipse sibimet commendatior evadere. Etiam si autem hoc innocuum aliquando et sine offensa sit; manifestum tamen est, delectari eos non prius societate quam gloria sua. Cæterum plerumque in hujusmodi congressibus læduntur absentes, eorum tota vita, dicta, facta, examinantur, judicantur, condemnantur, et dicteriiis

SECT. III.

1.

Societatis civilis
initium esse a
mutuo motu.

SECT. III. traducuntur; neque parcitur ipsismet confabulan-

1.

Societatis civilis
initium esse a
mutu metuo.

tibus, quin idem patiantur simulatque e concessu exierint; adeo ut non absurdum fuerit consilium ejus, qui a scena confabulantium exire novissimus solebat. Atque hæ veræ sunt deliciæ societatis, ad quas natura, id est, ab affectibus omni animanti insitis ferimur, donec nocumentis vel præceptis fiat, quod in multis nunquam fit, ut appetitus præsentium memoria præteritorum retundatur: sine quibus plurimorum hominum in materia hac facundissimorum frigida et jejuna est oratio. Quod si accidat considentes historiolas narrare, unus autem eorum de se aliquam proferat, unusquisque cæterorum cupidissime quoque de se loquitur; si unus mirabile aliquod narret, cæteri miracula, si habent, referunt; si non habent, fingunt. Denique ut loquar de iis qui profitentur præ cæteris sapere, si philosophiæ gratia coeatur, quot homines tot sunt qui cæteros docent, nempe tot volunt magistri haberi; alioqui socios non modo, ut alii, non se amant mutuo, sed odio prosequuntur. Clarum adeo est experientia omnibus, qui res humanas paulo attentius considerant, quod congressus omnis spontaneus vel egestate mutua conciliatur, vel captanda gloria: unde referre student congregantes vel commodum aliquod, vel illud εὐδοκίμειν, existimationem et honorem apud socios. Idem quoque ratione colligitur ex ipsis definitionibus *voluntatis, boni, honoris, utilis*. Cum enim societas voluntario contrahatur, in omni societate quæritur voluntatis objectum, hoc est, id quod videtur unicuique congregantium bonum sibi. Quicquid autem videtur bonum, jucundum est, pertinetque ad organa vel ad animum. Animi autem voluptas omnis vel gloria est, sive bene opinari de seipso, vel ad gloriam ultimo

refertur; cætera sensualia sunt, vel ad sensuale conducentia, quæ omnia commodorum nomine comprehendi possunt. Omnis igitur societas vel commodi causa, vel gloriæ, hoc est, sui, non sociorum amore contrahitur. Gloriæ autem studio nulla iniri neque multorum hominum, neque multi temporis, societas potest; propterea quod gloriatio, sicut et honor, si omnibus adsit, nulli adest; quippe quæ comparatione et præcellentia constant: neque ut quis causam gloriandi in se habeat, adjumentum ullum accedit ex aliorum societate. Tanti enim quisque est, quantum sine aliorum ope ipse potest. Quanquam autem commoda hujus vitæ augeri mutua ope possunt, cum tamen id fieri multo magis dominio possit quam societate aliorum, nemini dubium esse debet, quin avidius ferrentur homines natura sua, si metus abesset, ad dominationem quam ad societatem. Statuendum igitur est, originem magnarum et diuturnarum societatum non a mutua hominum benevolentia, sed a mutuo metu* exstitisse.

SECT. III.

1.

Societatis civilis
initium esse a
mutuo metu.

* *A mutuo metu, etc.*] Objectum est, tantum abesse, ut homines in societatem civilem coalescere propter metum possent, ut si mutuo se metuissent, ne conspectum quidem mutuum ferre potuissent. Sentiunt, opinor, nihil aliud esse metuere, præterquam perterri. Ego ea voce futuri mali prospectum quemlibet comprehendo. Neque solam fugam, sed etiam diffidere, suspicari, cavere, ne metuant providere, metuentium esse judico. Qui dormitum eunt, fores claudunt; qui iter facit, cum telo est; quia metuunt latrones. Civitates fines suos præsiidiis, urbes mœnibus, tueri solent, metu vicinarum civitatum; etiam fortissimi exercitus, comparatique ad pugnam, de pace tamen colloquia habent aliquando, metuentes vim mutuam, et ne vincantur. Per metum est quod homines sibi cavent; fuga quidem et latebris, si caveri aliter posse non putant; sæpiissime vero armis atque instrumentis defensionis, quo fit, ut prodire audentes, alter alterius cognoscere ingenium possit. Tunc autem sive pugnant, ex victoria; sive consentiunt, ex consensione civitas nasci solet.

SECT. III.

1.

Homines
natura æquales
esse inter se.

3. *Causa metus* mutui consistit, partim in naturali hominum æqualitate, partim in mutua lædendi voluntate. Ex quo fit, ut neque ab aliis exspectare, neque nobismet ipsis securitatem præstare valeamus. Si spectemus enim maturos homines, atque animadvertamus, quam fragilis sit compages humani corporis, quo ruente corrui omnis ejus vis robor et sapientia; quamque facile sit infirmissimo cuique robustiorem occidere, non est quod quis viribus fidens superiorem se aliis factum putet a natura. Æquales sunt, qui æqualia contra se invicem possunt. At qui maxima possunt, nimirum occidere, æqualia possunt. Sunt igitur omnes homines natura inter se æquales. Inæqualitas quæ nunc est, a lege civili introducta est.

Unde nascitur
mutuo se læ-
dendi voluntas.

4. Voluntas lædendi omnibus quidem inest in statu naturæ, sed non ab eadem causa, neque æque culpanda. Alius enim secundum æqualitatem naturalem permittit cæteris eadem omnia, quæ sibi; quod modesti hominis est, et vires suas recte æstimantis. Alius superiorem se aliis existimans, omnia licere sibi soli vult, et præ cæteris honorem sibi arrogat; quod ingenii ferocis est. Huic igitur voluntas lædendi est ab inani gloria et falsa virium æstimatione; illi ex necessitate res suas et libertatem contra hunc defendendi.

Discordia a
comparatione
ingeniorum:

5. Præterea, cum maximum sit certamen ingeniorum, necesse est oriri ex ea contentione maximas discordias. Etenim non modo contra contendere, sed etiam hoc ipsum, non consentire, odiosum est. Nam non consentire alicui in re aliqua, est eum erroris in ea re tacite accusare, sicut in valde multis dissentire idem est atque pro stulto eum habere; quod ex eo apparere potest,

quod **nulla librius gerantur** bella quam inter ejusdem religionis sectas et ejusdem reipublicæ factiones, ubi certamen est vel de doctrinis vel de prudentia politica. Cumque omnis animi voluptas omnisque alacritas in eo sita sit, quod quis habeat quibuscum conferens se, possit magnifice sentire de se ipso; impossibile est quin odium et contemptum mutuuum ostendant aliquando vel risu, vel verbis, vel gestu, vel aliquo signo, qua quidem nulla major animi est molestia, neque ex qua lædendi libido major oriri solet.

SECT. III.

1.

6. Frequentissima autem causa, quare homines se mutuo lædere cupiunt, ex eo nascitur, quod multi simul eandem rem appetant, qua tamen sæpissime neque frui communiter, neque dividere possunt; unde sequitur, fortiori dandam esse; quis autem fortior sit, pugna judicandum est.

Ab appetita
plurium ad
eandem rem.

7. Inter tot pericula igitur, quæ quotidie a cupiditate hominum naturali unicuique eorum intenduntur, cavere sibi adeo vituperandum non est, ut aliter velle facere non possimus. Fertur enim unusquisque ad appetitionem ejus quod sibi bonum, et ad fugam ejus quod sibi malum est, maxime autem maximi malorum naturalium, quæ est mors; idque necessitate quadam naturæ non minore, quam qua fertur lapis deorsum. Non igitur absurdum neque reprehendendum neque contra rectam rationem est, si quis omnem operam det, ut a morte et doloribus proprium corpus et membra defendat conservetque. Quod autem contra rectam rationem non est, id juste et *jure* factum omnes dicunt. Neque enim *juris* nomine aliud significatur quam libertas, quam quisque habet facultatibus naturalibus secundum rectam rationem utendi. Itaque

Definitio juris,
et jure facti.

SECT. III. *juris naturalis fundamentum primum est, ut quis que vitam et membra sua quantum potest tueatur.*

1.

Jus ad finem
dat jus ad me-
dia necessaria.

8. Quoniam autem jus ad finem frustra habet, cui jus ad media necessaria denegatur, consequens est, cum unusquisque se conservandi jus habeat, ut unusquisque jus etiam habeat *utendi omnibus mediis, et agendi omnem actionem, sine qua conservare se non potest.*

Jure naturali
unumquemque
judicem esse
mediorum ad sui
conservationem.

9. Utrum autem media, quibus usus quispiam est, et actio quam acturus est, ad conservationem vitæ vel membrorum suorum necessaria sint necne, *ipse jure naturali judex est.* Si enim contra rectam rationem sit, ut de proprio periculo ipse judicem, judicet alius. Quoniam ergo alius judicat de iis rebus quæ ad me spectant, eadem ratione, quia æquales natura sumus, judicabo ego de iis rebus quæ ad ipsum spectant. Itaque rectæ rationis, hoc est, juris naturalis est, ut ego de illius judicem sententia, scilicet an ad conservationem meam conducat, necne.

Jure natu-
rali omnia
esse omnium.

10. Natura dedit *unicuique jus in omnia*: hoc est, in statu* mere naturali, sive antequam ho-

* *In statu mere naturali, &c.*] Hoc ita intelligendum est, quod quis fecerit in statu mere naturali, id injuriam homini quidem nemini esse. Non quod in tali statu peccare in Deum, aut leges naturales violare impossibile sit. Nam injustitia erga homines supponit leges humanas, quales in statu naturali nullæ sunt. Propositionis autem sic intellectæ veritas ex articulis immediate præcedentibus lectori memori satis demonstrata est. Sed quia in quibusdam casibus conclusionis duritas præmissarum memoriam expellit, contrahere argumentum volo, unoque intuitu oculis conspiciendum subjicere. Unicuique jus est se conservandi, per Art. 7. Eidem ergo jus est omnibus uti mediis ad eum finem necessariis, per Art. 8. Media autem necessaria sunt, quæ ipse talia esse judicabit, per Art. 9. Eidem ergo jus est omnia facere et possidere, quæ ipse ad sui conservationem necessaria esse judica-

mines ~~ullis pactis~~ sese invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quæcunque et in quoscunque libebat, et possidere, uti, frui omnibus, quæ volebat et poterat. Quoniam enim, quæcunque quis voluerit, ideo bona sibi videntur quia ea vult, possuntque vel conducere ad sui conservationem, vel saltem conducere videri: judicem autem, an vere conducant necne, præcedente articulo, ipsum constituimus, ita ut habenda sint pro necessariis, quæ ipse talia judicat: et (per articulum 7) *jure naturæ* fiunt et habentur, quæ necessario conducunt ad tuitionem propriæ vitæ et membrorum: sequitur, omnia habere et facere in statu naturæ omnibus licere. Et hoc est quod vulgo dicitur, *Natura dedit omnia omnibus*. Ex quo etiam intelligitur in statu naturæ mensuram *juris* esse utilitatem.

SECT. III.

1.

11. Minime autem utile hominibus fuit, quod hujusmodi habuerint *in omnia jus commune*. Nam effectus ejus *juris* idem pene est, ac si nullum omnino *jus* exstiterit. Quamquam enim quis de re omni poterat dicere *hoc meum est*; frui tamen ea non poterat propter vicinum, qui æquali *jure* et æquali vi prætendebat idem esse suum.

Jus omnium ad omnia inutile esse.

12. Ad naturalem hominum proclivitatem ad se mutuo lacessendum, quam ab effectibus, præsertim

Statum hominum extra societatem bellum esse.

bit. Ipsius ergo facientis judicio id quod fit, *jure* fit, vel *injuria*; itaque *jure* fit. Verum ergo est, in statu mere naturali, etc. Quod si quis ad sui conservationem pertinere prætendit, quod ne ipse quidem pertinere putat, peccare potest contra leges naturales; ut capite tertio fuse explicatum est. Objectum est a quibusdam: si filius patrem interfecerit, utrum patri injuriam non fecerit. Respondi; filium in statu naturali intelligi non posse, ut qui, simul atque natus est, in potestate et sub imperio est ejus cui debet conservationem sui: scilicet, matris, vel patris, vel ejus qui præbet ipsi alimenta; ut capite nono demonstratum est.

SECT. III. ^{1.} ~~vero ab inani sui aestimatione derivant, si addas jam~~
 jus omnium in omnia, quo alter *jure* invadit, alter
jure resistit, atque ex quo oriuntur omnium adversus
 omnes perpetuæ suspiciones et studium, et quam
 difficile sit præcavere hostes parvo numero et appa-
 ratu, cum animo nos prævertendi opprimendique
 invadentes, negari non potest, quin status hominum
 naturalis antequam in societatem coiretur, bellum
 fuerit; neque hoc simpliciter, sed bellum omnium
 in omnes. BELLUM enim quid est, præter tempus
 illud, in quo voluntas certandi per vim verbis fac-
 tisve satis declaratur? Tempus reliquum PAX
 vocatur.

Belli et pacis
 definitiones.

Bellum conser-
 vationi hominum
 adversum esse.

13. Sempiternum autem bellum quam parum ido-
 nea res sit ad conservationem vel humani generis,
 vel uniuscujuscumque hominis, facile judicatur. At
 sua natura sempiternum est, quod præ certantium
 æqualitate victoria nulla potest finire; in eo enim
 ipsis victoribus periculum semper adeo imminet, ut
 pro miraculo haberi debeat, si quis, quamquam for-
 tissimus, annis et senectute conficiendus sit. Exem-
 plum huic rei sæculum præsens Americanos exhibet;
 sæcula antiqua cæteras gentes, nunc quidem civiles
 florentesque, tunc vero paucos, feros, brevis ævi,
 pauperes, fœdos, omni eo vitæ solatio atque ornatu
 carentes, quem pax et societas ministrare solent.
 Quicumque igitur manendum in eo statu censuerit,
 in quo omnia liceant omnibus, contradicit sibimet
 ipsi. Nam unusquisque naturali necessitate bonum
 sibi appetit, neque est quisquam qui bellum istud
 omnium contra omnes, quod tali statui naturaliter
 adhæret, sibi existimat esse bonum. Atque ita evenit,
 ut mutuo metu e tali statu exeundum et quærendos
 socios putemus; ut si bellum habendum sit, non sit
 tamen contra omnes, nec sine auxiliis.

14. *Quærentur socii vel vi, vel consensu: vi, SECT. III.*
 quando pugna victor victum servire sibi cogit metu 1.
 mortis, vel vinculis inditis; consensu, quando so- Jure naturali
 licere cuique
 alium in sua po-
 tentate existen-
 tem cogere ad
 cautionem præ-
 standam futuræ
 obedientiæ.
 cietas inicitur mutæ opis causa, consentiente utraque
 parte sine vi. Potest autem victor victum, vel fortior
 debiliorem, ut sanus et robustus infirmum, vel ma-
 turus infantem, ad præstandam cautionem futuræ
 obedientiæ, ni velit potius mori, *jure cogere*. Cum
 enim *jus* protegendi nosmetipsos nostro arbitrio a
 periculo nostro, atque periculum ab æqualitate pro-
 fectum sit, magis rationi consentaneum est, certius-
 que ad conservationem nostram, utendo præsentii
 commodo comparare nobis ipsis securitatem quæsi-
 tam, accepta cautione, quam cum adoleverint,
 convaluerint, et e nostra potestate se receperint,
 eandem dubio certamine postea repetere conari.
 Contraque, absurdius cogitari nihil potest, quam ut
 quem debilem in potestate tenes, eum amittendo,
 fortem simul et hostem facias. Ex quo intelligitur
 etiam, tanquam corollarium, in statu hominum na-
 turali *potentiam certam et irresistibilem jus con-*
ferre regendi imperandique in eos, qui resistere
non possunt; adeo ut omnipotentia, ab ea causa,
 omnium rerum agendarum jus essentialiter et im-
 mediate adhæreat.

15. Propter tamen æqualitatem illam virium Naturam
 dictare quæren-
 dam esse pacem.
 cæterarumque facultatum humanarum, hominibus
 in statu naturæ, hoc est, in statu *belli* constitutis
 conservatio sui diuturna expectari non potest.
*Quare quærendam esse pacem, quatenus habenda
 ejus spes aliqua affulserit; ubi haberi ea non
 potest, quærenda esse belli auxilia, rectæ rationis
 dictamen est; hoc est, lex naturæ, ut proxime
 ostendetur.*

CAPUT II.

DE LEGE NATURÆ CIRCA CONTRACTUS.

1. Legem naturalem non esse consensum hominum, sed dictamen rationis.
2. Legem naturæ fundamentalem esse, quærendam esse pacem, si haberi potest; si haberi non potest, defensionem.
3. Lex naturæ specialis prima, jus in omnia non esse retinendum.
4. Quid sit jus relinquere, quid transferre.
5. Ad translationem juris necessariam esse voluntatem acceptantis.
6. Verba non transferunt jus, nisi de præsentis.
7. Verba de futuro, si alia signa voluntatis adsint, valere ad jus transferendum.
8. In libera donatione, verbis de futuro jus non transit.
9. Definitio contractus et pacti.
10. In pactis transit jus per verba de futuro.
11. Pacta mutus fidei in statu naturæ frustra et invalida sunt; in civitate non item.
12. Pacisci eum bellis neminem posse; neque cum Deo, sine revelatione.
13. Neque Deo voveri.
14. Pacta ultra summum conatum non obligant.
15. Quibus modis pactis liberemur.
16. Promissa metu mortis extorta in statu naturæ valida esse.
17. Pactum posterius priori contradictorium, invalidum est.
18. Pactum de non resistendo inferenti damnnum corporis, invalidum est.
19. Pactum de se accusando invalidum est.
20. Jurisjurandi definitio.
21. Jusjurandum concipiendum esse ea formula, qua utitur is qui accipit.
22. Jusjurandum nihil superaddit obligationi, quæ est ex pacto.
23. Juramentum non exigendum, nisi ubi pactorum violatio vel latere potest, vel non potest puniri nisi a Deo.

SECT. III. 1. DE definitione *legis naturalis* non consentiunt

2.

Legem naturalem non esse consensum hominum, sed dictamen rationis.

authores, qui ea voce frequentissime tamen in scriptis suis usi sunt. Methodus scilicet, qua incipitur a definitionibus et exclusionem æquivoci, propria eorum est qui locum contra disputandi non relinquunt. Cæterorum si quis quid factum dicat contra legem naturalem, ex eo probat alius, quod contra consensum factum sit omnium vel sapientissimarum vel eruditissimarum gentium; quis autem de sapientia, eruditione, et moribus omnium gentium judicabit, id minime docet: alius, quod factum sit

contra **consensum** totius generis humani. Quæ definitio nullo modo recipienda est; alioquin enim, impossibile esset cuiquam, exceptis infantibus et mente captis, contra talem legem peccare. Nam voce illa *genus humanum* comprehendunt certe omnes homines ratione actu utentes. Illi igitur contra eam vel non faciunt, vel faciunt non consentientes, ideoque excusandi sunt. Naturæ autem leges ab eorum consensu recipere, qui eas violant sæpius quam observant, sane iniquum est. Præterea, homines eadem in aliis damnant, in seipsis probant; contra, publice laudant, quod secreto spernunt, et consuetudine audiendi; non propria speculatione sententiam ferunt, consentiuntque odio, metu, spe, amore, vel aliqua alia animi perturbatione, magis quam ratione. Ideoque non raro accidit totos populos summo consensu et contentione ea agere, quæ scriptores illi contra *legem esse naturalem* libentissime confitentur. Sed cum concedant omnes *jure* fieri, quod non fit contra rectam rationem, *injuria* factum censere debemus, quod rectæ rationi repugnat, hoc est, quod contradicit alicui veritati a veris principiis recte ratiocinando collectæ. Quod autem *injuria* factum est, contra *legem* aliquam fieri dicimus. Est igitur *lex* quædam *recta ratio*, quæ, cum non minus sit pars naturæ humanæ, quam quælibet alia facultas vel affectus animi, naturalis quoque dicitur. Est igitur *lex naturalis*, ut eam definiam, dictamen rectæ rationis* circa ea, quæ agenda vel

SECT. III.

2.

Legem natura-
lem non esse, etc.

* *Rectæ rationis, etc.*] Per rectam rationem in statu hominum naturali, intelligo, non ut multi facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, id est, ratiocinationem uniuscujusque propriam et veram circa actiones suas, quæ in utilitatem, vel damnum cæterorum hominum redundare possint. Propriam dico, quia

SECT. III. **omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservatio-**
 nem, quantum fieri potest, diuturnam.

2.

Legem naturæ
 fundamentalem
 esse, quærendam
 esse pacem, si ha-
 beri potest; si ha-
 beri non potest,
 defensionem.

2. Prima autem et fundamentalis lex natura est, *quærendam esse pacem, ubi haberi potest; ubi non potest, quærenda esse belli auxilia*: ostendimus enim articulo ultimo præcedentis capituli, præceptum hoc dictamen esse rectæ rationis. Esse autem dictamina rectæ rationis leges naturales, id proxime supra definitum est. Prima autem est, quia cæteræ sunt ab hac derivatæ, præcipiuntque vias vel pacis vel defensionis acquirendæ.

Lex naturæ spe-
 cialis prima: jus
 in omnia non esse
 retinendum.

3. Legum autem naturalium a fundamentali illa derivatarum una est, *jus omnium in omnia retinendum non esse, sed jura quædam transferenda vel relinquenda esse*. Nam si retineret unusquisque suum *jus in omnia*, necesse est sequi ut *jure* alii invaderent, alii defenderent; quisque enim et corpus suum, et ea que corpori tuendo necessaria sunt, necessitate naturæ conatur defendere. *Bellum* ergo sequeretur. Facit itaque contra rationes pacis, hoc est, contra *legem naturæ*, si quis de *jure* suo *in omnia* non decedat.

4. *Decedere* autem *de jure suo* dicitur, qui juri suo

quamquam in civitate, ipsius civitatis ratio, hoc est, lex civilis, a singulis civibus pro recta habenda sit; tamen extra civitatem, ubi rectam rationem a falsa dignoscere nisi comparatione facta cum sua nemo potest, sua cujusque ratio non modo pro actionum propriarum, quæ suo periculo fiunt, regula, sed etiam in suis rebus pro rationis alienæ mensura censenda est. Veram dico, id est, ex veris principiis recte compositis concludentem. Propterea quod in ratiocinatione falsa, sive in stultitia hominum officia sua erga cæteros homines ad conservationem propriam necessaria non videntium, omnis consistit legum naturalium violatio. Principia autem rectæ ratiocinationis circa ejusmodi officia, ea sunt quæ capituli primi articulis 2, 3, 4, 5, 6 et 7, explicata sunt.

vel simpliciter renunciat, vel in alium transfert. *Simpliciter renunciat*, qui signo vel signis idoneis declarat, velle se non licitum sibi amplius fore certum aliquid facere, quod *jure* antea fecisse poterat. *Transfert* autem in alterum, qui signo vel signis idoneis illi alteri, id *juris* volenti ab eo accipere, declarat velle se non licitum sibi amplius fore ipsi resistere certum aliquid agenti, prout ei resistere *jure* antea poterat. *Juris* autem *translationem* in sola non resistantia consistere, ex eo intelligitur, quod ante *juris* translationem, is, in quem transfertur, jus habebat jam tum in omnia; unde novum *jus* dare non potuit, sed justa transferentis resistantia, propter quam *jure* suo alter frui non potuit, extinguitur. Quicumque igitur *jus* acquirit in statu hominum naturali, id agit tantum ut secure et sine justa molestia *jure* suo *primævo* frui possit. Exempli causa, si quis fundum suum alteri vel venum vel dono dederit, sibi soli *jus* in eum fundum, non aliis item adimit.

5. Requiritur autem ad *juris translationem* voluntas non modo transferentis, sed etiam acceptantis. Si utraque absit, *jus* manet. Non enim si quod meum est accipere recusanti dare voluerim, propterea simpliciter *jure* meo renunciavi, sive ad quemlibet transtuli. Nam causa, propter quam uni dare volui, in eo uno est, in cæteris non item.

6. Voluntatis autem in *jure* vel relinquendo vel transferendo, si signa nulla alia exstiterint præter verba, verba ea *de præsentis* vel *præteritis* esse oportet. Nam si *de futuro* sint, nihil transferunt. Qui enim, exempli causa, de futuro sic dicit, *cras dabo*, aperte significat non se dedisse. Toto itaque

SECT. III.

2.

Quid sit
decedere de
jure suo, quid
illud transferre.

Ad translationem
juris necessarium esse
voluntatem acceptantis.

Verba non
transferunt,
nisi de præsentis.

SECT. III. 2. hodie jus immotum est, manetque etiam crastino die, nisi interea actu dederit. Quod enim meum est, meum manet, nisi post dederim. Quod si de præsentī loquar, puta hoc modo, *do*, vel *dedi habendum cras*, illis verbis significatur, me *dedisse*, et *jus habendi cras*, transtulisse *hodie*.

Verba de futuro, si alia signa voluntatis adsint, valere ad jus transferendum.

7. Veruntamen, quoniam verba sola ad voluntatis declarationem signa sufficientia non sunt, verba de futuro, si alia adsint signa voluntatis, valere possunt, tanquam dicta essent de præsentī. Siquidem enim propter alia signa constiterit ipsum de futuro loquentem velle valere verba sua ad perfectam *juris sui translationem*, valere debent. Dependet enim *juris translatio*, non a verbis, sed, ut dictum est (articulo 4, hujus capituli) a declaratione voluntatis.

In libera donatione, verbis de futuro jus non transit.

8. Si quis jus aliquod suum ad alterum transferat, neque id faciat propter bonum mutuo acceptum, vel propter pactum; ejusmodi translatio *DONUM* vocatur, sive *donatio libera*. In donatione autem libera, obligant ea verba sola, quæ *de præsentī* sunt, vel *de præterito*. Nam si *de futuro* sint, non obligant *ut verba*, propter rationem articulo proxime superiore adductam. Oportet igitur ut ab aliis signis voluntatis nascatur obligatio. Quoniam autem quicquid fit *voluntario*, propter bonum aliquod fit *volentis*, nullum signum voluntatis dandi assignari potest, præter aliquod *bonum* tali donatione acquisitum, vel acquirendum. Supponitur autem nullum tale bonum acquisitum esse, neque pactum existere; quia sic non esset *donatio libera*. Restat igitur ut *bonum mutuum* sine pacto expectandum sit. Signum autem nullum dari potest, quare is, qui verbis de futuro usus est, adversus

eum, qui ad mutuū beneficium non teneretur, sic vellet verba ejus intelligi, ut obligaretur ipse. Neque rationis est, ut qui aliis facile bene volunt, omni promisso præsentem affectum testante obligentur. Et propterea promissor talis deliberare intelligendus est, et mutare affectum posse, quemadmodum et is, cui promittitur, mutare meritum potest. Qui deliberat autem, eatenus liber est, neque donasse dicitur. Quod si promittat sæpe, donet autem raro, levitatis condemnari debet, nec vocari donans, sed

SECT. III.

2.

9. Duorum autem vel plurium *jura* sua mutuo *transferentium* actio vocatur CONTRACTUS. In omni autem contractu, vel uterque statim præstat id de quo contractum est, ita ut alter alteri nihil concredat; vel alter præstat, alteri creditur; vel neuter præstat. Ubi uterque statim præstat, ibi *contractus*, simul ac præstitum est, finitur. Ubi vero vel alteri vel utrique creditur, ibi is, cui creditur, promittit se præstiturum postea, appellaturque hujusmodi promissum PACTUM.

Definitio contractus et pacti.

10. *Pactum* autem quod fit ab eo, cui creditur, cum eo qui jam præstitit, etiamsi promissio facta sit verbis de futuro, non minus futuri temporis *jus* transfert, quam si facta esset verbis de præsentem vel præterito. Præstatio enim signum manifestissimum est eum, qui præstitit, ita intellexisse orationem alterius, cui credebat, tanquam volentis præstare condicto tempore; eoque signo cognovit is sic se intelligi; quod quia non correxit, voluit fieri. *Promissa* igitur quæ fiunt propter *bonum* acceptum, quæ et pacta sunt, signa sunt voluntatis, hoc est, ultimi actus deliberandi, quo libertas non præstandi

In pactis transit jus per verba de futuro.

SECT. III. tollitur, et per consequens sunt obligatoria. Ubi enim libertas desinit, ibi incipit obligatio.

2.

Pacta mutua fidei, in statu naturæ frustra et invalida sunt; in civitate non item.

11. Pacta autem, quæ fiunt in contractu ubi fides mutua est, neutro quicquam statim præstante, in statu naturæ, si justus ex utraque parte metus oritur, * sunt invalida. Nam qui prior præstat, propter pravum ingenium maximæ partis hominum, comodo suo jure et injuria juxta studentium, cupidini se prodit illius quicum contrahit. Rationis enim non est, ut aliquis præstet prior, si verisimile non sit alterum esse præstiturum post. Quod utrum verisimile sit necne, is qui metuit judicabit; ut ostensum est capite præcedente, articulo 9. Hæc, inquam, ita se habent in statu naturali. Cæterum in statu civili, ubi est qui utrumque cogere potest, is, qui per contractum prior est ad præstandum, prior præstare debet; quoniam, cum alter cogi potest, cessat ratio propter quam ne non præstaret metuebat.

Pacisci cum belluis neminem posse: neque cum Deo, sine revelatione.

12. Ex eo autem, quod in omni *donatione*, et *pactis* omnibus, requiritur acceptatio *juris* quod transfertur, sequitur *pacisci* neminem posse cum eo, qui acceptationem illam non significat. Neque igitur pacisci cum belluis, neque jus ullum illis tribuere aut auferre possumus propter defectum sermonis et intellectus. Neque *pacta* inire quisquam cum divina majestate potest, neque illi *voto* obligari, nisi quatenus visum illi est, per Scripturas sacras substituere sibi aliquos homines, qui auctoritatem

* *Oriatur, &c.*] Nam nisi causa metus nova existat, ex facto, vel alio signo voluntatis non præstandi a parte altera, metus justus conferri non potest. Causa enim, quæ impedire non poterat quin pacisceretur, impedire non debet quin pactum præstet.

habeant *vota* et *pacta* ejusmodi expendendi et acceptandi, tanquam illius vicem gerentes.

13. Qui igitur in statu naturæ constituti sunt, ubi nulla tenentur lege civile, nisi illis certissima revelationi voluntas Dei votum vel *pactum* suum accipientis cognita sit, frustra vovent. Siquidem enim id quod *vovent* contra legem naturæ sit, non tenentur *voto*; quia illicitum præstare tenetur nemo; si vero id quod vovent lege aliqua naturæ præceptum sit, *non voto*, sed ipsa tenentur *lege*; sin liberum ante *votum* sit, facere vel non facere, libertas manet; propter ea quod, ut obligemur *voto*, requiritur voluntas obligantis aperte significata, quæ in casu proposito supponitur non haberi. *Obligantem* autem voco illum, cui aliquis tenetur vel obligatur: *obligatum* vero eum, qui tenetur.

14. Pacta fiunt de actionibus illis solis, quæ cadunt sub deliberationem. Pactio enim non fit sine voluntate paciscentis. Voluntas autem ultimus actus est deliberantis. Sunt ergo *de possibilibus tantum et futuris*. Nemo igitur pacto suo obligat se ad impossibile. Quoniam autem paciscimur sæpissime eas res, quæ possibles tum videntur, cum promittimus, quas tamen post constat esse impossibiles, non ideo omni obligatione liberamur. Ratio cujus rei ea est, quod is qui futurum incertum promittit, beneficium præsens ea lege accipit ut mutuum reddat. Voluntas enim ejus qui præsens beneficium præstat, pro objecto simpliciter habet *bonum sibi*, quanti erat res promissa; ipsam autem rem non simpliciter, sed si fieri potest. Verum si accidat neque id possibile esse, præstandum est quantum præstari potest. Obligant igitur pacta non ad ipsam rem pactam, sed ad summum con-

SECT. III.

2

Neque
Deo votare.

Pacta ultra
summum con-
tum non obligant.

SECT. III. ^{2.} ~~www.tumlibri.com~~ ~~hoc enim~~ solum, non res ipsæ in nostra potestate sunt.

Quibus modis
pactis liberemur.

15. Pactis liberamur duabus rebus, vel si præstitum, vel si condonatum sit. Si præstitum; quia ultra id nos non obligavimus. Si condonatum; quia is cui obligamur, condonando intelligitur facere, ut *jus* a nobis in eum translatum, ad nos denuo redeat: est enim condonatio, *donatio*, hoc est, per articulum 4, capitis hujus, juris translatio ad eum cui donatio facta est.

Promissa metu
mortis extorta,
in statu naturæ
valida non esse.

16. Quæri solet an pacta ea quæ metu extorquentur, obligatoria sint, necne. Exempli causa, si ad vitam a latrone redimendam, *pactus* ei fuero traditurum me illi mille aureos postero die, neque facturum quicquam quo comprehensus in jus duci possit, utrum tenear necne. Quamquam autem aliquando *pactum* ejusmodi invalidum censi debeat, non tamen eo nomine invalidum erit, quod a metu processerit; propterea quod inde sequeretur *pacta* ea, quibus in vitam civilem homines congregantur et leges condunt, invalida esse: (procedit enim a metu mutuæ cædis, quod alter alterius regimini se submittat:) neque cum ratione eum facere, qui captivo, *paciscenti* pretium redemptionis suæ fidem adhibet. Universaliter verum est obligare pacta, quando acceptum est bonum, et promittere, et id quod promittitur licitum est. Licitum autem est et ad redimendam vitam promittere, et de meo dare quicquid voluero cuiquam, etiam latroni. Obligamur ergo pactis a metu profectis, nisi lex civilis aliqua prohibeat, per quam id quod promittitur fiat illicitum.

17. Qui uni facturum se vel omissurum aliquid

pactus ante fuerit, et postea alteri paciscitur con- SECT. III.
 trarium, facit ut *pactum* non prius, sed posterius 2.
 illicitum sit. Nam qui prioribus *pactis jus* suum Pactum poste-
 in alterum transtulerat, faciendi vel non faciendi rius priori con-
jus non amplius habet. Quare posterioribus *pactis* tradictorium,
 jus nullum transfert; et quod promissum est, sine invalidum est.
 jure promissum est. Tenetur igitur prioribus tan-
 tum *pactis*; quæ violare est illicitum.

18. Mortem, vel vulnera, vel aliud damnum Pactum de non
 corporis inferenti nemo pactis suis quibuscunque resistendo infe-
 obligatur non resistere. Est enim in unoquoque renti damnum
 gradus quidam timiditatis summus, per quem ma- corporis, invali-
 lum quod infertur apprehendit ut maximum, ideo- dum est.
 que necessitate naturali quantum potest fugit,
 intelligiturque aliter facere non posse. Ad talem
 gradum metus cum perventum fuerit, non est ex-
 pectandum quin vel fuga vel pugna sibi consulat.
 Cum igitur nemo teneatur ad impossibile, illi qui-
 bus *mors*, quod maximum naturæ malum est, vel
 quibus vulnera aut alia corporis damna inferuntur,
 nec ad ea ferenda constantes satis sunt, ea ferre
 non obligantur. Præterea ei qui pacto tenetur,
 creditur: pactorum enim vinculum sola fides est.
 Qui vero ad supplicium ducuntur, sive capitale, sive
 capitali mitius, constringuntur vinculis, vel satel-
 litibus custodiuntur: quod signum certissimum
 est, non videri illos pactis ad non resistendum satis
 obligatos esse. Aliud est, si sic paciscor: nisi
 fecero constituta die, interfice. Aliud si sic, nisi
 fecero, interficienti non resistam. Primo modo,
 paciscuntur omnes, si opus est; opus autem est
 aliquando; secundo modo nemo, nec unquam opus
 est. Nam in statu mere naturali, si occidere cupis,

SECT. III. ^{2.} ~~jus habes ex ipso~~ statu ; ita ut opus non sit prius credere, ut fallentem post interficias. In statu vero civili, ubi jus vitæ et necis, omnisque pœnæ corporalis penes civitatem est, illud ipsum jus interficiendi privato concedi non potest. Neque ipsi civitati opus est, ut aliquem puniat, postulare pacto ut patientiam præstet, sed tantum ne quisquam defendat alios. Si in statu naturæ, velut inter duas civitates, fieret pactum de interficiendo ni fecerit, intelligitur præcessisse aliud pactum de non interficiendo ante præstitutum diem. Itaque eo die si præstitum non sit, redit jus belli, hoc est, status hostilis, in quo omnia licent, ideoque etiam resistere. Postremo, pacto non resistendi obligamur duorum malorum præsentium eligere illud, quod majus videbitur. Nam mors certa majus malum est, quam pugna. Sed duorum malorum impossibile est non eligere minus. Tali ergo pacto teneremur ad impossibile, quod naturæ pactorum repugnat.

Pactum de se
accusando in-
validum est.

19. Similiter neque tenetur quisquam pactis ullis ad se accusandum, vel alium, cujus damnatione vita sibi acerba futura est. Itaque neque pater in filium, neque conjux in conjugem, neque filius in patrem, neque quisquam in eum sine quo ali non potest, testimonium dicere obligatur : frustra enim est testimonium, quod a natura corrumpi præsumitur. Quamvis autem pacto ad se accusandum aliquis non teneatur, in quæstione tamen publica ad respondendum cruciatu cogi potest. Responsiones autem illæ facti testimonium non sunt, sed investigandæ veritatis adjumenta. Ita ut sive verum sive falsum cruciatus respondeat, sive non omnino respondeat, jure faciat.

20. *Jusjurandum* oratio est promissioni adjecta, qua significat promissor, nisi præstiterit, renunciare sese misericordiæ divinæ. Quæ definitio ex ipsis colligitur verbis, quibus essentia jurisjurandi continetur, nimirum, *ita me adjuvet Deus*, vel aliis æquipollentibus, ut apud Romanos, *tu Jupiter macta eum qui fefellerit, ut ego hanc macto porcam*. Neque obstat, quod *jusjurandum* non solum promissorium, sed aliquando affirmatorium dici possit: nam qui affirmationem juramento confirmat, promittit se vera respondere. Quamquam autem quibusdam in locis moris erat subditis per reges suos jurare, id ex eo natum est, quod reges illi divinos sibi honores haberi volebant. Nam *jusjurandum* ideo introductum est, ut major metus violandæ fidei, quam is quo homines, quos facta nostra latere possunt, timemus, divinæ potentiæ consideratione atque religione incuteretur.

SECT. III.

2.

Jurisjurandi definitio.

21. Ex quo sequitur *jusjurandum* concipi debere ea formula, qua utitur is qui accipit. Frustra enim adigitur aliquis ad *jusjurandum* per Deum quem non credit, ideoque neque metuit. Etsi enim lumine naturali sciri possit Deum esse, nemo tamen per illum se jurare arbitratur alia formula, vel alio nomine, quam quod suæ ipsius, hoc est (ut existimat is qui jurat) veræ religionis præceptis continetur.

Jurisjurandum concipiendum esse ea formula, qua utitur is qui accipit.

22. Ex allata *jurisjurandi* definitione intelligi potest, *pactum* nudum non minus obligare, quam in quod juravimus. *Pactum* enim est quo adstringimur; *juramentum* ad punitionem divinam attinet, quam provocare ineptum esset, si pacti violatio non esset per se illicita. Illicita autem non esset, nisi *pactum* esset obligatorium. Præterea, qui renun-

Jurisjurandum nihil superaddit obligationi, quæ est ex pacto.

SECT. III. 2. **ciat misericordiæ divinæ, non obligat se ad pœnam: quia semper licitum est pœnam, utcumque provocatam, deprecari, atque divina, si concedatur, frui indulgentia. Effectus ergo juramenti is solus est, ut hominibus, natura pronis ad violationem datæ fidei, major juratis causa sit metuendi.**

Juramentum non exigendum, nisi ubi pactorum violatio vel latere potest, vel non potest puniri nisi a Deo.

23. *Juramentum* exigere, ubi neque violatio pactorum, si qua fiat, latere potest, neque ei, cui fit sponsio, deest potestas pœnas exigendi, est facere amplius aliquid quam ad sui defensionem sit necesse; significatque animum cupiendi non tam ut sibi bene, quam ut illi male sit. *Juramentum* enim, ex formula jurandi, pertinet ad iram Dei provocandam, hoc est, *omnipotentis* in eos, qui fidem ideo violant, quia potentia sua pœnam humanam effugere se posse sentiunt, et *omniscii* in eos, qui fidem violare ideo solent, quia oculos hominum latere se posse sperant.

www.libtool.com.cn

CAPUT III.

DE LEGIBUS NATURÆ RELIQUIS.

1. Lex naturæ secunda, pactis standum. 2. Fides cum omnibus servanda sine exceptione. 3. Injuria, quid. 4. Injuria ei soli fieri potest, quicum contrahimus. 5. Justitiæ distinctio in justitiam hominum et actionum. 6. Distinctio justitiæ in commutativam et distributivam examinata. 7. Volenti non fit injuria. 8. Lex naturæ tertia, de ingratitude. 9. Lex naturæ quarta, ut quisque se præstet commodum. 10. Lex naturæ quinta, de misericordia. 11. Lex naturæ sexta, quod pœnæ futurum tantum spectant. 12. Lex naturæ septima, contra contumeliam. 13. Lex naturæ octava, contra superbiam. 14. Lex naturæ nona, de modestia. 15. Lex naturæ decima, de æquitate, sive contra acceptionem personarum. 16. Lex naturæ undecima, de habendis in communi. 17. Lex naturæ duodecima, de sorte dividendis. 18. Lex naturæ decima tertia, de primogenitura et prima occupatione. 19. Lex naturæ decima quarta, de incolumitate mediatorum pacis. 20. Lex naturæ decima quinta, de constituendo arbitro. 21. Lex naturæ decima sexta, neminem esse arbitrum causæ suæ. 22. Lex naturæ decima septima, arbitros debere esse sine spe præmii ab iis referendi, quorum causa judicatur. 23. Lex naturæ decima octava, de testibus. 24. Lex naturæ decima nona, nullum cum arbitro pactum fieri. 25. Lex naturæ vigesima, contra crapulam, et ea quæ rationis usum impediunt. 26. Regula per quam statim cognosci potest, an quod facturi sumus, sit contra legem naturæ, necne. 27. Leges naturæ obligant in foro interno tantum. 28. Violantur leges naturæ quandoque facto legibus consentaneo. 29. Leges naturæ sunt immutabiles. 30. Qui leges naturæ conatur implere, justus est. 31. Lex naturalis eadem cum morali. 32. Unde fiat, quod quæ dicta sunt de lege naturali, non sint eadem quæ traduntur a philosophis circa virtutes. 33. Lex naturalis non est, proprie loquendo, lex, nisi quatenus traditur in Scriptura sacra.

1. LEGUM naturalium derivatarum altera est, *pactis standum esse*, sive fidem observandam esse. SECT. III.
3.
Ostensum enim est capite præcedente, legem naturæ præcipere tanquam rem conciliandæ paci necessa-

Lex naturæ
secunda, pactis
standum.

SECT. III. 3. riam, unumquemque jura quædam sua mutuo transferre, atque hoc vocari *pactum*, quoties futurum sit quod transfertur. Hoc autem ad pacem conciliandam conducibile est, quatenus quæ paciscimur facienda vel omittenda, ea re ipsa facimus vel omitimus; frustra que essent pacta, nisi illis staretur. Quoniam ergo *pactis stare*, sive *fidem servare*, necessarium est ad pacem conciliandam, erit per articulum 2, cap. II. præceptum legis naturalis.

Fides cum omnibus servanda sine exceptione.

2. Neque personarum, quibuscum paciscimur, ulla datur hac in re exceptio, puta, si illi fidem cum aliis nec servant; nec servandam putent, aut aliud quodlibet habeant vitium. Nam qui paciscitur, eo quod paciscitur, frustraneam eam esse actionem negat. Et contra rationem est, scientem frustra facere. Idem si præstandum pactum non putet, eo quod sic putat, pactionem eandem frustraneam esse affirmat. Qui ergo paciscitur cum eo, quicum fidem servare se teneri non putat, simul pactionem esse rem frustraneam et non frustraneam affirmat, quod est absurdum. Cum omni igitur homine, vel servanda est fides, vel non paciscendum, hoc est, vel declaratum bellum, vel certa et fida habenda est pax.

Injuria quid.

3. Pacti violatio, sicut et dati repetitio, quæ semper sita est in aliqua actione vel omissione, vocatur **INJURIA**. Actio autem illa vel omissio *injura* dicitur; ut idem significant *injuria*, et actio vel omissio *injura*, atque utraque idem quod pacti vel *fidei violatio*. Videturque *injuriæ* nomen inde actioni vel omissioni tribui, quia *sine jure est*, utpote quod ab eo, qui agit vel omittit, translatum antea in alium fuerat. Et est similitudo quædam inter id, quod in vita communi vocatur *injuria*; et id, quod in scholis solet appellari *absurdum*. Quem-

admodum enim is, qui argumentis cogitur ad negationem assertionis quam prius sustinuerat, dicitur redigi ad *absurdum*; eodem modo is, qui præ animi impotentia facit vel omittit id, quod se non facturum vel non omissurum *pacto suo* ante promiserat, *injuriam* facit; neque minus in contradictionem incidit, quam qui in scholis reducitur ad absurdum. Nam futuram actionem paciscendo, vult fieri; non faciendo, vult non fieri: quod est velle fieri et non fieri idem eodem tempore: quæ contradictio est. Est itaque *injuria*, *absurditas* quædam in conversatione, sicut *absurditas injuria* quædam est in disputatione.

SECT. III.

3.

4. Ex his sequitur, *injuriam** nemini fieri posse, nisi ei quicum initur *pactum*, sive cui aliquid dono datum est, vel cui *pacto* aliquid est promissum. Ideoque *damnum* et *injuria* sæpissime disjunguntur. Nam si dominus servo, qui obedientiam sibi pactus est, imperet ut pecuniam tertio numeret, vel beneficium conferat, is si non faciat, *damnum* quidem tertio, *injuriam* autem domino soli facit. Sic quoque in civitate, si quis alicui noceat, quicum nihil pactus est,

Injuriæ soli fieri potest, quicum contrahimus.

* *Injuriam nemini, &c.*] Injustitiæ nomen significat relative ad legem; injuriæ, tum ad legem, tum ad personam certam. Nam injustum, omnibus injustum est; injuria vero potest esse, nec tamen mihi vel illi, sed alii: et quandoque nemini privato, sed civitati tantum; etiam nec homini cuiquam nec civitati, sed soli Deo. Nam pacto et juris translatione fit, ut injuria in hunc vel illum fieri dicatur. Hinc est, quod in omni civitate fieri videmus, quæ privati homines inter se verbo vel scripto contrahunt, exigi vel remitti arbitrio obligantis. Damna vero, quæ inferuntur contra leges civitatis, ut furtum, homicidium et similia, non ad voluntatem ejus cui *damnum* est illatum, sed arbitrio civitatis, id est, juxta leges constitutas vindicari. Itaque injuria in hunc, nisi post juris in hunc translationem, existere non potest.

SECT. III.

3.

damnum ei infert cui malum ; *injuriam* soli illi, qui totius civitatis potestatem habet. Etenim si is, qui *damnum* recipit, *injuriam* expostularet, is qui fecit sic diceret, quid tu mihi? quare facerem ego tuo potius quam meo libitu, siquidem, quin tu tuo, non meo, arbitrato facias, non impedio? In qua oratione, ubi nulla intercesserunt *pacta*, non video quid sit, quod possit reprehendi.

Justitiæ distinctio in justitiam hominum, et actionum.

5. Nomina hæc *justum* et *injustum*, sicut et *justitia* et *injustitia*, æquivoca sunt : aliud enim significant cum personis, aliud cum actionibus tribuuntur. Cum actionibus tribuuntur, idem significat *justum*, quod jure factum ; et *injustum*, quod *injuria*. Ille autem, qui fecit *justum* aliquid, ideo *insons*, non *justus* dicitur : eum autem, qui fecit aliquid *injustum*, non ideo *injustum*, sed *sontem* dicimus. Quando vero de personis usurpantur, *esse justum* significat idem quod juste faciendo delectari, justitiæ studere, vel conari facere in omni re id quod *justum* est. Et *esse injustum* est negligere justitiam, vel eam non pacto suo, sed præsentis commodo mensurandam existimare. Ita ut alia sit animi instituti, sive hominis, alia unius actionis vel omissionis *justitia* et *injustitia* ; possintque hominis *justi* actiones innumeræ *injustæ*, et *injusti justæ* esse. *Justus* autem homo dicendus est, qui *justa* facit propter præceptum legis ; *injusta*, non nisi per infirmitatem ; *injustus*, qui *justa* facit propter pœnam legi adjunctam ; *injusta*, per animi iniquitatem.

Distinctio justitiæ in commutativam et distributivam examinatur.

6. *Justitia* actionum distingui vulgo solet in duas species, *commutativam* et *distributivam* ; quarum priorem sitam esse aiunt in proportione arithmetica, posteriorem in geometrica : illamque versari in permutatione, venditione, emtione, mutatione, mutui

redditione, locatione, conductione, cæterisque, si qui sunt, actibus inter se contrahentium; ubi si æquale pro æquali reddatur, nasci inquit *justitiam commutativam*. Hanc vero circa dignitatem et merita hominum, ita ut si cuique tribuatur *παρα την ἀξίαν*, majus ei qui dignior, minus ei qui minus dignus, idque proportionate, oriatur *justitia distributiva*. Agnosco hic distinctionem quandam æqualitatis, nempe ut una sit æqualitas simpliciter, veluti quando comparantur inter se duæ res æqualis pretii, ut libra argenti cum duodecim unciis ejusdem argenti; altera æqualitas secundum quid, ut cum centum hominibus distribuendæ sint mille libræ, sexcentæ dentur sexaginta hominibus, et quadringentæ quadraginta; ubi non est æqualitas inter 600 et 400; sed cum eandem contingit æqualitatem esse inter numerum eorum, quibus distribuuntur, unusquisque eorum æqualem partem auferet; unde dicitur æqualis distributio. Talis autem æqualitas eadem res est cum proportione geometrica. Sed quid hæc ad justitiam? Nam neque si res nostras vendamus quanti possumus, injuria ulla fit emtori, qui id voluit, et petiit; neque si de meo distribuero plus merenti minus, modo id dederò quod pactus sum, neutri fit injuria. Id quod testatur ipse Servator noster Christus Deus in Evangelio. Non igitur est ea justitiæ distinctio, sed æqualitatis. Negari tamen forte non potest quin justitia sit æqualitas aliqua; nimirum quæ in eo tantum sita sit, ut cum æquales natura omnes simus, alter non arroget sibi plus *juris*, quam alteri concedat, nisi id *juris* sibi pactis acquisitum sit. Atque hæc contra distinctionem illam *justitiæ*, quamquam ab omnibus pene receptam, dicta sint: ne quis *injuriam* aliud

SECT. III.

3.

Distinctio justitiæ in commutativam et distributivam examinatur.

SECT. III. esse putet, quam fidei sive pactorum violationem; prout supra definitum est.

3.

Volenti
non fit injuria.

7. Vetus est, *volenti non fit injuria*. Veritatem tamen dicti liceat ex principiis nostris derivare. Factum enim sit id, quod quis injurium sibi putet, volenti: ergo, volente eo, fit id quod per pactum non licuit. Sed volente eo fieri id, quod *pacto* non licebat, *pactum ipsum* (per articulum 15, capitis præcedentis) fit irritum; *jus* ergo faciendi redit; fit igitur *jure*; quare *injuria* non est.

Lex naturæ
tertia, de in-
gratitudine.

8. Legis naturalis præceptum tertium est, *ne eum, qui fiducia tui tibi prior benefecerit, eam ob rem deteriore conditione esse patiaris*, sive *ne accipiat quisquam beneficium, nisi animo nitendi ne dantem dati merito pœniteat*. Nam absque hoc, contra rationem fecerit, si quis, quod periturum videt beneficium, prior contulerit; atque eo modo omnis sublata erit inter homines beneficentia et fiducia, unaque omnis benevolentia; neque esset inter eos quidquam mutuæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium. Ex quo status belli necessario mansurus est, contra *legem naturæ fundamentalem*. Quoniam vero legis hujus violatio non est fidei sive pactorum violatio: supponitur enim nulla inter eos intercessisse pacta: ideo neque *injuria* nominari solet; sed quia respiciunt se mutuo *beneficium et gratia*, INGRATITUDO appellatur.

Lex naturæ
quarta, ut quis-
que se præstet
commodum.

9. Quartum præceptum naturæ est, *ut unusquisque se cæteris commodum præstet*. Quod ut recte intelligatur, animadvertere oportet, esse in hominibus ad societatem ineundam diversitatem ingeniorum, ortam a diversitate affectuum, haud dissimilem illi quæ reperitur in lapidibus ad ædificandum comportatis a diversitate materiæ et figuræ. Nam

ut lapis, qui præ figura aspera et angulosa plus loci cæteris aufert quam ipse implet, neque præ materiæ duritie comprimi vel secari facile potest, nec compaginari ædificium sinit, tanquam *incommodus* abjicitur; ita homo, qui præ ingenii asperitate, retentis superfluis sibi, necessaria aliis adimit, neque præ affectuum contumacia corrigi potest, cæteris *incommodus* molestusque dici solet. Quoniam jam unusquisque non *jure* modo, sed etiam *necessitate naturali* totis viribus in id incumbere supponitur, ut necessaria ad sui conservationem consequatur, si quis velit pro superfluis contra contendere, illius culpa orietur bellum; propterea quod illi soli nulla certandi incumberebat necessitas. Facit ergo contra *legem naturæ fundamentalem*. Unde sequitur, quod ostendendum erat, præceptum naturæ esse, ut unusquisque se cæteris præstet commodum. Qui vero *legem* hanc violat, *incommodus* et molestus dici potest. Cicero tamen *commodo* opponit *inhumanum*, tanquam ad hanc ipsam legem adspectans.

10. Legis naturæ quintum præceptum est, *oportere alterum alteri, sumta cautione futuri temporis, præteriti veniam, petenti et pœnitenti, concedere*. *Venia* præteriti sive remissio offensæ nihil aliud est quam illi, qui, cum lacerasset ad bellum, facti pœnitens pacem orat, *pax* concessa. Pax autem concessa non pœnitenti, hoc est, animum hostilem retinenti, vel futuri temporis cautionem non danti, hoc est, non pacem sed opportunitatem captanti, non est *pax*, sed *metus*: neque igitur a natura præcipitur. Cæterum qui pœnitenti et de futuro cautionem adhibenti, nolit ignoscere, ei *pax* ipsa non placet; quod est contra *legem naturalem*.

SECT. III.

3.

Lex naturæ
quinta, de
misericordia.

SECT. III. www.lib Sextum legis naturalis præceptum est, *in*

3.

Lex naturæ
sexta, quod
pœnæ futurum
tantum spectant.

ultione sive pœnis, spectandum esse non malum præteritum, sed bonum futurum: hoc est, infligere pœnam nullo alio fine licitum esse, nisi ut ipse qui peccavit corrigatur, vel alii supplicio ejus moniti fiant meliores. Hoc autem ex eo primum confirmatur, quod unusquisque lege naturali teneatur alteri ignoscere; modo cautum prius sit de futuro tempore, ut articulo præcedente ostensum est. Præterea, quia ultio, quatenus solum præteritum consideratur, nihil aliud est præter triumphum et gloriam animi, quæ ad nullum finem dirigitur; nam præteritum tantum contemplatur, finis autem futura res est; quodque ad nullum finem dirigitur, vanum est: ultio, ut quæ futurum non spectat, a vana gloria proficiscitur, ideoque præter rationem est. At lædere alium præter rationem introducit bellum, et est contra legem naturæ fundamentalem. Est igitur legis naturæ præceptum, in ultione non esse respiciendum, sed prospiciendum. Violatio autem legis hujus CRUDELITAS solet appellari.

Lex naturæ
septima, contra
contumeliam.

12. Quoniam autem signa omnia odii et contumeliosis ad rixam et pugnam maxime omnium provocant, adeo ut plerique vitam, nedum pacem amittere, quam contumeliam pati malint; sequitur septimo loco, lege naturali præscriptum esse, *nequis vel factis, vel verbis, vel vultu, vel risu, alteri ostendat se illum vel odisse vel contemnere*. Cujus legis violatio CONTUMELIA nominatur. Quamquam autem nihil frequentius sit, quam potentium erga minus potentes, et nominatim judicum adversus reos scommata atque opprobria, quæ neque ad rei crimen, neque ad judicis pertinent officium; hujusmodi tamen homines contra legem faciunt naturalem, et pro *contumeliosis* habendi sunt.

13. **Quaestio, uter duorum hominum dignior sit,** SECT. III.
3.
 non ad statum naturæ, sed ad statum civilem pertinet. Ostensum enim antea est, (Cap. I. art. 3;) natura omnes homines æquales inter se esse: ideoque inæqualitatem, quæ nunc est, puta a divitiis, a potentia, a nobilitate generis, profectam esse *a lege civili*. Scio Aristotelem libro primo politicorum tanquam fundamentum totius scientiæ politicæ affirmare, hominum alios a natura factos esse dignos qui imperent, alios qui serviant, tanquam Dominus et servus non consensu hominum, sed aptitudine, hoc est, scientia vel inscitia naturali distinguerentur. Quod fundamentum non modo contra rationem, ut ostensum est supra, sed etiam contra experientiam est. Nam neque pene quisquam ingenio ita stupido est, ut non rectius arbitretur sibimet se, quam aliis regendum tradere. Neque si contendant inter se sapientiores et robustiores, sunt illi his semper aut sæpe superiores. Sive igitur natura homines æquales inter se sint, agnoscenda est æqualitas; sive inæquales, quia certaturi sunt de imperio, necessarium est *ad pacem consequendam ut pro æqualibus habeantur*. Et propterea legis naturalis octavo loco præceptum est, *ut unusquisque natura unicuique æqualis habeatur*. Cui legi contraria est SUPERBIA.

Lex naturæ octava, contra superbiam.

14. Sicut necessarium erat ad uniuscujusque conservationem, ut de quibusdam *juribus* suis cederet; ita non minus necessarium est ad eandem conservationem ut *jura* quædam retineat, nimirum *jus* corporis tuendi, *jus* fruendi aere libero, aqua, et cæteris omnibus vitæ necessariis. Cum igitur a pacem ineuntibus multa *jurare* retineantur communia, multa etiam acquirantur propria; dictamen legis naturalis nonnum oritur, nempe *ut quæcumque jura unusquisque sibimetipsi postulat, eadem etiam*

Lex naturæ nona, de modestia.

SECT. III. ^{3.} *unicuique concedat cæterorum.* Alioquin æqualitatem præcedente articulo agnitam frustaneam facit. Quid enim aliud est æqualitatem personarum agnoscere in societate ineunda, quam æqualia ipsis tribuere, quos alioqui societatem inire ratio nulla exigit? *Æqualia autem æqualibus*, idem est quod *proportionalia proportionalibus* tribuere. Vocatur observatio hujus legis *modestia*; violatio autem *πλεονεξία*; violantes Latinis *immodici et immodesti* nuncupantur.

Lex naturæ decima, de æqualitate, sive contra acceptionem personarum.

15. Decimo loco, imperatur lege naturali, *ut unusquisque in jure aliis distribuendo utrique parti æqualem se præbeat.* Lege præcedente prohibitum est, ne nobis plus juris per naturam arrogemus, quam cæteris concedimus. Possumus minus, si volumus; etenim id aliquando *modestiæ* est. Sed si quando *jus* aliis distribuendum a nobis sit, prohibemur hac lege, ne uni plus vel minus indulgeamus quam alteri. Nam qui uni præ altero indulgendo naturalem æqualitatem non observat, facit in eum, qui posthabitus est, *contumeliam*. Est autem supra ostensum, *contumeliam* esse contra *leges naturales*. Præcepti hujus observatio *æquitas*, violatio *acceptio personarum*, Græcis uno vocabulo *προσωποληψία* appellatur.

Lex naturæ undecima, de habendis in communi.

16. Ex lege præcedente colligitur undecima, *quæ dividi non possunt, communiter, si fieri potest, utenda esse, idque, si quantitas rei permittat, quantum quisque velit: sin quantitas rei non permittat, tum præfinito, et proportionate ad numerum utentium.* Aliter enim nullo modo servari potest æqualitas illa, quam, præcedente articulo, a lege naturali imperatam esse demonstravimus.

17. Item, si neque dividi, neque communiter

haberi potest, lege naturali institutum est, quod sit **SECT. III.**
 præceptum duodecimum, ut *ejus rei usus vel al-* **3.**
ternus sit, vel uni tantum sorte adjudicandus, **Lex naturæ dno-**
utque in alterno usu sorte quoque, quis ad uten- **decima, de sorte**
dum prior sit, judicetur. Nam hic quoque æqua- **dividenda.**
 litas spectanda est, alia autem inveniri præter
 sortem non potest.

18. Sors autem duplex est: vel *arbitraria* vel *naturalis*. Arbitraria illa est, quæ fit consensu
 contententium. Et sita est in casu mero, et forte,
 quod aiunt, fortuna. Naturalis est, *primogenitura*,
 Græce κληρονομία quasi sorte tributum, et *prima*
occupatio. Itaque quæ neque dividi, neque com-
 muniter haberi possunt, cedunt primo occupanti;
 item primogenito, ea quæ patris fuerunt, nisi pater
 ipse *jus* illud transtulerit prius. Sit igitur ea lex
 naturæ decima tertia. **Lex naturæ de-**
cima tertia, de
primogenitura,
et prima occu-
patione.

19. Legis naturalis decimum quartum præcep- **Lex naturæ de-**
 tum est, *pacis mediatoribus præstandam esse* **cima quarta, de**
incolumitatem. Ratio enim, quæ jubet finem, jubet **incolumitate me-**
 etiam media necessaria. Primum autem rationis **diatorum pacis.**
 dictamen *pax* est, cætera sunt ad media, *pacem*
 sine quibus *pax* esse non potest; sed nec sine
 mediatione *pax*, nec sine incolumitate mediatio
 haberi potest. Est ergo dictamen rationis, hoc est,
 lex naturæ, *pacis* mediatoribus præstandam esse
 incolumitatem.

20. Porro quoniam, etsi homines in omnes has, **Lex naturæ**
 et si quæ aliæ sunt, naturæ leges consentirent, eas- **decima quinta,**
 que studerent observare, dubia tamen et contro- **de constituendo**
 versæ quotidie orientur de legum harum ad facta **arbitro.**
 applicatione: nimirum an quod *factum* sit, sit con-
 tra *legem* necne; quæ quæstio juris dicitur; ex
 quibus sequetur pugna inter partes, utrimque se

SECT. III. 3. ~~laesos esse existimantes~~: ad *pacis* igitur conservationem, quia aliud in hoc casu remedium æquum excogitari non potest, necessarium est ut ambo dissidentes in tertium aliquem consentiant, cujus sententiæ de re controversa staturos esse *pactis mutuis* se obligent. Atque is, in quem sic consensus est, *arbiter* vocatur. Est igitur legis naturalis præceptum decimum quintum, *oportere utrumque de jure inter se disceptantium, submittere se alicujus tertii arbitrio.*

Lex naturæ decima sexta, neminem esse arbitrum causæ suæ.

21. Ex eo autem quod *arbiter* sive judex a disceptantibus electus sit ad determinandam controversiam, colligitur oportere arbitrum non esse unum ex ipsis disceptantibus. Nam unusquisque præsumitur *bonum* sibi naturaliter, *justum* propter *pacem* tantum, et per accidens quærere; ideoque non posse æqualitatem illam a lege naturali præceptam tam accurate observare quam faceret tertius. Continetur itaque in lege naturæ decimo sexto loco, *neminem judicem vel arbitrum esse debere suæ ipsius causæ.*

Lex naturæ decima septima, arbitros debere esse sine spe præmii ab illis referendi, quorum causa judicatur.

22. Ex eodem sequitur decimo septimo loco, *neminem arbitrum esse oportere, cui commodi vel gloriæ spes aliqua apparet major ex victoria unius partis, quam alterius.* Par enim ratio militat hic, atque in lege præcedente.

Lex naturæ decima octava, de testibus.

23. Quando vero de ipso facto controversia oritur, nempe an factum sit necne, quod factum esse dicitur, legis naturalis est (per articulum 15) ut arbiter æque utrique, id est (quia contradictoria affirmant) neutri credat. Tertio igitur, vel tertio et quarto, vel pluribus credere oportet; ut de facto, quoties aliis signis sciri non potest, sententiam ferat. Lex igitur decima octava naturalis *arbitris et ju-*

dicibus facti injungit, *ut ubi signa certa facti non apparent, ibi secundum testes, qui utrique parti videntur æqui, sententiam regant.* SECT. III.
3.

24. Ex supra adducta *arbitri* definitione intelligi porro potest, *nullum pactum vel promissum intercedere, inter ipsum et partes, quorum arbiter constitutus est, cujus vi teneatur in gratiam alterutrius partis pronunciare; neque cujus vi teneatur ad id pronunciandum, quod æquum est, vel æquum esse censeat.* Obligatur quidem arbiter sententiam illam ferre quam censeat esse æquam, per legem naturæ quæ recensetur articulo 15. Cujus legis obligationi nihil est quod addi possit ex pacto. Frustra igitur esset pactum tale. Præterea, si sententiam iniquam ferens, æquam eam esse contenderet, nisi pactum tale invalidum sit, maneret controversia post sententiam latam, quod est contra arbitri constitutionem, qui ab eis ita electus est, ut invicem obligaverint se pro rata habere sententiam, quam ille pronunciaverit. Arbitrium ergo lex naturæ liberum jubet esse; id quod sit præceptum ejus decimum nonum.

25. Porro quandoquidem leges naturæ nihil aliud sunt, præter dictata rectæ rationis, ita ut nisi quis recte ratiocinandi facultatem conservare conetur, leges naturæ observare non potest; manifestum est eum, qui volens sciensque ea fecerit, quibus facultas rationalis destruat vel labefactetur, volentem scientemque legem naturæ violare. Nihil enim interest, utrum præter officium faciat quis, an id faciat volens, quo minus officium implere possit. Ratiocinandi autem facultatem destruunt vel labefactant homines qui faciunt ea, quibus mens de statu suo naturali deturbatur, id quod manifestissime con-

SECT. III. *tingit ebriis et crapula gravatis. Peccatur ergo*
 3. *vicesimo loco contra legem naturalem ebrietate.*

Regula, per
 quam statim
 cognosci potest,
 an quod facturi
 sumus, sit con-
 tra legem na-
 turae, necne.

26. Dicit fortasse aliquis, qui viderit præcedentia præcepta naturalia artificio quodam ab unico rationis, nos ad nostri conservationem et incolumitatem hortantis, dictamine derivata, adeo difficilem esse deductionem harum legum, ut expectandum non sit eas vulgo cognititas fore, neque ideo obligare. Etenim leges, nisi cognitæ, non obligant, imo non sunt leges. Huic respondeo, verum esse spem, metum, iram, ambitionem, avaritiam, gloriam inanem, et cæteras perturbationes animi impedire, ne quis leges naturæ pro eo tempore, quo passiones istæ prævalent, cognoscere possit. Cæterum nemo est, qui non aliquando sedato animo est. Eo igitur tempore nihil illi, quamquam indocto et rudi, scitu est facilius; unica scilicet hac regula, ut cum dubitet, id quod facturus in alterum sit, jure facturus sit naturali necne, putet se esse in illius alterius loco. Ibi statim perturbationes illæ, quæ instigabant ad faciendum, tanquam translatae in alteram trutinæ lancem, a faciendo dehortabuntur. Atque hæc regula non modo facilis, sed etiam dudum celebrata his verbis est, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Leges naturæ
 obligant in foro
 interno tantum.

27. Quoniam autem plerique homines, præ iniquo præsentis commodi appetitu, prædictas leges, quantumvis agnitas, observare minime apti sunt; si forte aliqui, cæteris modestiores, illam æquitatem commoditatemque, quam ratio dictat, exercerent, cæteris non idem facientibus, nihil minus quam rationem sectarentur. Neque enim pacem, sed certum et maturius exitium sibi compararent, cederentque observantes non observantibus in prædam. Non

est igitur existimandum natura, hoc est, ratione obligari homines ad exercitium earum omnium,* in eo statu hominum in quo non exercentur ab aliis. Interea tamen obligamur ad animum eas observandi, quandocumque ad finem, ad quem ordinantur, earum observatio conducere videbitur. Ideoque concludendum est, legem naturæ semper et ubique obligare in foro interno sive conscientia, non semper in foro externo; sed tum solummodo, cum secure id fieri possit.

SECT. III.

3.

28. Quæ vero leges conscientiam obligant, violari possunt facto, non solum iis contrario, sed et consentaneo: siquidem qui facit, contrarium putet. Quamquam enim actio ipsa secundum leges sit, conscientia tamen contra est.

Violantur leges naturæ quandoque, facto legibus consentaneo.

29. Leges naturæ immutabiles et æternæ sunt: quod vetant, nunquam licitum esse potest: quod jubent, nunquam illicitum. Numquam enim *superbia, ingratitude, pactorum violatio, sive injuria, inhumanitas, contumelia* licitæ, nec contrariæ his virtutes illicitæ erunt, quatenus pro animi disposi-

Leges naturæ sunt immutabiles

* *Exercitium earum omnium, etc.*] Imo inter has leges aliqua sunt, quorum in statu naturali omissio, modo id pacis vel sui conservandi causa fiat, legis naturalis adimpletio potius videtur, quam violatio. Nam qui omnia facit contra omnia facientes, eripitque rapientibus, æquum facit. Contra autem, id facere quod in pace modus est et modesti hominis, in bello ignavia est et sui proditio. Sunt autem leges aliquæ naturales, quarum ne in bello quidem exercitium desinit. Nam quid ebrietas, quidve crudelitas, id est, vindicta quæ futurum bonum non respicit, ad pacem vel conservationem cujusquam hominis conferre possit, non intelligo. Breviter, in statu naturæ, justum et injustum non ex actionibus, sed ex consilio et conscientia agentium æstimandum est. Quod necessario, quod studio pacis, quod sui conservandi causa fit, recte fit. Alioquin omne damnum homini illatum legis naturalis violatio atque in Deum injuria est.

SECT. III. **tionibus intelliguntur**, hoc est, quatenus *in foro conscientiae* spectantur, ubi solum obligant, et sunt leges. Actiones tamen ita diversificari possunt circumstantiis et lege civili, ut quæ uno tempore æquæ, alio iniquæ; et quæ uno tempore cum ratione, alio contra rationem sint. Ratio tamen eadem neque finem mutat, quæ est *pax et defensio*, neque media, nempe animi virtutes eas, quas supra declaravimus, quæque nulla vel consuetudine vel lege civili abrogari possunt.

Qui leges naturæ conatur implere, justus est.

30. Patet ex hactenus dictis, quam faciles observatu sint naturæ leges, quippe quæ conatum solum, sed verum et constantem, requirunt, quem qui præstiterit, eum recte possumus JUSTUM appellare. Nam qui toto conatu ad id tendit, ut omnes actiones suæ sint secundum præcepta naturæ, clare ostendit animum se habere leges eas omnes adimplendi, quod est omne id, ad quod obligamur a natura rationali. Qui vero totum id præstitit, ad quod obligatus erat, *justus* est.

Lex naturalis eadem cum morali.

31. Legem naturalem eandem esse cum *lege morali*, consentiunt omnes scriptores. Id quare sit verum, videamus. Sciendum igitur est, *bonum* et *malum* nomina esse rebus imposita ad significandum appetitum, vel aversionem eorum a quibus sic nominantur. Appetitus autem hominum pro diversis eorum temperamentis, consuetudinibus, opinionibusque, diversi sunt; ut videre est in iis rebus, quas sensu percipimus, puta gustu, tactu, olfactu: sed multo magis in iis rebus, quæ pertinent ad actiones vitæ communes, ubi quod hic *laudat*, id est, appellat *bonum*, alter vituperat ut *malum*; imo sæpissime idem homo diversis temporibus idem et *laudat* et *culpat*. Hæc dum faciunt, necesse est

oriri discordiam et pugnas. Sunt igitur tamdiu in statu belli, quam *bonum* et *malum* præ appetituum præsentium diversitate diversis mensuris metiuntur. Hunc statum facile omnes, dum in eo sunt, agnoscunt esse malum; et per consequens pacem esse bonam. Qui igitur de bono præsentī convenire non poterant, conveniunt de futuro; quod quidem opus rationis est. Nam *præsentia* sensibus, *futura* non nisi ratione percipiuntur. Præcipiente ratione pacem esse bonam, sequitur eadem ratione, omnia media ad pacem necessaria bona esse, ideoque *modestiam æquitatem, fidem, humanitatem, misericordiam*, quas demonstravimus ad pacem esse necessarias, *bonos esse mores*, sive habitus, hoc est *virtutes*. *Lex* ergo eo ipso, quod præcipit media ad pacem, præcipit *bonos mores*, sive *virtutes*. Vocatur ergo *moralis*.

SECT. III.

3.

32. Quia vero homines exuere non possunt appetitum illum irrationalem, quo bona præsentia, quibus arcta consequentia multa adhærent improvisa mala, præ futuris appetunt, factum est, ut quanquam consentiant omnes in laude dictarum virtutum, tamen dissentiant adhuc de earum natura, in quo nempe unaquæque earum consistat. Quoties enim cuiquam displicet aliena bona actio, ei actioni imponitur nomen alicujus vitii vicini; similiter nequitia, quæ placent, ad virtutem aliquam referuntur. Unde evenit, eandem actionem ab his laudari et virtutem appellari, ab illis culpari et vitio verti. Neque huic rei remedii quicquam a philosophis hactenus inventum est. Cum enim non observarent bonitatem actionum in eo sitam esse, quod in ordine ad pacem; malitiam in eo, quod in ordine ad discordiam essent; *moralem philosophiam* condide-

Unde fiat quod
quæ dicta sunt
de lege naturali,
non sint eadem
quæ traduntur a
philosophis circa
virtutes.

SECT. III.
3.

runt a *moralī lege* alienam, et sibi non constantem. Voluerunt enim naturam *virtutum* in *mediocritate* quadam inter duo *extrema* sitam esse, vitia vero in ipsis *extremitatibus*: quod est aperte falsum. Nam audere laudatur, et nomine *fortitudinis* pro virtute habetur, quamquam extremum sit, si causa approbatur. Quantitas item rei, quæ dono datur, sive magna, sive parva, sive media sit, non facit *liberalitatem*, sed donandi causa. Neque *injustitia* est, si cui de meo plus dederō quam debitum est. Sunt igitur leges naturales summa philosophiæ *moralis*: cujus præcepta hoc loco ea tantum tradidi, quæ pertinent ad conservationem nostram, contra pericula quæ a discordia oriuntur. Sunt autem alia præcepta naturæ rationalis, ex quibus aliæ nascuntur virtutes. Nam et *temperantia* præceptum rationis est, quia intemperantia tendit ad morbos et interitum. Item *fortitudo*, hoc est, facultas valde resistendi in periculis præsentibus, quæque difficilius declinantur quam superantur; quia medium est ad conservationem illius qui resistit.

Lex naturalis non est proprie loquendo lex, nisi quatenus traditur in Scriptura sacra.

33. Naturæ autem quas vocamus *leges*, cum nihil aliud sint quam conclusiones quædam ratione intellectæ, de agendis et omittendis; lex autem proprie atque accurate loquendo, sit oratio ejus, qui aliquid fieri vel non fieri aliis jure imperat: non sunt illæ proprie loquendo leges, quatenus a natura procedunt. Quatenus tamen eadem a Deo in Scripturis sacris latæ sunt, ut videbimus capite sequente, legum nomine propriissime appellantur. Est enim Scriptura sacra in omnia maximo jure imperantis Dei oratio.

CAPUT IV.

QUOD LEX NATURALIS EST LEX DIVINA.

1. *QUÆ naturalis, et moralis, eadem et divina lex* SECT. III.
 appellari solet. Nec immerito; tum quia ratio, 4.
 quæ est ipsa lex naturæ, immediate a Deo unicuique Lex naturalis
 et moralis est
 lex divina.
 pro suarum actionum regula tributa est; tum quia
 vivendi præcepta, quæ inde derivantur, eadem sunt
 quæ a divina Majestate, pro legibus regni cœlestis,
 per Dominum nostrum Jesum Christum, et per
 sanctos Prophetas et Apostolos promulgata sunt.
 Quæ igitur de lege naturali ratiocinando supra in-
 tellecta sunt, ea hoc capite ex Scriptura sacra
 confirmare conabimur.

2. Inprimis autem ea loca indicabimus, in qui- Id quod genera-
 tim confirmatur
 ex Scriptura:
 bus legem divinam in recta ratione sitam esse de-
 claratur. Psalm. xxxvi. 30, 31: *Os justī medita-
 bitur sapientiam, et lingua ejus loquetur justitiam.
 Lex Dei in corde ipsius.* Jer. xxxi. 33: *Dabo
 legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum
 scribam eam.* Psal. xviii. 8: *Lex Domini imma-
 culata convertens animam.* Ver. 9, *Præceptum
 Domini lucidum, illuminans oculos.* Deut. xxx. 11:
*Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non
 supra te est, neque procul positum, etc.* Ver. 14:
*Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in
 corde tuo.* Psal. cxviii. 34: *Da mihi intellectum,
 et scrutabor legem tuam.* Ver. 105: *Lucerna
 pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*
 Prov. ix. 10: *Scientia sanctorum, prudentia.*
 Johan. i. 1 ipse legis promulgator Christus appel-
 latur λόγος. Vers. 9, vocatur idem Christus lux

SECT. III. *vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quæ omnia, descriptiones sunt rectæ rationis, cujus dictamina leges esse naturales ante ostensum est.

Speciatim,
respectu legis
naturæ funda-
mentalis, de
querenda pace:

3. Quod autem ea, quam posuimus pro naturæ lege fundamentali, nempe quærendam esse pacem, sit etiam summa legis divinæ, ex his locis manifestum erit. Rom. iii. 17: *Justitia* (quæ est summa legis,) vocatur *via ad pacem*. Psal. lxxxiv. 11; *Justitia et pax osculatæ sunt*. Matth. v. 9: *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur*. Et postquam sanctus Paulus ad Hebr. cap. vi. versu ultimo, *Christum* (legis de qua agitur, legislatorem) dixerat esse, *secundum ordinem Melchisedech pontificem in æternum*; addit capite sequenti, versu primo, *Hic Melchisedech erat rex Salem, sacerdos Dei summi, etc.* Vers. 2: *Primum quidem qui interpretatur rex justitiæ; deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis*. Ex quo constat, *Christum regem* in regno suo *justitiam cum pace* colligare. Psal. xxxiii. 15: *Diverte a malo, et fac bonum; inquire pacem, et persequere eam*. Isaiæ ix. 6, 7: *Parvulus enim est natus nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. Isai. lii. 7: *Quam pulchri super montes pedes prædicantis et annunciantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus*. Luc. ii. 14: in nativitate Christi vox laudantium Deum et dicentium, *Gloria Deo in altissimis, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Et Isai. liii. 5: vocatur Evangelium, *disciplina pacis*. Isai. lix. 8: vocatur *justitia, via*

pacis. *Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum.* Michæas v. 4, 5; loquens de Mes-
 sia sic ait; *Stabit et pascet in fortitudine Domini, etc. quia magnificabitur usque ad terminos terræ, et erit iste pax.* Prov. iii. 1, 2; *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ; et præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi.*

SECT. III.

4.

4. Quod attinet ad legem primam, de *communi-
 tate omnium rerum abolenda*, sive de introductione *mei et tui*, habemus primum, quam adversa sit paci communitas illa, ex verbis Abrahami ad Lotum, Gen. xiii. 8, 9; *Ne quæso sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos. Ecce universa terra est coram te, recede a me obsecro.* Et legem de distinctione *nostri et alieni* confirmant omnia illa Scripturæ sacræ loca, quibus invasio in alienum prohibetur, ut, *non occides, non furaberis, non mæchaberis.* Supponunt enim jus omniium in omnia sublatum esse.

Item, primæ legis naturalis, de communitate omnium rerum abolenda:

5. Eadem præcepta stabiliunt legem naturalem secundam de *servanda fide*. Quid enim aliud est, *non invades in alienum, quam non invades in id, quod pacto tuo tuum esse desiit.* Expresse autem, Psalm xiv. ver. 5, quærenti, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* responsum est, *qui jurat proximo suo, et non decipit.* Et Proverb. vi. 1, 2: *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui.*

Item, secundæ legis naturalis, de servanda fide:

6. Tertiam legem, de *gratitudine*, asserunt hæc loca. Deut. xxv. 4: *Non obturabis os bovis triturantis.* Id quod sanctus Paulus, 1 Cor. ix. 9, de hominibus dictum interpretatur, non de bubus tantum. Prov. xvii. 13: *Qui reddit mala pro*

Item, tertis legis naturalis, de gratitudine:

SECT. III. *bonis, non recedet malum de domo ejus.* Et Deut.
 4. *xx. 10, 11: Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem: si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur et serviet tibi sub tributo.* Prov. iii. 29: *Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.*

Item, quartæ
legis naturalis,
de exhibendo
se commodo:

7. Quartæ de exhibendo se commodo, conformia sunt divina præcepta hæc. Exod. xxiii. 4, 5: *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Vers 9: *Peregrino molestus non eris.* Prov. iii. 30: *Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.* Prov. xii. 26: *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Prov. xv. 18: *Vir iracundus provocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas.* Prov. xviii. 24: *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater.* Idem confirmatur (Luc. x.) parabola Samaritani, qui Judæi a latronibus vulnerati misertus est: et præcepto Christi, Matth. v. 39: *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram, etc.*

Item, quintæ
legis naturalis,
de misericordia:

8. Quæ legem quintam probant, inter infinita alia loca hæc sunt. Matth. vi. 14, 15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cælestis peccata vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra, etc.* Matth. xviii. 21, 22: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies; hoc est, toties quoties.*

9. Ad sextam legem confirmandam pertinent omnia ea loca, quæ jubent fieri *miserecordiam*. Qualia sunt, Matth. v. 7: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Levit. xix. 18: *Non quæras ultionem, neque memor eris injuriæ civium tuorum*. Sunt autem, qui hanc legem non modo non confirmatam, sed et infirmatam scripturis putant, ex eo quod impiis post mortem, ubi nullus emendationi neque exemplo locus est, pœna tamen maneat æterna. Solvunt objectionem hanc aliqui, dicendo, Deum nulla obstrictum lege omnia referre ad gloriam suam, sed homini non licere idem facere: quasi Deus gloriam quæreret, hoc est, placeret sibi in morte peccatoris. Rectius respondetur, institutionem pœnæ æternæ fuisse ante peccatum, et respexisse hoc tantum, ut metuerent homines peccare in futurum.

SECT. III.

4.

Item, sextæ legis naturalis, quod pœnæ futurum tantum spectent:

10. Septimam comprobant verba Christi, Matth. v. 22: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit Gehennæ ignis*. Proverb. x. 18: *Qui profert contumeliam, insipiens est*. Proverb. xiv. 21: *Qui despicit proximum suum, peccat*. Prov. xv. 1: *Sermo durus suscitatur furorem*. Prov. xxii. 10: *Ejice derisorem: et exhibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, et contumeliæ*.

Item, septimæ legis naturalis, contra contumeliam:

11. Legem octavam de agnoscenda æqualitate naturæ, hoc est, de *humilitate*, stabiliunt hæc loca. Matth. v. 3: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Proverb. vi. 16—19: *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, oculos sublimes, etc*. Proverb. xvi. 5: *Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens*. Proverb. xi. 2: *Ubi fuerit superbia, ibi erit et con-*

Item, octavæ legis naturalis, contra superbiã:

SECT. III. *tumelia; ubi autem est humilitas, ibi et sapientia.*

4.

Item Isai. xl. 3, 4: ubi adventus Messiae annunciatur, pro præparatione ad regnum ejus, vox clamantis in deserto, hæc est: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur.* Quod absque dubio non ad montes, sed ad homines refertur.

Item, nonæ legis naturalis, de modestia:

12. *Æquitas* autem, quam possuimus nono loco esse legem naturæ, qua unicuique præcipitur cæteris eadem jura permittere, quæ sibi permitti cupit, quæque cæteras omnes leges in se complectitur, eadem est quam et Moses ponit, Levit. xix. 18: *Diliges amicum tuum sicut teipsum;* et Servator noster summam ait esse legis moralis, Matth. xxii. 36-40: *Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: diliges Dominum Deum tuum, etc. hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum, sicut teipsum: in his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.* Diligere autem proximum sicut seipsum, nihil aliud est, quam ei omnia permittere, quæ nobismetipsis permittenda esse postulamus.

Item, decimæ legis naturalis, contra acceptionem personarum:

13. Lege decima vetatur *acceptio personarum;* quemadmodum etiam locis sequentibus. Matth. v. 45, *Ut sitis filii Patris vestri, qui facit solem suum oriri super justos et injustos.* Coloss. iii. 11: *Non est Gentilis et Judæus, Barbarus et Scythæ, servus et liber; sed omnia, et in omnibus Christus.* Act. x. 34: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* 2 Paralipom. xix. 7: *Non est apud Dominum nostrum iniquitas, neque acceptio personarum.* Ecclesiastic. xxxv. 15: *Dominus iudex*

est, non apud illum gloria personæ. Rom. ii. 11 : **SECT. III.**
Non enim acceptio personarum apud Deum est. 4.

14. Undecima lex, quæ jubet *communiter habenda esse quæ dividi non possunt*, nescio an expresse habeatur in sacris Scripturis, necne ; praxis autem passim occurrit in communi usu puteorum, viarum, fluminum, rerum sacrarum, etc. Aliter enim fieri non poterat, ut homines viverent.

Item, undecimæ legis naturalis, de habendis communiter quæ dividi non possunt:

15. Loco duodecimo legem naturæ esse diximus, ea, quæ neque dividi neque communiter possideri possunt, sorte tribuenda esse ; id quod cum exemplo Mosis confirmatur, qui ex præcepto Dei Num. xxxiv, partes terræ promissionis tribubus *sorte* possidendas dedit: tum Act. i. 24-26, exemplo Apostolorum, qui in numerum suum, sic præfati, *Tu Domine ostende, quem elegeris, &c.* Matthiam præ Justo *sorte* ascripserunt. Idem colligitur ex Prov. xvi. 33 : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Et, quæ decima tertia est lex, successio debebatur Esavo, scilicet primo genito Isaaci, ni ipse eam (*Gen. xxv. 33*) vendidisset, vel pater aliter statueret.

Item, duodecimæ legis naturalis, de sorte dividendis :

16. Sanctus Paulus scribens ad Corinthios (1 *Epist.* cap. vi.) corripit illius civitatis Christianos, quod judiciis forensibus apud iudices infideles, suos hostes, inter se contenderent ; delictum esse iniquiens, quod non malint injuriam accipere et fraudem pati. Est enim illud contra legem illam, qua jubemur *mutuo commodi esse*. Sed si accidat controversiam esse de rebus necessariis, quid faciendum est ? Itaque Apostolus (vers. 5) sic loquitur : *Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum ?* Confirmat igitur illis verbis legem naturæ, quam numeravimus decimam quintam, ni-

Item, decimæ quintæ legis naturalis, de constituendo arbitro :

SECT. III. **mirum ubi controversiæ vitari non possunt, constituendum esse ex consensu partium aliquem arbitrum, eumque tertium, ita ut, quæ est lex decima sexta, neuter litigantium iudex sit in causa propria.**

Item, decimæ septimæ legis naturalis, arbitros præmium pro sententiâ accipere non debere:

17. Quod autem iudex sive arbiter præmium pro sententiâ accipere non debeat, quæ lex decima septima est, constat, *Exod. xxiii. 8: Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum: et Ecclesiastic. xx. 31: Xenia et dona excæcant oculos iudicum.* Ex quo sequitur neque obligari eum parti uni, magis quam alteri; quæ est lex decima nona, confirmaturque etiam Deut. i. 17, *Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum; et omnibus eis locis, quæ adducta sunt contra personarum acceptionem.*

Item, decimæ octavæ legis naturalis, de testibus:

18. Quod in iudicio facti, testes adhibendi sint, quæ est lex decima octava, non modo confirmat Scriptura, sed requirit plures. Deut. xvii. 6: *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur.* Idem repetitur Deut. xix. 15.

Item, vigesimæ legis naturalis, contra ebrietatem:

19. Ebrietas, quam ideo inter violationes legis naturalis ultimo loco numeravimus, quia rectæ rationis usum impedit, prohibetur in Scripturis sacris etiam propter eandem causam. Proverb. cap. xx. vers. 1: *Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et Proverb. xxxi. 4, 5: *Noli regibus dare vinum, ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* Ut autem sciamus malitiam hujus vitii consistere formaliter, non in quantitate vini quod bibitur, sed in eo quod iudicium et rationem labefactet, sequitur proximo versu, *Date siceram mœrentibus, et vinum his, qui*

amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius. Eadem ratione in prohibenda ebrietate utitur Christus, Lucæ cap. xxi. 34 : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.*

SECT. III.

4.

20. Quod diximus superiore capite, legem naturæ esse æternam, probatur ex Matth. v. 18 : *Amen dico vobis, donec transeat cælum et terra, iota unum aut apex unus non præteribit a lege.* Et Psalm. cxviii. 160 : *In æternum omnia judicia justitiæ tuæ.*

Item, respectu ejus quod dictum est, legem naturæ esse æternam :

21. Diximus quoque, naturæ leges pertinere ad conscientiam ; hoc est, *justum esse* qui omni conatu eas implere nititur. Et quamquam quis omnes actiones fecerit tales, quod attinet ad externam obedientiam, quales lex jubet, sed non ob legem ipsam, sed propter pœnam adjunctam, vel gloriæ causa ; tamen eum *injustum* esse. Utrumque confirmatur Scripturis sacris. Primum, Isai. lv. 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* Ezech. xviii. 31 : *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum : et quare moriemini, domus Israel ?* Ex quibus et similibus locis satis intelligi potest, non puniendum Deum facta eorum, quorum cor rectum est. Secundum, ex Isai. xxix. 13, 14 : *Et dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis glorificat me, cor autem ejus longe est a me ; ideo ecce ego addam, etc.* Matth. v. 20 : *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et in sequentibus explicat Servator noster mandata Dei violari, non factis modo, sed

Item, leges naturæ pertinere ad conscientiam :

SECT. III. ^{4.} etiam voluntate. Scribæ enim et Pharisæi externis factis observabant legem quam maxime, sed gloriæ tantum causa; aliter eandem violaturi. Occurrunt præterea innumera passim Scripturæ sacræ loca, quibus manifestissime dicitur Deum voluntatem accipere pro facto; idque tam in bonis, quam in malis actionibus.

Item, leges naturæ faciles ease observatu:

22. Quod lex naturæ facilis observatu sit, declarat Christus, Matth. xi. 28-30: *Venite ad me omnes qui laboratis, etc. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

Denique respectu regulæ, per quam statim cognosci potest, an aliquid sit contra legem naturæ, necno.

23. Regula denique illa, qua dignoscere unumquemque posse dixi, utrum id quod facturum sit, contra legem naturæ sit necne, nempe, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, totidem pene verbis enunciatur a nostro Servatore, Matth. vii. 12: *Omnia ergo, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*

Christi lex, est naturæ lex.

24. Sicut lex naturæ omnis divina est; ita lex Christi e converso, quæ tota explicatur Matthæi capitibus v. vi. vii., tota quoque (excepto uno mandato de non ducenda ea quæ propter fornicationem est dimissa, quod pro divinæ legis positivæ explanatione adduxit Christus contra Judæos, qui legem Mosaicam non recte interpretabantur,) naturæ doctrina est. Tota, dixi, lex Christi in dictis capitibus explicatur, non tota Christi doctrina: nam doctrinæ Christianæ pars est *fides*, quæ sub *legis* nomine non comprehenditur. Leges enim feruntur de *actionibus*, quæ voluntatem sequuntur nostram; non de *opinionibus*, neque de *fide*, quæ extra potestatem nostram existentes voluntatem nostram non sequuntur.

IMPERIUM.

CAPUT V.

DE CAUSIS ET GENERATIONE CIVITATIS.

1. Leges naturales non sufficere ad pacis conservationem. 2. Leges naturæ in statu naturæ silere. 3. Securitatem vivendi secundum leges naturæ consistere in concordia multorum. 4. Concordiam multorum non esse satis constantem ad pacem diuturnam. 5. Cur brutorum quorundam animantium regimen sola stet concordia; hominum non item. 6. Requiri ad pacem hominum, non modo consensionem, sed etiam unionem. 7. Quid sit unio. 8. In unione, jus omnium in unum transfertur. 9. Quid sit civitas. 10. Quid sit persona civilis. 11. Quid sit summum habere imperium, et quid subditus. 12. Duo genera civitatum, naturale et institutum.

1. **MANIFESTUM** est per se, actiones hominum a voluntate, voluntatem a spe et metu proficisci; adeo ut quoties *bonum majus*, vel *malum minus* videtur a violatione legum sibi proventurum, quam ab observatione, volentes violant. Spes igitur unicuique securitatis conservationisque suæ in eo sita est, ut viribus artibusque propriis proximum suum vel palam vel ex insidiis præoccupare possit. Ex quo intelligitur, leges naturales non statim, ut cognitæ sunt, securitatem cuiquam præstare ipsas observandi: et proinde, quamdiu cautio ab invasione aliorum non habeatur, cavendi sibi quibuscunque modis voluerit et potuerit, unicuique manere *jus primævum*, hoc est, *jus in omnia*, sive *jus belli*; sufficitque ad impletionem legis naturalis, ut quis

SECT. III.
^{5.}
 Leges naturales non sufficere ad pacis conservationem.

SECT. III. paratus animo sit ad pacem habendam, ubi haberi potest.

5.

Leges naturæ
in statu naturæ
silere.

2. Tritum est *inter arma silere leges*; et verum est, non modo de legibus civilibus, sed etiam de lege naturali, si non ad animum, sed ad actiones referatur per Cap. III. art. 27. Et bellum tale intelligatur, ut sit omnium contra omnes, qualis est *status naturæ meræ*; quamquam in bello nationis contra nationem modus quidam custodiri solebat. Ideoque priscis temporibus vitæ institutum, et quasi œconomia quædam erat, quam vocabant *ληστροικὴν, rapto vivere*; quæ neque contra legem naturæ erat, rebus sic stantibus, neque sine gloria illis, qui eam fortiter nec crudeliter exercebant. Mos erat illis, cætera rapientibus, et vitæ parcere, et a bubus aratoribus omnique instrumento agriculturæ abstinere. Quod tamen non ita est accipiendum, tanquam ad id adstringerentur lege naturæ, sed quod gloriæ suæ consulerent, et ne nimia crudelitate metus arguerentur.

Securitatem
vivendi secundum
legem naturæ,
consistere in
concordia
multorum.

3. Cum ergo ad pacem conservandam necessarium sit legis naturalis exercitium; et ad legis naturalis exercitium necessaria sit *securitas*; considerandum est quid sit quod talem securitatem præstare possit. Ad hanc rem excogitari aliud non potest, præterquam ut unusquisque auxilia idonea sibi comparet, quibus invasio alterius in alterum adeo periculosa reddatur, ut satius sibi esse uterque putet manus cohibere quam conserere. Primum autem manifestum est, quod duorum vel trium consensio securitatem talem minime præstare possit; propterea quod additio ex altera parte unius vel paucorum hominum sufficit ad certam et indubitam victoriam, datque animum adversario

ad aggrediendum. Necessarium itaque est ad securitatem, quam quærimus, obtinendam, ut numerus eorum, qui in mutuam opem conspirant, tantus sit, ut paucorum hominum ad hostes accessio non sit ipsis conspicui momenti ad victoriam.

SECT. III.

5.

4. Deinde, quantuscunque sit numerus eorum qui ad se defendendum coeunt, si tamen non consentiant inter se de optima ratione qua id fieri debeat, sed unusquisque suo modo suis viribus utatur, nihil efficietur; propterea quod distracti sententiis impedimento invicem erunt; aut si in unam actionem spe victoriæ, vel prædæ, vel vindictæ, satis consentiant, postea tamen diversitate ingeniorum consiliorumque, vel æmulatione et invidia, quibus naturaliter homines inter se contendunt, ita divellentur, ut neque mutuam opem conferre neque pacem inter se habere velint, nisi communi aliquo metu coerceantur. Ex quo sequitur *consensionem* plurimum, quæ consistit in eo tantum quod actiones suas omnes ad eundem finem et *bonum commune* dirigant, hoc est, societatem mutui tantum auxilii, non præstare consentientibus sive sociis securitatem, quam quærimus, exercendi inter se ipsos leges naturæ supra dictas; sed oportere amplius quiddam fieri, ut qui semel ad pacem et mutuum auxilium causa *communis boni* consenserint, ne postea, cum *bonum* suum aliquod *privatum* a *communi* discrepaverit, iterum dissentiant, metu prohibeantur.

Concordiam multorum non esse satis constantem ad pacem diuturnam.

5. Numerat Aristoteles inter animalia, quæ politica appellat, non modo *hominem*, sed etiam multa alia, ut *formicam*, *apem*, &c.: quæ, quamquam ratione destituantur, per quam pacta facere et submittere se regimini possint, nihilominus, consentiendo, id est, eadem cupiendo et eadem fugiendo,

Cur brutorum quorundam animalium regimen sola stet concordia; hominum non item.

SECT. III.
5.

Cur brutorum
quorundam ani-
mantium regi-
men sola stet
concordia; ho-
minum non item.

ita actiones suas dirigunt ad finem communem, ut cœtus eorum nullis seditionibus sint obnoxii. Non sunt tamen cœtus eorum *civitates*, neque ideo ipsa animalia *politica* dicenda sunt; quippe quorum regimen consensio tantum est, sive multæ voluntates ad unum objectum; non ut in civitate opus est, una voluntas. Verum est in creaturis illis solo sensu et appetitu viventibus, consensionem animorum ita esse durabilem, ut nulla alia re opus sit ad eam, et, ex consequenti, ad pacem inter se conservandam, præterquam naturali eorum appetitu. In hominibus autem aliter res se habet. Nam primo, inter homines certamen est honoris et dignitatis; inter bestias non est: unde *odium et invidia*, ex quibus nascitur seditio et bellum, inter homines est, inter illas non est. Secundo, appetitus naturalis apum et similium creaturarum conformes sunt, et feruntur ad bonum commune, quod inter illas non differt a privato; homini autem nihil pene pro bono habetur, in quo non sit possessori aliquid præcipui et eximii præ eo quod possident cæteri. Tertio, animantia, quæ rationem non habent, nullum defectum vident, vel videre se putant, in administratione suarum rerumpublicarum: sed in multitudine hominum plurimi sunt qui, præ cæteris sapere existimantes, conantur res novare, et diversi novatores innovant diversis modis; id quod est distractio et bellum civile. Quarto, animantia bruta, utcumque possint vocis suæ usum aliquem habere ad significandum inter se affectus suos, carent tamen illa verborum arte, quæ necessario requiritur ad perturbationes animi concitandas, nimirum, quæ bonum melius, malum, pejus repræsentatur animo, quam revera est: hominis autem lingua tuba quæ-

dam belli est et seditionis; diciturque Pericles suis quondam orationibus, tonuisse, fulgurasse, et confudisse totam Græciam. Quinto, non distinguunt illa injuriam a damno. Inde accidit, ut dum bene ipsis sit, socios non culpent. Homines autem maxime reipublicæ molesti sunt, quibus maxime licet esse otiosis: non enim ante certare de dignitate publica solent, quam in certamine contra famem et frigus victoriam reportaverint. Postremo, consensio creaturarum illarum brutarum naturalis est, hominum pactitia tantum, hoc est. artificiosa est: non igitur mirandum est, si hominibus ad vivendum in pace aliquid amplius opus sit. *Consensio* itaque, sive *societas* contracta sine potestate aliqua communi, per quam metu pœnæ singuli regantur, non sufficit ad securitatem, quæ requiritur ad exercitium justitiæ naturalis.

SECT. III.

5.

6. Quoniam igitur *conspiratio* plurium voluntatum ad eundem finem non sufficit ad conservationem pacis et defensionem stabilem, requiritur ut circa ea, quæ ad pacem et defensionem sunt necessaria, *una* omnium sit *voluntas*. Hoc autem fieri non potest, nisi unusquisque voluntatem suam, alterius *unius*, nimirum *unius hominis*, vel *unius concilii* voluntati ita subjiciat, ut pro voluntate omnium et singulorum habendum sit, quicquid de iis rebus, quæ necessariæ sunt ad pacem communem, ille voluerit. *CONCILIIUM* autem voco, cœtum plurium hominum deliberantium de eo quod agendum vel non agendum est, ad commune omnium bonum.

Requiri ad pacem hominum non modo consensionem, sed etiam unionem.

7. *Voluntatem* hæc *submissio* omnium illorum, *unius hominis voluntati*, vel *unius concilii* tunc fit, quando unusquisque eorum unicuique cæterorum se pacto obligat ad non resistendum *voluntati* illius

Quid sit unio.

SECT. III. *hominis* vel illius *concilii*, cui se submiserit, id est, ne usum opum et virium suarum (quoniam jus seipsum contra vim defendendi retinere intelligitur) contra alios quoscumque illi deneget: vocaturque UNIO. *Voluntas* autem *concilii*, ea intelligitur esse, quæ est *voluntas majoris partis* eorum hominum, ex quibus concilium consistit.

In unione, jus omnium in unum transfertur.

8. Quamquam autem *voluntas* non sit ipsa voluntaria, sed tantum actionum voluntariarum principium; non enim volumus velle, sed *facere*; ideoque minime cadat sub deliberationem et pacta; tamen qui subjicit voluntatem suam alterius voluntati, transfert in illum alterum *jus virium et facultatum* suarum: ut cum cæteri idem fecerint, habeat is, cui submittitur, tantas vires, ut terrore earum singulorum voluntates ad unitatem et concordiam possit conformare.

Quid sit civitas. 9. Unio autem sic facta appellatur *civitas* sive *societas civilis*, atque etiam *persona civilis*. Nam cum *una* sit omnium voluntas, pro *una persona* habenda est; et nomine *uno* ab omnibus hominibus particularibus distinguenda et dignoscenda, habens jura sua et res sibi proprias. Ita ut neque civis aliquis, neque omnes simul, si excipiamus eum cujus voluntas sit pro voluntate omnium, pro *civitate* censenda sit. CIVITAS ergo, ut eam definiamus, est *persona una*, cujus *voluntas*, ex pactis plurium hominum, pro *voluntate* habenda est ipsorum omnium, ut singulorum viribus et facultatibus uti possit ad pacem et defensionem communem.

Quid sit persona civilis.

10. Quamquam autem *civitas* omnis *persona civilis* sit; non tamen, e converso, omnis *persona civilis* est *civitas*. Fieri enim potest ut cives plures, permittente civitate sua, coeant in *unam personam*,

certarum rerum agendarum causa. Hæ jam *personæ civiles* erunt, ut sodalitates mercatorum, et conventus alii quamplurimi; *civitates* tamen non sunt, quia non subjecerunt se voluntati conventus simpliciter, et in omnibus, sed in certis rebus a civitate determinatis; atque ita ut cuilibet eorum contra ipsum *corpus sodalitatis* contendere iudicio licitum sit apud alios; quod *civi* contra *civitatem* licitum non est. Hujusmodi igitur *societates* sunt *personæ civiles*, *civitati* subordinatæ.

SECT. III.

5.

11. In omni civitate, homo ille, vel *concilium* illud, cujus voluntati singuli voluntatem suam, ita ut dictum est, subjecerunt, SUMMAM POTESTATEM, sive SUMMUM IMPERIUM, sive DOMINIUM habere dicitur. Quæ *potestas et jus imperandi* in eo consistit, quod unusquisque civium omnem suam vim et potentiam, in illum *hominem*, vel *concilium* transtulit. Quod fecisse, quia vim suam in alium transferre naturali modo nemo potest, nihil aliud est, quam de jure suo resistendi decessisse. *Civium* unusquisque, sicut etiam omnis *persona civilis subordinata*, ejus, qui summum imperium habet, SUBDITUS appellatur.

Quid sit summum habere imperium, et quid subditus.

12. Ex ante dictis satis ostensum est, quo modo et quibus gradibus *multæ personæ naturales* in *unam personam civilem*, quam *civitatem* appellavimus, studio sese conservandi mutuo metu coaluere. Cæterum qui se subjiciunt alteri propter metum, vel ipsi quem metuunt se subjiciunt, vel alicui alii cui confidunt, ut ab eo protegantur. Priore modo faciunt bello victi, ne occidantur; posteriore, nondum victi, ne vincantur. Prior modus initium habet a *potentia naturali*, et dici potest civitatis *origo naturalis*; posterior a *consilio et constitutione* coeuntium, quæ *origo ex instituto* est. Hinc est

Duo genera civitatum, naturale et institutum.

SECT. III. ^{5.} quod duo sint genera civitatum, alterum *naturale*, quale est *paternum* et *despoticum*; alterum *institutivum*, quod et *politicum* dici potest. In primo *dominus* acquirit sibi *cives* sua voluntate; in altero *cives* arbitrio suo imponunt sibi ipsi *dominum*, sive is sit *unus homo*, sive *unus cætus* hominum cum *summo imperio*. Dicemus autem primo loco de *civitate institutiva*, deinde de *naturali*.

CAPUT VI.

DE JURE EJUS, SIVE CONCILII, SIVE HOMINIS UNIUS QUI IN CIVITATE CUM SUMMA POTESTATE EST.

1. Multitudini extra civitatem non potest attribui jus aliquod, neque actio aliqua, in quam non sigillatim consenserunt.
2. Initium civitatis est jus majoris numeri consentientis.
3. Unumquemque jus retinere protegendi se arbitrio proprio, quamdiu securitati suæ non sit prospectum.
4. Potestatem coactivam necessariam esse ad securitatem.
5. Quid sit Gladius Justitiæ.
6. Gladium Justitiæ penes eum esse qui habet summum imperium.
7. Gladium belli penes eundem esse.
8. Judicia penes eundem esse.
9. Legislationem penes eundem esse.
10. Magistratum et ministrorum civitatis nominationem penes eundem esse.
11. Doctrinarum examinationem penes eundem esse.
12. Quicquid is fecerit impune esse.
13. Eidem a civibus imperium absolutum concessum esse: quantaque ei debeatur obedientia.
14. Eundem legibus civitatis non teneri.
15. Nemini proprium esse quicquam contra illum qui habeat summum imperium.
16. Quid sit furtum, homicidium, adulterium et injuria, cognosci ex legibus civilibus.
17. Opinio eorum qui civitatem constituere vellent, ubi non esset quisquam cum potentia absoluta.
18. Notæ imperii summi.
19. Si conferatur civitas cum homine, is, qui habet summum imperium, est ad civitatem in ea ratione, in qua est anima humana ad ipsum hominem.
20. Summum imperium non posse jure dissolvi consensu eorum, quorum pactis est constitutum.

Multitudini extra civitatem non potest attribui

1. CONSIDERANDA inprimis est ipsa hominum, coeuntium in unam civitatem suo ipsorum arbitrio,

multitudo* quid sit, nimirum quod non sit *unum* SECT. III.
 aliquid, sed plures homines, quorum unusquisque 6.
 suam habet sibi voluntatem, et suum circa omnia jus aliquod, ne-
 proponenda iudicium. Et siquidem per contractus que actio aliqua,
 particulares singuli suum sibi habeant jus et pro- in quam non sigil-
 latim consense-
 runt.

* *Multitudo, etc.*] Doctrina de civitatis in cives potestate, tota fere dependet a cognitione differentiae, quæ est inter multitudinem hominum quæ regit, et eam quæ regitur. Ea enim civitatis natura est, ut civium multitudo sive aggregatum non modo imperet, sed etiam imperanti subjiciatur: sed alio atque alio sensu. Quam differentiam in primo hoc articulo satis explicatam esse credideram. Verum ex multorum contra ea quæ sequuntur objectionibus, aliter esse sentio. Itaque uberioris explicationis causa pauca hæc adjicere visum est.

Multitudo, quia vox collectiva est, significare intelligitur res plures, ut hominum multitudo idem sit quod multi homines. Vox eadem, quia numeri est singularis, unam rem significat, nempe unam multitudinem. At neutro modo intelligitur multitudo habere unam voluntatem a natura datam, sed alius aliam. Neque ergo attribuenda illi est una actio, quæcumque ea sit. Itaque promittere, pacisci, jus acquirere, jus transferre, facere, habere, possidere, et similia, multitudo non potest, nisi sigillatim sive viritum, ut sint promissa, pacta, jura, actiones, tot quot sunt homines. Quapropter multitudo persona naturalis non est. Cæterum eadem multitudo, si viritum paciscantur, fore ut unius alicujus hominis voluntas, vel majoris partis ipsorum voluntates consentaneæ pro voluntate omnium habeantur, tunc persona una fit: voluntate enim prædita est, ideoque actiones facere potest voluntarias, quales sunt imperare, leges condere, jus acquirere et transferre, et cætera; et populus sæpius quam multitudo dicitur. Distinguendum itaque sic est; per populum vel multitudinem, quoties ipsam aliquid velle, imperare, vel facere dicimus, intelligitur civitas quæ imperat, vult et agit per voluntatem unius hominis, vel per voluntates plurium hominum consentaneas: quod nisi in conventu fieri nequit. Quoties autem a multitudine hominum sive magna sive parva aliquid fieri dicitur sine voluntate illius hominis vel conventus, id factum esse a populo subdito, id est, a multis simul civibus singularibus, neque ex una voluntate, sed ex pluribus provenire plurium hominum, qui cives sunt et subditi, civitas non sunt.

SECT. III. ^{6.} ~~proprietatem~~, ut alter hoc, alter illud dicat esse suum, nihil erit de quo tota multitudo, ut *persona* a singulo quopiam distincta, possit recte dicere, hoc *meum* est, magis quam *alienum*. Neque est actio ulla quæ multitudini attribui debet, ut *sua*; sed, si omnes vel plures consenserint, actio non erit, sed tot actiones, quot homines. Quamquam enim in magna aliqua seditione, vulgo dici solet *populum* illius civitatis cepisse arma; verum tamen est de illis solis qui in armis sunt, vel qui iis consentiunt. *Civitas* enim, quæ *una persona* est, capere arma in seipsam non potest. Quicquid igitur a multitudine factum est, intelligendum est factum esse ab unoquoque eorum ex quibus illa conflatur. Atque is qui, in multitudine illa existens, tamen iis quæ facta sunt non consenserit, neque opem tulerit, non fecisse censendus est. Præterea in multitudine nondum in unam personam, eo modo quo dictum est, coalita, manet ille *naturæ status*, in quo *omnia omnium* sunt; neque locum habet illud *meum* et *tuum*, quod vocatur *dominium*, et *proprietas*: propterea quod nondum exstat securitas illa, quam supra ad exercitium *legum naturalium* requiri ostendimus.

Initum civitatis est jus majoris numeri consentientia.

2. Considerandum deinde est, unumquemque ex multitudine, quo constituendæ civitatis principium fiat, debere consentire cum cæteris, ut in iis rebus, quæ a quopiam in cœtu proponuntur, pro voluntate omnium habeatur id, quod voluerit eorum major pars. Alio enim modo multitudinis hominum, quorum ingenia et vota inter se tam varie differunt, nulla omnino erit voluntas. Quod si quis nolit consentire, cæteri, sine eo civitatem nihilo minus inter se constituent. Ex quo fiet ut

civitas in dissentientem jus suum primævum retineat, hoc est, *jus belli*, ut in hostem.

3. Quoniam autem (capite præcedente, articulo 6,) requiri ad securitatem hominum diximus non modo consensionem, sed etiam subjectionem voluntatum, circa eas res quæ ad pacem et defensionem sunt necessariæ; et in ea *unione* sive *subjectione* consistere naturam *civitatis*; videndum hoc loco est, ex iis rebus, quæ in cætu hominum, quorum voluntates omnes in majoris partis voluntate continentur, proponi, discuti, et statui possunt, quænam res ad pacem et defensionem communem sint necessariæ. Imprimis autem *paci necessarium* est, ut unusquisque in tantum protegatur contra cæterorum violentiam, ut possit secure vivere, hoc est, ne habeat causam justam metuendi a cæteris, quamdiu ipse alios injuria nulla affecerit. Tutos quidem reddere homines a mutuis damnis, ita ut lædi, vel occidi injuria non possint, impossibile est; neque ergo cadit in deliberationem. Sed ne sit metuendi causa justa, prospici potest. Securitas enim finis est, propter quem homines se subjiciunt aliis; quæ si non habeatur, nemo intelligitur se aliis subjecisse, aut jus se arbitrio suo defendendi amississe. Neque ante intelligendus est quisquam se obstrinxisse ad quicquam, vel jus suum in omnia reliquisse, quam securitati ejus sit prospectum.

4. Ad securitatem hanc non sufficit, ut unusquisque eorum, qui in civitatem coalituri sunt, cum cæteris paciscatur, vel verbis, vel scripto, de non occidendo, non furando, et similibus legibus observandis: manifesta enim omnibus est ingenii humani pravitas, et experientia nimis cognitum, quam parum, amota poena, conscientia promissorum

SECT. III.

6.

Unumquemque jus retinere protegendi se arbitrio proprio, quamdiu securitati ejus non est prospectum.

Potestatem coactivam necessariam esse ad securitatem.

SECT. III. *homines in officio* contineantur. Securitati itaque
 6. non *pactis*, sed *pœnis* providendum est. Tunc
 autem satis provisum est, cum pœnæ tantæ in sin-
 gulas injurias constituuntur, ut aperte majus malum
 sit fecisse, quam non fecisse. Omnes enim homi-
 nes necessitate naturæ id eligunt, quod *sibi et*
ipsis apparenter bonum est.

Quid sit
 gladius justitiæ.

5. Jus autem pœnas sumendi tunc intelligitur
 datum esse alicui, quando unusquisque paciscitur, se
 non auxiliaturum esse ei, qui pœnas daturus est. Vo-
 cabo autem *jus* hoc *gladium justitiæ*. Hujusmodi
 autem pacta satis plerumque observant homines,
 nisi ubi ipsi vel illorum proximi puniendi sunt.

Gladium justitiæ
 penes eum esse,
 qui habet impe-
 rium summum.

6. Quoniam ergo ad securitatem singulorum,
 atque adeo ad pacem communem necessarium est,
 ut *jus* utendi *gladio* ad pœnas in aliquem *hominem*,
 vel *concilium* transferatur; is *homo*, vel illud *con-*
cilium, necessario intelligitur *summum* in civitate
imperium jure habere. Qui enim pœnas suo arbi-
 trij jure sumit, jure omnes cogit ad omnia, quæ
 ipse vult; quo imperium majus excogitari nullum
 potest.

Gladium belli
 penes eundem
 esse.

7. Frustra autem pacem inter se colunt, qui se
 contra externos tueri non possunt; neque possibile
 est iis se tutari contra externos, quorum vires,
 unitæ non sunt; ideoque necessarium est ad sin-
 gulorum conservationem, ut sit *concilium* aliquod
unum, vel *homo unus* qui jus habeat armandi, con-
 gregandi, et uniendi tot cives in omni periculo,
 vel occasione, quot pro incerto numero et viribus
 hostium ad communem defensionem opus erit;
 rursusque cum hostibus quoties expediet pacem
 faciendi. Intelligendum ergo est singulos cives in
unum vel *hominem* vel *concilium* totum hoc *jus*

belli et pacis transtulisse. Atque jus hoc, quod *gladium belli* appellare possumus, esse ejusdem *hominis vel concilii*, cujus est *gladius justitiæ*. Nemo enim ad arma et ad belli sumtus cives potest jure cogere, nisi qui jure punire eum potest qui non obedi-erit. *Summo* itaque *imperio* uterque *gladius* tam *belli* quam *justitiæ* ex ipsa civitatis constitutione et essentialiter adhæret.

SECT. III.

6.

8. Quoniam autem *jus glad'i* nihil aliud est, quam jure posse, suo arbitrio, gladio uti ; sequitur *arbitrium* sive *judicium* de recto ejus usu ad eundem pertinere. Si enim *potestas judicandi* penes unum esset, et *potestas exsequendi* penes alterum, nihil efficeretur : frustra enim judicaret, qui mandata exsequi non posset ; aut si exsequatur per jus alterius, non ipse jus gladii habere dicitur, sed alter, cujus ille minister tantum est. Omne igitur *judicium* in *civitate* est illius qui *gladios* habet, hoc est, ejus cujus est *imperium summum*.

Judicia penes eundem esse.

9. Porro, cum non minus, imo multo magis ad pacem conducatur, prævenire ne rixæ oriantur quam ortas compescere : controversiæ autem omnes nascantur ex eo, quod differunt inter se opiniones hominum de *meo et tuo*, *justo et injusto*, *utili et inutili*, *bono et malo*, *honesto et inhonesto*, et similibus, quæ quisque proprio æstimat judicio ; ejusdem summi imperii est, communes omnibus exhibere regulas sive mensuras, et publice eas declarare, quibus unusquisque sciat quid *suum*, quid *alienum*, quid *justum*, quid *injustum*, quid *honestum*, quid *inhonestum*, quid *bonum*, quid *malum* appellandum sit, hoc est summatim, quid *agendum* et quid *fugendum* sit in vita communi. Regulæ autem sive mensuræ illæ vocari solent *leges civiles* sive *leges*

Legislationem penes eundem esse.

SECT. III. **6.** civitatis, ut quæ ejus, qui *summum* in civitate *imperium* obtinet, sunt *mandata*. Et LEGES CIVILES, ut eas definiamus, nihil aliud sunt, quam ejus, qui in civitate summa potestate præditus est, de civium futuris actionibus mandata.

Magistratum et ministrorum civitatis nominationem, penes eundem esse.

10. Præterea, cum civitatis negotia belli et pacis, ab uno homine, vel concilio uno, absque *ministris* et *magistratibus subordinatis* omnia administrari impossibile sit; pertineatque ad pacem et defensionem, ut quibus de controversiis juste judicare, vicinorum consilia pervidere, bella prudenter gerere, utilitati civitatis undiquaque prospicere incumbit, recte suis officiis fungantur; rationi consentaneum est, ut ab eo dependeant, et eligantur, qui habet *summum imperium* tam in *bello*, quam in *pace*.

Doctrinarum examinationem penes eundem esse.

11. Manifestum quoque est, actiones omnes voluntarias initium habere et necessario dependere a voluntate; voluntatem autem faciendi vel non faciendi dependere ab opinione *boni* vel *mali*, *præmi* vel *pœnæ*, quam sibi quisque conceperit ex facto vel omisso sequuturam esse: ita ut actiones omnium a suis cujusque opinionibus regantur. Quare illatione necessaria et evidenti intelligitur, pacis communis interesse plurimum, ut nullæ opiniones vel doctrinæ civibus proponantur, quibus putent, vel se jure non posse *legibus* civitatis, hoc est, mandatis illius *hominis*, vel *concilii*, cui *summum* civitatis *imperium* commissum est, obtemperare; vel licitum sibi esse ei resistere; vel majorem pœnam manere sibi neganti, quam præstanti obsequium. Si enim unus imperet aliquid facere sub pœna mortis naturalis, alius vetet sub pœna mortis æternæ, uterque jure; sequetur non tantum cives, etsi in-

nocentes, puniri jure posse, sed penitus dissolvi civitatem. Neque enim servire quisquam duobus dominis potest : neque is, cui obediendum esse credimus metu damnationis, minus dominus est, quam is, cui obeditur metu mortis temporalis, sed potius magis. Sequitur ergo illum *unum* sive *hominem*, sive *curiam*, cui commissum est a civitate *summum imperium*, hoc quoque habere juris, ut et judicet quæ opiniones* et doctrinæ paci inimicæ sunt, et vetet ne doceantur.

SECT. III.

6.

Doctrinarum
examinationem
penes eundem
esse.

* *Et judicet quæ opiniones, etc.*] Dogma fere nullum est, neque circa cultum Dei, neque circa scientias humanas, unde dissensiones, deinde discordiæ, convicia, et paulatim bellum oriri non possit. Neque accidet hoc propter dogmatis falsitatem, sed propter ingenium hominum, qui sapientes sibi visi, idem videri volunt omnibus. Verum hujus modi dissensiones quamquam impediri non possunt, ne oriantur, attamen ne impediunt pacem publicam, imperii summi exercitio coerceri possunt. De opinionibus itaque istiusmodi loquutus hoc loco non sum. Sunt doctrinæ quædam, quibus imbuti cives obedientiam civitati negari, et contra principes summos summasque potestates pugnari, idque jure posse, imo oportere, arbitrantur : quales sunt quæ sive directe et aperte, sive obscurius per consequentiam, hominibus aliis præter eos, quibus imperium summum traditum est, obedientiam postulant. Spectare hoc ad potestatem, quam in aliena civitate ecclesiæ Romanæ Principi multi attribuunt, et ad potestatem etiam, quam alicubi extra ecclesiam Romanam Episcopi in civitate sua sibi postulant ; denique ad libertatem, quam prætextu religionis sumunt sibi etiam cives infimi, non dissimulo. Nam quod bellum civile in orbe Christiano unquam exstitit, quod ab hac radice ortum aut alitum non fuerit ? Doctrinarum igitur judicium, utrum obedientiæ civili repugnent necne, et siquidem repugnent, potestatem prohibendi ne doceantur, imperio civili hic attribuo. Nam cum nemo sit, qui earum rerum, quæ ad pacem et defensionem civitatis pertinent, judicium civitati non concedat, et manifestum sit opiniones, quales jam recitavi, pertinere ad pacem civitatis, sequitur necessario opinionum examen, an tales sint nec ne, ad civitatem, id est, ad eum penes quem est summum civitatis imperium, referri oportere.

SECT. III. 12. Postremo, ex eo quod civium unusquisque
 6. voluntatem suam voluntati ejus subjecit, qui sum-

Quicquid is fecerit, impune esse.

mmum in civitate imperium habet, ita ut viribus propriis contra eum uti non possit; sequitur manifeste, impune debere esse, quicquid ab eo factum erit. Nam ut punire naturaliter eum nemo potest, qui satis virium non habet; ita neque jure punire, qui satis virium non habet.

Eidem a civibus imperium absolutum concessum esse; quantaque ei debeat obedientia.

13. Ex his quæ dicta jam sunt, manifestissimum est, in omni civitate perfecta (hoc est, ubi nulli civium *jus* est viribus suis ad propriam conservationem suo arbitrio utendi, sive ubi *gladii privati jus* excluditur) esse summum in aliquo imperium, quo majus ab hominibus jure conferri non potest, sive quo majus nemo mortalium habere potest in seipsum. Imperium autem quo majus ab hominibus in hominem transferri non potest, vocamus ABSOLUTUM.* Quicumque enim voluntatem suam

* *Absolutum.*] Imperium absolutum status popularis aperte sibi postulat, nec repugnant cives. Nam in conventu multorum hominum civitatis faciem agnoscunt, et consilio res geri intelligunt etiam imperiti. Civitas tamen non minus est monarchia, quam democratia, habentque reges absoluti consiliarios suos, a quibus moneri et imperia sua in rebus omnibus majoris momenti expendi quidem, etsi non revocari, volunt. Sed civitatem in persona regis contineri, minus manifestum est plerisque. Itaque contra imperium absolutum objiciunt primo, quod si quisquam tali jure esset, civium conditio misera esset. Sic enim cogitant, rapiet, spoliabit, occidet. Et tantum non jam spoliatum et occisum se quisque putat. Quare autem faceret? non quia potest; nam nisi vult non faciet. An in unius vel paucorum gratiam cæteros omnes spoliare vult? Primo etsi jure, id est, sine injuria sibi illata, non tamen juste, id est, sine violatione legum naturalium et injuria in Deum faciet. Itaque a jurejurando principium securitas subditis oritur nonnulla. Deinde si juste id facere posset, vel si jurejurandum nihili penderet, ratio quare spoliare cives suos vellet, cum id sibi bonum non sit, nulla apparet. Quin princeps aliquando

ita voluntati civitatis subjecit, ut quidlibet possit *impune facere, leges condere, lites judicare, pœnas sumere, viribus et opibus* omnium suo arbitrio uti, atque hæc omnia jure; sane imperium ei maximum quod concedi potest, concessit. Idem experientia per omnes civitates, quæ sunt vel fuerunt unquam, confirmari potest. Quamquam enim quandoque dubitetur *quis homo, vel quod concilium*, summum in civitate imperium habeat, existit tamen semper et exercetur tale imperium, nisi tempore seditionis et belli civilis, et tunc duo fiunt *summa imperia* ex uno. Seditiosi vero, qui contra absolutam potentiam disserere solent, non tam tollere eam, quam in alios transferre satagunt. Sublata enim hac potentia, una tollitur civitas, et redit confusio omnium rerum. Cum jure absoluto summi imperantis tanta con-

SECT. III.
6.

Eidem a civibus
imperium abso-
lutum, etc.

inique faciendi animum habere possit, negandum non est. Sed fac te dedisse ei imperium non absolutum, sed quantum ad te ipsum ab injuriis aliorum defendendum satis sit, quod ut des, si salvus esse vis, necesse est; nonne eadem omnia sunt timenda? Nam qui satis habet virium ad omnes protegendos, satis quoque habet ad omnes opprimendos. Nihil ergo hic duri est, præter quam quod res humanæ sine incommodo aliquo esse non possunt. Atque hoc ipsum incommodum a civibus, non ab imperio est. Nam si homines propriis singulorum imperiis regere se possent, hoc est, vivere secundum leges naturales, opus omnino civitate non esset, neque communi imperio coerceri.

Objiciunt secundo, imperium in orbe Christiano absolutum nullum esse. Quod certe non est verum; nam omnes monarchiæ, omnesque alii status civitatum tales sunt. Quamquam enim illi, qui summum imperium habent, non omnia faciunt quæ vellent, et quæ civitati utilia esse sciunt, causa ejus rei non est defectus juris, sed consideratio civium, qui privati rei attentis, et earum rerum quæ ad publicum spectant ignari, ad officium quandoque sine periculo civitatis cogi non possunt. Itaque principes ab exercitio juris sui abstinere aliquando, prudenterque de re aliquid, de jure autem nihil remittunt.

SECT. III. nectitur civium obedientia, quanta ad civitatis regimen necessario requiritur, id est, tanta ut jus illud frustra non sit concessum.

6.
Eidem a civibus imperium absolutum, etc.

nectitur civium obedientia, quanta ad civitatis regimen necessario requiritur, id est, tanta ut jus illud frustra non sit concessum. Hujusmodi autem obedientiam, licet ea aliquibus de causis aliquando negari jure possit, quia tamen præstari major non potest, SIMPLICEM vocabimus. Nascitur autem ad eam præstandam obligatio non immediate ex eo pacto, in quo jus nostrum omne ad civitatem translulimus; sed mediate, nempe ex eo quod sine obedientia jus imperii frustra esset, et per consequens omnino constituta civitas non fuisset. Aliud enim est si dico, *jus tibi do quidlibet imperandi*; aliud si dico, *faciam quicquid imperabis*. Potestque tale esse mandatum, ut interfici malim quam facere. Siquidem ergo teneri nemo potest ut velit interfici, multo minus tenetur ad id quod morte est gravius. Si jubear ergo interficere meipsum, non teneor: nam etsi negavero, nec jus imperii frustra est, cum alii haberi possint, qui id facere jussi non recusabunt, neque id recuso quod facere pactus sum. Similiter si is, qui summum habet imperium, se ipsum, imperantem dico, interficere alicui imperet, non tenetur: quia intelligi non potest, ut id pactus fuerit. Neque parentem, sive is innocens, sive nocens sit, et jure condemnatus; cum et alii sint qui id facere jussi volent, et filius mori quam vivere infamis atque exosus malit. Multi alii casus sunt, in quibus, cum mandata aliis quidem factu inhonesta sunt, aliis autem non sunt, obedientia ab his præstari, ab illis negari jure potest: atque id salvo jure, quod imperanti concessum est absolutum. Nam illi in nullo casu eos, qui obedientiam negabunt, interficiendi jus adimitur. Cæterum qui sic interficiunt, etsi jure concesso ab eo qui habet,

tamen eo jure aliter atque recta ratio postulat utentes, peccant contra leges naturales, id est contra Deum. SECT. III.
6.

14. Neque sibi dare aliquid quisquam potest, quia jam habere supponitur quod dare sibi potest; neque sibi obligari: nam cum idem esset *obligatus* et *obligans*, obligans autem obligatum possit liberare, frustra esset sibi obligari, quia liberare seipsum potest arbitrato suo; et qui hoc potest, jam actu liber est. Ex quo constat, *legibus civilibus* non teneri ipsam civitatem: nam leges civiles sunt leges civitatis; quibus si obligaretur, ipsa obligaretur sibi. Neque obligari potest civitas civi: quoniam enim hic illam, si voluerit, potest obligatione liberare, et vult, quoties ipsa vult, (quia civis cujusque voluntas in omnibus rebus comprehenditur in voluntate civitatis), libera est civitas quando vult, hoc est, actu jam libera est. *Concilii* autem sive *hominis*, cui *summum imperium* commissum est, voluntas est voluntas civitatis; complectitur ergo voluntates singulorum civium: neque igitur tenetur is, cui *summum imperium* commissum est, *legibus civilibus*, hoc enim est obligari sibi; neque cuiquam civium.

15. Quoniam autem, ut supra ostensum est, ante constitutionem civitatis *omnia omnium* sunt, neque est quod quis ita *suum* esse dicat, quod non alius quilibet idem eodem jure vendicet pro *suo*; ubi enim *omnia communia* sunt, nihil cuiquam *proprium* esse potest; sequitur *proprietatem* initium sumpsisse * cum ipsis civitatibus, atque esse id

* *Proprietatem initium sumpsisse cum civitatibus, &c.*] Quod ab aliquibus objectum est, bonorum proprietatem etiam ante constitutas civitates in patribus familiarum exstitisse, id, quoniam fami-

SECT. III. cuique *proprium*, quod sibi retinere potest per leges, et potentiam totius civitatis, hoc est, per eum, cui ^{6.} *summum* ejus *imperium* delatum est. Ex quo intelligitur, singulos cives *suum* sibi *proprium* habere, in quod nemo concivium suorum jus habet, quia iisdem legibus tenentur; non autem *proprium* ita habere quicquam, in quod non habeat jus ille, qui habet *imperium summum*, cujus mandata sunt ipsæ leges, cujus voluntate voluntas singulorum continetur, et qui a singulis constituitur iudex supremus. Quamquam autem multa sint, quæ civitas civibus permittit, ideoque aliquando contra habentem *summum imperium* lege agi possit: actio tamen ea non est *juris civilis*, sed *æquitatis naturalis*; neque agitur de eo * quod jure *possit* is, qui *summum imperium* habet, sed de eo quod *voluit*; ideoque ipse erit iudex, tanquam si cognita æquitate non posset inique judicare.

Nemini proprium esse quicquam contra illum, qui habet summum imperium.

liam civitatem parvam esse dixeram, frustra objectum est. Nam filii familias proprietatem rerum suarum a patre concessam habent, distinctam quidem a cæteris filiis ejusdem familiæ, sed non a proprietate ipsius patris. Patres vero diversarum familiarum, qui nec patri nec domino communi subjiciuntur, jus commune in omnia habent.

* *Neque agitur de eo quod jure possit, &c.*] Quoties actio legis civi contra summum imperantem, id est, contra civitatem conceditur; ea actione non quæritur, an civitas rem, de qua agitur, possidere jure possit, sed an legibus ante latis eam possidere voluerit. Est enim lex summi imperantis voluntas declarata. Cum itaque pecuniam duobus nominibus civitas a cive petere possit, nimirum ut tributum, vel ut debitum, in priore casu actio legis non conceditur; nam quæri non potest, an civitas tributi exigendi jus habeat: in secundo conceditur, propterea quod nihil vult auferre civitas a cive per calliditatem; et tamen, si opus est, omnia aperte. Itaque quod reprehendit quidam hunc locum, dicens facile, ex hac doctrina esse principibus ære alieno se liberare, inepte reprehendit.

16. *Furtum, homicidium, adulterium, atque injuriæ* omnes legibus naturæ prohibentur: cæterum quid in cive *furtum*, quid *homicidium*, quid *adulterium*, quid denique *injuria* appellandum sit, id non *naturali*, sed *civili lege* determinandum est. Non enim omnis ablatio rei, quam alter possidet, sed rei *alienæ* tantum, *furtum* est; quid autem *nostrum* est, quid *alienum*, *legis civilis* quæstio est. Similiter non omnis occisio hominis *homicidium* est, sed ejus tantum quem occidere vetat *lex civilis*; neque omnis concubitus *adulterium* est, sed is tantum quem *leges civiles* prohibent. Denique promissi violatio *injuria* est, ubi ipsum promissum licitum est; ubi vero *jus* non est paciscendi, ibi nullum *jus* transit; ideoque nulla sequitur *injuria*, ut dictum est capite II. artic. 17. Quæ autem pacisci possumus, et quæ non possumus, a *legi civili* pendet. Recte igitur sanxit civitas Lacedæmoniorum impune fore adolescentibus, si quasdam res ita aliis auferrent, ut non deprehenderentur; nihil enim aliud erat, quam legem facere, ut *suum*, non *alienum* esset, quod sic acquireretur. Recte item ubique occiditur, quem bello vel necessitate propriæ defensionis occidimus. Similiter, qui concubitus in una civitate *matrimonium* est, in alia *adulterium* judicabitur, et e converso. Item ea pacta, quæ faciunt *matrimonium* in uno cive, non idem faciunt in alio, quamquam ejusdem civitatis; propterea quod qui prohibetur a civitate, hoc est, ab eo vel *homine* vel *concilio* cujus est summum in civitate imperium, quidpiam pacisci, non habet jus paciscendi; neque ergo pactum ejus validum est; non sit ergo *matrimonium*. Ejus autem pactum, qui minime prohibebatur, ideo validum est,

SECT. III.

6.

Quid sit furtum, homicidium, adulterium, injuria, cognosci ex legibus civilibus.

SECT. III. ^{6.} *et matrimonium.* Neque addit quibuscunque pactis illicitis validitatem ullam, quod facta fuerint cum jurejurando,* aut sacramento : nihil enim addunt hæc pactorum firmitati, ut dictum supra est cap. II. articulo 22. Quid igitur *furtum*, quid *homicidium*, quid *adulterium*, et in universum quid sit *injuria*, cognoscitur ex *lege civili*, hoc est, ex mandatis ejus qui in civitate cum *summo imperio* est.

Opinio eorum qui civitatem constituere velent, ubi non esset quisquam cum potentia absoluta.

17. Adeo durum maximæ parti hominum videtur esse *summum hoc imperium* et *potentia* absoluta, ut ipsa etiam nomina oderint. Id quod accidit maxime per incitiam *humanæ naturæ* et *legum naturalium* ; partim autem etiam per eorum culpam, qui cum in tali imperio constituti sint, potestate sua ad propriam libidinem abutuntur. Ut fugiant igitur hujusmodi *summam potestatem*, quidam eorum civitatem satis recte constitutam volunt, si illi, qui cives futuri sunt, coeuntes, de certis arti-

* *Quod facta sunt cum jurejurando, aut sacramento, etc.]*
Utrum matrimonium sacramentum sit, quo sensu ea vox a theologis usurpatur, an non sit, non est hujus instituti disputare. Tantum dico, viri et mulieris ad cohabitationem contractum legitimum, id est, lege civili concessum, sive sacramentum idem sit, sive non sit, certe esse matrimonium legitimum : cohabitationem autem qualem aut inter quos civitas fieri prohibet, matrimonium non esse, cum sit de essentia matrimonii, ut sit contractus legitimus. Matrimonia fuerunt legitima permultis in locis, ut apud Judæos, Græcos, Romanos, quæ tamen solvi poterant. Apud eos autem qui non permittunt hujusmodi contractus, nisi ea lege ut nunquam dissolvantur, matrimonium solvi quidem non potest ; et ratio est, quod civitas illud solubile fieri vetuit, non quod matrimonium sit sacramentum. Itaque circa matrimonium, nuptiarum ceremonias, quæ in templo peragendæ sunt, peragere, conjugibus benedicere, vel, si ita dicendum est, eos consecrare, ad ecclesiasticos fortasse solos pertinebit ; cætera omnia, nempe qui, quando, quibus pactis matrimonia fiant, penes leges civitatis sunt.

culis propositis et in cœtu agitatis probatisque consentiant, jubeantque eos observari, pœnasque præscriptas de iis sumendas esse, qui eos violaverint. Ad quam rem, atque etiam ad propulsationem externorum hostium, præscribunt reditum certum et limitatum, ea lege, ut si non sufficiat, redeundum sit ad novam cœtus conventionem. Quis non videt in civitate sic constituta, cœtum illum, qui hæc præscripsit, habuisse *potestatem absolutam*? Si manet igitur *cœtus*, vel de tempore in tempus ad certum diem et locum conventus celebrat, erit perpetua *potentia* illa. Sin penitus se dissolvant, vel una dissolvitur civitas, atque ita revertuntur ad *statum belli*, vel relinquitur alicubi potestas puniendi eos qui leges transgredientur, quicumque demum et quotcunque illi fuerint; quod fieri non potest sine *potestate absoluta*. Nam qui *jure* tantum sibi concessum virium habet, ut possit quotlibet cives pœnis coercere, habet potentiam tantam ut a civibus major contribui non possit.

18. Manifestum est igitur, esse in omni civitate aliquem *hominem unum*, vel *concilium* sive *curiam unam*, quæ potentiam in cives singulos jure habet tantam, quantam extra civitatem unusquisque habet in seipsum; id est, *summam* sive *absolutam*, viribus civitatis, neque ulla alia re limitandam. Si enim potestas ejus limitaretur, necesse est, ut id fiat a majori potestate: oportet enim eum, qui limites præscribit, majorem potentiam habere, quam is qui limitibus cohibetur. Potentia itaque illa cohibens, vel sine limite est, vel iterum cohibetur ab alia majori; et sic tandem devenietur ad potestatem sine alio limite præter eum, qui terminus ultimus est virium civium simul omnium. Eadem dicitur quo-

SECT. III.

6.

Note imperii
summi.

SECT. III. 6. que *imperium summum*; et siquidem concilio id commissum sit, vocatur illud *concilium supremum*; si vero homini uni datum sit, vocatur ille homo *supremus civitatis Dominus*. *Imperii autem summi* notæ sunt hæ; *leges condere et abrogare; bellum et pacem decernere; controversias omnes per se, vel per judices a se constitutos, cognoscere et dijudicare; magistratus, ministros, consiliarios omnes eligere*. Denique si quis sit, qui unamquamcunque actionem jure agere potest, quæ nulli civi, neque civibus, præterquam ipsi soli licita est, is *summum imperium* in civitate obtinet: nam ea, quæ fieri neque a cive ullo, neque a pluribus civibus jure possunt, civitas sola potest facere. Is igitur, qui ea facit, jure utitur civitatis, quod est *imperium summum*.

Si conferatur civitas cum homine, is, qui habet summum imperium, est ad civitatem in ea ratione, in qua est anima humana ad ipsum hominem. Per cap. vi. art. 1.

19. Qui civitatem et cives cum homine et membris ejus comparare solent, dicunt pene omnes eum, qui *summum imperium* obtinet in civitate, esse ad civitatem totam id, quod caput est ad totum hominem. Cæterum ex ante dictis apparet, eum qui tali imperio præditus est, sive *homo* sit sive *curia*, habere ad civitatem rationem non capitis, sed animæ. Nam anima est, per quam homo habet voluntatem, hoc est, potest velle et nolle: ita per eum, qui *summum* habet *imperium*, et non aliter, voluntatem habet, et potest velle et nolle civitas. Cum capite conferendus potius est cœtus consiliariorum, sive consiliarius unus, cujus solius consilio, si alicujus solius, is qui habet *summum imperium* in regenda civitate, in rebus maximi momenti utitur. Capitis enim officium consulere est, sicut animæ imperare.

20. Siquidem *imperium summum* vi pactorum,

quæ cives sive subditi inter se singuli cum singulis mutuo ineunt, constitutum sit; pacta autem omnia, ut a voluntate contrahentium vim suam sortiuntur, ita consensu eorundem vim suam perdant et dissolvantur; inferet forte aliquis, *summum imperium* consensu omnium simul subditorum posse tolli. Quod etsi verum esset, non video tamen quid periculi inde *summis imperantibus* oriri *jure* posset. Quoniam enim supponitur unumquemque unicuique se obligasse, si quilibet unus civium id fieri nolit, cæteri omnes, utcunque consenserint, tenebuntur. Nec potest quisquam eorum sine *injuria* facere, quod pacto mecum inito non facere se obligavit. Non est autem putandum accidere unquam, ut omnes simul cives, ne uno quidem excepto, contra *summum imperium* consentiant. Non ergo periculum est *summis imperantibus*, ne *jure* possint autoritate sua spoliari. Si tamen concederetur, jus eorum dependere a solo pacto, quod unusquisque init cum unoquoque suo concive, facile accidere posset, ut imperio spoliarentur prætextu *juris*. Subditis enim sive convocatis imperio civitatis, sive seditiose concurrentibus, plurimi arbitrantur consensum omnium contineri in consensu majoris partis. Quod quidem falsum est. Non enim a natura est, quod consensus majoris partis habeatur pro consensu omnium, neque verum est in tumultibus; sed procedit ab institutione civili, et verum est tunc tantum, quando is *homo* vel *curia illa*, quæ *summum* habet *imperium*, cives convocans, propter numerum magnum electis esse vult potestatem loquendi pro eligentibus, et loquentium majorem partem circa eas res, quæ ab eo discutiendæ proponuntur, haberi pro omnibus. Non autem intelli-

SECT. III.

6.

Summum imperium non posse jure dissolvi consensu eorum, quorum pactis est constitutum.

SECT. III. **gitur is, qui habet *summum imperium*, convocasse**

6.

Summum impe-
rium non posse
jure dissolvi, etc.

cives ad disputandum de ipsius jure, nisi, pertæsus rerum, disertis verbis imperium abjiciat. Quoniam autem plurimi, per inscitiam, pro consensu civitatis habent non modo consensum majoris partis civium, sed etiam valde paucorum, si secum sentiant, posset iis videri *imperium summum* jure abrogari, modo id fiat in magno aliquo conventu civium per suffragia majoris numeri. Sed quamquam imperium per pacta singulorum cum singulis constituatur, non tamen ab ea sola obligatione dependet imperii jus. Accedit obligatio erga habentem imperium. Civis enim unusquisque cum unoquoque paciscens, sic dicit, *ergo jus meum transfero in hunc, ut tu tuum transferas in eundem*. Unde jus, quod unusquisque habebat utendi viribus suis ad proprium beneficium, totum translatum est in aliquem hominem vel concilium ad beneficium commune. Itaque intercedentibus pactis, quibus singulis singuli obligantur, et juris donatione, quam ratam habere obligantur imperanti, duplici obligatione civium munitur imperium, ea quæ est ad concives, et ea quæ est ad imperantem. Non ergo cives, quocumque fuerint, sine consensu etiam ipsius imperantis, eum spoliare imperio jure possunt.

CAPUT VII.

DE TRIBUS CIVITATUM SPECIEBUS, DEMOCRATIA,
ARISTOCRATIA, MONARCHIA.

1. Civitatis tres esse tantum species: democratiam, aristocratiam, monarchiam. 2. Oligarchiam non esse statum civitatis diversum ab aristocratiâ, neque anarchiam esse statum omnino. 3. Tyrannidem non esse statum civitatis diversum a legitima monarchia. 4. Non dari statum civitatis mixtum ex speciebus dictis. 5. Democratiam, nisi certa tempora et loca conveniendi constituentur, dissolvi. 6. In democratia, temporum conveniendi intervalla oportet esse parva, vel summi imperii usum pro intervallis uni alicui esse concedendum. 7. In democratia singuli cum singulis obedituros se populo paciscuntur, populus ipse nemini obligatur. 8. Aristocratiâ quibus actibus constituta. 9. In aristocratiâ, optimates nihil paciscuntur, neque civi cuiquam, aut toti populo obligantur. 10. Optimatibus necessaria est conditio conventuum. 11. Monarchia quibus actibus constituta. 12. Monarchia nemini ob receptum imperium pactis obligatur. 13. Monarchia semper in potentia proxima est ad exercendum omnes actus, qui ad imperium requiruntur. 14. Quid genus peccati et quorum hominum sit, quando civitas adversus cives, vel cives adversus civitatem officio suo non funguntur. 15. Monarcha factus sine temporis limitatione, potest successorem suum eligere. 16. De monarchis ad tempus. 17. Monarcha, retento jure imperii, non intelligitur ullo promisso transtulisse jus in media ad imperium necessaria. 18. Quibus modis civis subjectione liberatur.

1. DICTUM jam est de civitate *per institutionem* in genere. Dicendum est de ejus speciebus. Differentia autem civitatum sumitur a differentia personarum, quibus commissum est *summum imperium*. Committitur autem *summum imperium*, vel *uni homini*, vel *concilio sive curiæ uni* multorum hominum. Rursus *concilium multorum hominum*, vel est omnium civium, ita ut quilibet eorum jus habeat

SECT. III.

7.

Civitatis tres tantum esse species: democratiam, aristocratiam, monarchiam.

SECT. III. 7. suffragii, possitque interesse rebus discutiendis, si voluerit; vel partis tantum est. Unde tres nascuntur civitatis species; una ubi *summum imperium* est penes *concilium*, in quo quilibet civis jus habet suffragii, et vocatur DEMOCRATIA; altera, ubi *summum imperium* penes *concilium* est, in quo non omnes, sed certa aliqua pars suffragium habet, et dicitur ARISTOCRATIA; tertia, ubi *summum imperium* penes *unum* est, et appellatur MONARCHIA. In prima, is, qui rerum potitur, Δῆμος, POPULUS; in secunda, OPTIMATES; in tertia, MONARCHA nominatur.

Oligarchiam non esse statum civitatis diversum ab aristocratiâ, neque anarchiam esse statum omnino.

2. Quod autem introduxerunt antiqui rerum politicarum scriptores tres alias species his oppositas, nempe *democratia anarchiam*, sive confusionem; *aristocratia oligarchiam*, hoc est, imperium paucorum; *monarchia tyrannidem*; non sunt illæ tres aliæ species civitatis, sed tria nomina diversa, quæ illis indidere ii, quibus vel regimen, vel regentes displicuerunt. Solent enim homines per nomina, non res tantum, sed et proprios *affectus*, puta *amorem, odium, iram*, etc. una significare; ex quo fit, ut quod ab altero *democratia*, idem ab altero *anarchia*; quod his *aristocratia*, illis *oligarchia* soleat nominari; et quem alius *regem*, alius *tyrannum* esse dictitet. Ita ut his nominibus non designentur *diversæ species* civitatis, sed civium *diversæ sententiæ* de imperante. Primum autem, quis non videt *anarchiam* opponi æque omnibus dictis speciebus? Significat enim ea vox, nullum omnino regimen esse, hoc est, ne civitatem quidem esse. Quomodo autem fieri potest, ut *non-civitas* sit *civitatis* species? Deinde, quæ differentia est inter *oligarchiam*, qua significatur imperium *pau-*

corum, vel *magnatum*, et *aristocratiam*, quæ est imperium *optimatum* sive *meliorum*, præterquam quod homines inter se ita differunt, ut non eadem omnibus bona sint; quo fit ut qui aliis *optimi*, aliis *pessimi* videantur?

3. Quod autem *regnum* et *tyrannis* non sint diversæ species civitatis, haud facile persuadebitur propter affectus hominum, qui etsi civitatem *uni* subjectam esse mallent quam *pluribus*, non tamen recte eam gubernari putant, nisi gubernetur ad arbitrium suum. Sed quid differat *rex* a *tyranno*, ratione investigandum est, non affectu. Primum autem non in eo differunt, quod major sit potentia hujus quam illius; quia summo imperio majus dari non potest: neque quod alter potentiam habeat præscriptam, alter non; cujus enim potentia præscripta est, non est *rex*, sed *subditus præscribentis*. Deinde neque modo acquirendi differunt; si quidem enim in civitate *democratica*, vel *aristocratica*, *summum imperium* civis aliquis vi occuparet, habito civium consensu, legitimus sit *monarcha*; eo consensu non habito, *hostis* est, non *tyrannus*. Differunt ergo solo imperii exercitio, ut *rex* sit qui recte regit, *tyrannus* qui aliter. Huc igitur res redit, ut cives *regem* legitime in *summo imperio* constitutum, si imperium ipsis recte videbitur exercere, tum *regem*; aliter *tyrannum* appellandum censeant. Non sunt igitur diversi civitatis status *regnum* et *tyrannis*, sed eidem *monarchæ* nomen *regis* pro honore, *tyranni* pro convicio datur. Quæ autem passim contra *tyrannos* dicta in libris reperiuntur, originem a Græcis et Romanis scriptoribus traxerunt, qui partim a *populo*, partim ab *optimatibus* regebantur, ideoque non modo *tyrannos* sed etiam *reges* exosi sint.

Tyrannidem non esse statum civitatis diversam a legitima monarchia.

SECT. III.

7.

Non dari statum civitatis mixtum ex speciebus dictis.

4. Sunt qui necessarium quidem esse putant, ut *summum imperium* alicubi in civitate existat; sed si illud penes *unum* esset, sive *hominem* sive *concilium*, sequeretur, inquit, cives omnes esse servos. Hanc conditionem fugientes, posse esse statum quendam civitatis arbitrantur, mixtum ex dictis tribus speciebus, diversum tamen a singulis, quam *mixtam* vocant *monarchiam*, vel *mixtam aristocratiam*, vel *mixtam democratiam*, prout aliqua trium specierum præ cæteris emineat. Exempli causa, si nominatio magistratuum, et arbitrium belli et pacis, penes *regem* esset, judicia apud *magnates*, pecuniarum contributio penes *populum*, et legum ferendarum potentia penes *omnes* simul; hujusmodi statum vocarent *monarchiam mixtam*. Quod si fieri posset, ut hujusmodi status existeret, nihilo magis civium libertati consultum esset. Quamdiu enim omnes consentiunt inter se, subjectione singulorum civium tanta est, ut major esse non possit; sed si dissentiant, bellum civile reducitur, et jus *gladii privati*, quod est omni subjectione pejus. Sed fieri hujusmodi imperii summi * divisionem non posse, satis demonstratum est capite præcedente, articulis 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12.

* *Sed fieri hujusmodi summi imperii divisionem non posse, &c.*] Imperium dividi non oportere, plerique dicunt; sed temperari, et limite aliquo contineri volunt. Ita sane æquum est. Sed illi tum cum temperari et limitari dicunt, si dividi intelligunt, inepte distinguunt. Vellem quidem ego non modo reges, sed etiam cœtus illos, qui sunt cum imperio summo, velle temperare sibi a maleficio, cogitantesque de officiis suis intra legum naturalium et divinarum limites se ipsos continere. At illi, qui sic distinguunt, summos imperantes ab aliis limitari et coerceri volunt: quod quia fieri non potest, quin illi limitatores potestatis partem aliquam, qua id facere possint, habere debeant, dividitur imperium, non temperatur.

5. Videamus jam in unaquaque civitatis specie constituenda, quid faciant constituentes. Qui coierunt ad civitatem erigendam, pene eo ipso quod coierunt, *democratia* sunt. Nam ex eo quod volentes convenerunt, intelliguntur obligati ad id quod consensu majoris partis decerneretur. Id quod quamdiu conventus durat, vel in certos dies et loca differtur, *democratia* est. Nam conventus is, cujus voluntas est voluntas omnium civium, *summum imperium* habet. Et quia in conventu hoc, supponitur unumquemque habere jus suffragii; sequitur eam esse *democratiam*, per definitionem traditam articulo 1, capituli hujus. Quod si discedant, solvaturque conventus, neque quicquam ante constitutum sit de tempore et loco se denuo congregandi, redit res ad *anarchiam*, et statum illum, in quo erat antequam convenissent, hoc est, ad statum belli omnium contra omnes. *Populus* igitur *summum imperium* non amplius retinet, quam dies et locus certus cognitus et constitutus palam sit, ad quem convenire quicumque volent possint. Nisi enim id cognitum et statutum sit, possunt vel diversis temporibus et locis, hoc est, in factiones, vel non omnino convenire. Neque est amplius $\Delta\eta\mu\omicron\varsigma$, id est, *populus*, sed multitudo dissoluta, cui nulla neque *actio* neque *jus* attribui potest. Duæ igitur res constituunt *democratiam*, quarum una, nempe conditio perpetua conventuum, $\Delta\eta\mu\omicron\nu$, altera, quæ est pluralitas suffragiorum, τὸ κράτος sive potestatem constituit.

6. Præterea, non sufficit *populo* ad *summum imperium* retinendum, ut tempora et loca certa conveniendi cognita sint, nisi etiam vel temporum intervalla minus inter se distent quam ut interea

SECT. III.

7.

Democratiam, nisi certa tempora et loca conveniendi constituentur, dissolvi.

In democratia, temporum conveniendi intervalla oportet esse parva, vel summi imperii usum

SECT. III. quicquam possit intervenire, quo, propter defectum
 7. *summi imperii*, civitas in discrimen adducatur, vel
 pro intervallis saltem usum summi imperii alicui homini uni, vel
 uni alicui esse concilio uni pro tempore intermedio concedant.
 concedendum. Hoc enim nisi fiat, non satis cautum est defensionem
 et paci singulorum; neque igitur civitas dicenda
 erit; quippe in qua, propter defectum securitatis,
 redit unicuique jus se ipsum proprio arbitratu
 defendendi.

In democratia
 singuli cum sin-
 gulis obedituros
 se populo pacis-
 cuntur; populus
 ipse nemini ob-
 ligatur.

7. *Democratia* non constituitur per acta singu-
 lorum cum populo, sed mutuis pactis singulorum
 cum singulis cæteris. Primum autem, ex eo patet,
 quod prius debent in omni pacto existere personæ
 paciscentes, quam ipsum pactum; sed ante consti-
 tutionem civitatis, *populus* non existit, ut quæ non
 erat persona aliqua, sed multitudo personarum
 singularium: non potuit igitur inter *populum* et
civem pactum ullum intercedere. Postquam autem
 civitas constituta est, si civis cum populo pacisci-
 tur, frustra est: quia *populus* voluntate sua volun-
 tatem *civis* illius, cui supponitur obligari, complec-
 titur, ideoque liberare se potest arbitrio suo; et
 per consequens, jam actu liber est. Secundum
 autem, quod singuli cum singulis paciscuntur, ex
 eo inferri potest, quod frustra esset constituta civi-
 tas, si cives nullis obstringerentur pactis ad facien-
 da omittendaque ea, quæ civitas facere et omittere
 imperaret. Quoniam ergo pacta talia intercedere
 in civitate constituenda intelliguntur ut necessaria,
 nulla autem, ut jam ostensum est, intercedant inter
civem et *populum*; sequitur fieri ea inter cives
 singulos: scilicet ut unusquisque civium paciscatur
 voluntatem suam se subjecturum esse voluntati ma-
 joris partis, ea lege, ut reliqui quoque idem faciant;

tanquam si unusquisque sic diceret, *ego jus meum ad populum transfero, in tuam gratiam; ut tu tuum, in gratiam meam, transferas ad eundem.* SECT. III.
7.

8. *Aristocratia*, sive *curia optimatum cum summo imperio*, originem habet a *democratia*, quæ jus suum in illam transfert. Ubi intelligendum est, certos homines, nominibus, vel genere, vel aliqua alia nota ab aliis dignoscendos, proponi ad *populum*, et pluralitate suffragiorum eligi; in electos autem transferri jus omne totius *populi* sive civitatis, ita ut quod jure *populus* prius poterat, id nunc jure possit *curia* electorum *optimatum*. Quo facto patet populum ut personam unam, *summo imperio* ad hos translato, non amplius exsistere. Aristocratia quibus actibus constituta.

9. Sicut in *democratia* *populus*, ita in *aristocratia* *curia optimatum* omni obligatione libera est. Quoniam enim cives, non paciscentes cum populo, sed mutuis inter se pactis, tenebantur ad omnia quæ *populus* faceret, tenebantur inde ad factum *populi* transferentis jus civitatis in *optimates*. Neque enim *curia optimatum* potuit, quamquam electa a populo, ad quicquam ab eo obligari; nam ea erecta, *populus* simul dissolvitur, ut proxime supra dictum est, peritque ratio illa quam habebat ut *persona*: quare perit quoque una et dissolvitur quæ facta erat ad *personam* obligatio. In aristocratia, optimates nihil paciscuntur; neque civi cuiquam aut toti populo obligantur.

10. Hæc quoque cum *democratia* communia habet *aristocratia*; primum, quod sine constitutione certorum temporum et locorum, ad quæ *curia optimatum* possit convenire, non amplius sit *curia*, neque *persona una*, sed dissoluta multitudo sine summo imperio: secundum, quod tempora conventuum longis intervallis, salvo summo imperio, nisi usus ejus in unum aliquem hominem transfe-

SECT. III. ratur, non possint disjungi. Rationes autem, quare hoc contingit, eadem sunt quas adduximus articulo quinto.

7.
Monarchia quibus actibus constituta.

11. Ut *aristocratia*, ita quoque *monarchia* a potestate *populi* derivatur, scilicet *jus* suum, hoc est, *summum imperium* in *unum hominem* transferentis. Hic quoque intelligendum est, *unum* certum *hominem*, nomine vel alia nota a cæteris omnibus dignoscendum, proponi, atque in eum *jus* omne *populi* pluralitate suffragiorum transferri; ita ut quicquid potuerat *populus* antequam eligeretur, id omne postea jure possit facere electus. Quod cum factum est, *populus* non amplius est *persona una*, sed dissoluta multitudo, quippe quæ una erat virtute tantum *summi imperii*, quod jam a se in hunc transtulerunt.

Monarcha nemini ob receptum imperium pactis obligatur.

12. Neque ergo *monarcha* ullis se pactis cuiquam ob receptum imperium obstringit: recipit enim imperium a *populo*, sed ut proxime supra ostensum est, *populus*, statim atque id factum est, *persona*, esse desinit; pereunte autem *persona*, perit omnis ad *personam* obligatio. Tenentur itaque cives ad obedientiam *monarchæ* præstandam, pactis illis tantum, quibus mutuo se obligaverant ad ea omnia, quæ *populus* censeret, facienda, hoc est, ad obediendum *monarchæ*, si a *populo* constitueretur.

Monarcha semper in potentia proxima est ad exercendum omnes actus, qui ad imperium requiruntur.

13. Differt autem *monarchia* tum a *aristocratia*, tum a *democratia* in hoc, quod hic ut deliberari et decerni, hoc est, ut imperium actu exerceri possit, temporibus quibusdam et locis condictis opus est; illic omni tempore et loco deliberatur et decernitur. *Populo* enim, ut et *optimatibus*, quia non sunt *unum naturale*, congressu opus est. *Monarcha*,

qui unus natura est, semper in potentia proxima est ad actus imperii exercendos.

14. Quoniam ostensum est supra, (articulis VII. IX. XII.) eos qui *summum* in civitate *imperium* adepti sunt, nullis cuiquam pactis obligari; sequitur eosdem nullam civibus posse *facere injuriam*. *Injuria* enim, per definitionem supra allatam (capite tertio, articulo tertio), nihil aliud est quam pactorum violatio; ideoque ubi nulla pacta præcedunt, ibi nulla sequi potest *injuria*. Potest tamen et *populus*, et *curia optimatum*, et *monarcha* multis modis peccare contra cæteras leges naturales, ut *credulitate*, *iniquitate*, *contumelia*, aliisque vitiis, quæ sub hac stricta et accurata *injuriæ* significatione non veniunt. Cæterum civis, si obedientiam summo imperio non præstiterit, *injurius* et in cæteros concives omnes etiam proprie loquendo dicetur; propterea quod unusquisque cum unoquoque pactus est obedientiam præstare, atque etiam in *summum imperantem*; quod jus, quod ei dederant, sine consensu ejus resumunt. Et in *populo* quidem, vel *curia optimatum*, si quid decretum sit contra *legem aliquam naturalem*, non peccat ipsa civitas, hoc est, persona civilis, sed cives illi, quorum suffragiis decretum est. Peccatum enim sequitur voluntatem naturalem et expressam, non politicam, quæ artificiosa est; quia si hoc esset, peccarent et illi quibus decretum displicuit. In *monarchia* autem, *monarcha* si quid decreverit contra leges naturales, ipse peccat: quia in ipso voluntas civilis eadem est cum naturali.

15. *Populus* qui *monarcham* facturus est, potest ei *summum imperium* tradere, vel simpliciter sine temporis limitatione, vel pro tempore certo et

SECT. III.

7.

Quod genus peccati, et quorum hominum sit, quando civitas adversus cives, vel cives adversus civitatem officio suo non funguntur.

Monarcha factus sine temporis limitatione, potest successorem suum eligere.

SECT. III. ^{7.} *determinato.* Si simpliciter, intelligitur ita esse imperium ejus cui traditur, sicut erat *populi* qui tradidit. Qua igitur ratione *populus jure* monarcham *illum*, eadem ille monarcham *alium* facere potest; ita ut *monarchæ*, cui simpliciter traditum est imperium, competat *jus* non modo *possessionis*, sed etiam *successionis*, ut possit suo arbitrio declarare successorem suum.

De monarchis
ad tempus.

16. Quod si imperium pro tempore *determinato* tantum traditum sit, alia præter ipsam traditionem spectanda sunt. Primum, utrum *populus*, cum in eum imperium contulerit, reliquerit sibi *jus* ad tempora et loca præfinita coeundi, necne. Secundum, si reliquerit sibi potestatem illam, utrum reliquerit sibi potestatem conveniendi antequam tempus illud exspiraret, quod *monarchæ* ad habendum imperium summum præscripserat. Tertium, utrum convocari voluerit ad arbitrium *monarchæ* illius temporarii, et non aliter. Supponamus jam *populum* tradidisse *summum imperium* alicui uni homini, habendum pro tempore tantum vitæ suæ; quod cum fecisset, putemus primo, e coetu unumquemque ita discessisse, ut de loco, ubi post mortem ejus ad novam electionem congregarentur, nihil omnino ordinatum sit. In hoc casu manifestum est, per articulum quintum hujus capituli, *populum* non esse amplius *personam*, sed multitudinem dissolutam, quorum cuilibet cum quibuslibet convenire diverso tempore, et loco quo libuerit, vel imperium sibi rapere si potuerit, æquo jure, nimirum naturali, licitum est. Quicumque igitur *monarcha* tali conditione imperium habet, tenetur *lege naturali*, quæ habetur capite tertio articulo octavo *de non reddendo malo pro bono*, cavere ne per mortem suam

civitas dissolvatur, nimirum vel statuendo diem et locum certum, quo cives, qui voluerint, convenire possint, vel successorem ipse nominando, prout sibi ad civium communem utilitatem conducere videbitur. Is igitur, qui *summam potestatem* pro tempore vitæ accepit, eo modo quo dictum est, absolute eam habet, et potest disponere de successione. Secundo, si ponatur *populus* ab electione *monarchæ temporarii* ita discessisse, ut decretum prius factum sit de conveniendo ad diem et locum certum post mortem ejus; tunc mortuo monarcha, consolidatur imperium in *populo*, nullo novo actu civium, sed jure priore. Toto enim medio tempore, *summum imperium*, ut *dominium*, in *populo* erat; *usus* autem sive *exercitium* ejus tantum in *monarcha temporario*, ut *usufructuario*. Quod si *populus*, electo *monarcha temporario*, ita discesserit e curia, ut tempora et loca certa conveniendi habiturus sit, durante termino illi præscripto; quemadmodum apud populum Romanum facti sunt olim *dictatores*; non habendus est talis pro *monarcha*, sed pro primo populi ministro, potestque *populus*, si videbitur, eum administratione sua privare, etiam ante tempus; ut fecit populus Romanus, qui Minutio Magistro equitum æqualem dedit potestatem cum Quinto Fabio Maximo, quem ante fecerat dictatorem. Ratio cujus rei ea est, quod cogitari non potest eum sive hominem, sive cœtum, qui in potentia proxima et immediata est ad agendum, ita imperium retinere, ut non possit actu imperare. Imperium enim nihil aliud est, quam jus imperandi quoties per naturam possibile est. Postremo, si *populus*, declarato *monarcha temporario*, ita discedat a curia, ut injussu declarati non sit licitum iterum convenire, intelli-

SECT. III.

7.

De monarchis
ad tempus.

SECT. III. ^{7.} tur populus statim dissolvi ; imperiumque ejus esse absolute, qui sic declaratur : propterea quod non est in potestate civium ut civitas renascatur, nisi velit is qui imperium solus habet. Neque refert quod potuerit promittere se cives certis temporibus convocaturum, cum non extet jam, nisi arbitrio ejus, *persona* cui promissum est. Quæ diximus de quatuor prædictis casibus *populi, monarcham temporarium* eligentis, plenius explicabuntur per comparisonem cum *monarcha absoluto*, cui nullus apparet hæres. *Populus enim dominus* civium talis est, ut hæredem, nisi quem nominat ipse, habere non possit. Præterea, intervalla inter tempora conventus civium comparari possunt ad tempora dormiendi in *monarcha*. Utrobique enim *actus* imperandi cessant, *potentia* retinetur. Denique ita dissolvi conventum, ut non possit iterum convenire, mors populi est : sicut ita dormire ut nunquam vigilare possit, mors hominis est. Quemadmodum igitur rex, cui hæres nullus est, dormiturus ita ut nunquam possit expergiscere, hoc est, moriturus, si tradit alicui summum imperium exercendum donec evigilaverit, tradit ei per consequens successionem ; ita quoque *populus*, qui monarcham temporarium eligens simul aufert sibi potestatem conveniendi, tradit ipsi dominium civitatis. Porro, ut rex, qui dormiturus in tempus aliquod, summum imperium alii dat administrandum, idem expergefactus recipit ; sic *populus, monarcha temporario electo*, retinens jus coeundi ad certum diem et locum, eo die recipit imperium suum. Et sicut rex, qui imperium administrandum alii dedit, ipso interea vigilante, potest idem revocare quando vult ; ita populus, qui per tempus *monarchæ temporario*

præscriptum jure convenit, potest eundem imperio, si velit, spoliare. Denique rex, qui imperium administrandum alii tradit dum ipse dormit, nec evigilare potest, nisi is cui traditum est voluerit, una perdidit imperium cum vita; sic *populus*, qui *monarchæ temporario* imperium commisit, ita ut injussu ejus non possit iterum convenire, penitus dissolutus est, manetque imperium penes electum.

17. *Monarcha* si quid *promiserit* civi, vel pluribus simul civibus, propter quod per consequens summum imperium exerceri non potest, *promissum* illud sive *pactum*, jurato vel injurato factum, irritum est. *Pactum* enim est juris translatio, quæ per ea, quæ (capite secundo, articulo 4) dicta sunt, requirit signa idonea voluntatis in transfereute. Qui vero sufficienter significat voluntatem retinendi finem, sufficienter declarat se non decedere de jure ad media ad eum finem necessaria. Jam vero, qui promisit aliquod necessarium ad *summum imperium*, ipsum tamen *imperium* retinet, satis idonea signa dat se non aliter promississe, nisi quatenus *summum imperium* sine eo retineri potest. Quando-cunque igitur apparuerit id, quod promissum est, præstari non posse salvo *summo imperio*, promissum pro non promisso, id est, invalidum censi debet.

18. Vidimus quo modo cives natura dictante obligarunt se mutuis pactis ad obediendum *summo imperio*. Videndum porro est, quibus modis fieri potest, ut obedientiæ hujusmodi vinculis liberentur. Primo autem id fit *abdicatione*, id est, si quis *jus imperii* non in alium transfert, sed abjicit sive derelinquit: nam quod abjicitur, in medium æque omnibus rapiendum projicitur: unde iterum jure

SECT. III.

7.

Monarcha, retento jure imperii, non intelligitur ullo promisso translatiſſe jus in media ad imperium necessaria.

Quibus modis civis subjectione liberatur.

SECT. III. ^{7.} naturali unusquisque civium suæ conservationi suo providere arbitrio potest. Secundo, si civitas venerit in potestatem hostium, ita ut resisti eis non possit, intelligitur is, qui prius *summam* habebat *potestatem*, eam jam amississe. Cives enim, cum omnem conatum fecerint ne in manus hostium venirent, pacta, quæ inierunt singuli cum singulis de obedientia præstanda, adimplerunt. Et quæ promiserint postea victi, necis vitandæ causa, ea quoque ut præsent omni conatu laborandum est. Tertio, in *monarchia*, (nam *δημος* et *curia optimum* deficere non possunt), si successor nullus omnino appareat, omnes cives obligationibus suis liberantur. Nemo enim teneri intelligitur, qui cui tenetur nescit; quia præstatio in tali casu esset impossibilis. Atque his tribus modis a subjectione civili in libertatem omnium ad omnia, hoc est, naturalem et belluinam, (nam status naturæ ad statum civilem, hoc est, libertas ad subjectionem, eam habet proportionem, quam cupiditas ad rationem, vel bellua ad hominem), simul se recipiunt cuncti cives. Præterea vero, singuli cives liberari subjectione jure possunt voluntate ejus, penes quem summum est imperium; nimirum si solum verterint: quod duobus modis accidere potest; vel permissione, ut si quis venia impetrata alio volens habitatum abit; vel jussu, ut *exsul*. Utroque casu liber erit legibus prioris civitatis, propterea quod obstringitur legibus posterioris.

CAPUT VIII.

DE JURE DOMINORUM IN SERVOS.

1. Dominus et servus, quid sint. 2. Distinctio servorum, in eos qui fide habita libertate fruuntur naturali, et ergastulos sive eos qui carcere vel compedibus vincti serviunt. 3. Obligatio servi nascitur ex concessa ei a domino libertate corporis. 4. Servi vincti dominis non tenentur pacto. 5. Servi non habent proprietatem in bonis suis contra dominum. 6. Dominus servum potest vendere, vel testamento alienare. 7. Dominus in servum injurius esse non potest. 8. Dominus domini est dominus servorum. 9. Quibus modis servi liberantur. 10. Dominium in bestias juris naturalis est.

1. DUOBUS capitibus proxime superioribus dictum est de *civitate institutiva*, nempe quæ multorum consensione, qui se invicem pactis et fide mutuo data obstrinxerunt, inita est. Sequuntur jam quæ dicenda sunt de *civitate naturali*, quæ et *acquisita* dici potest, quippe quæ acquiritur potentia et viribus naturalibus. Sciendum autem in primis est, quibus modis jus *dominii* acquiri potest in *personas* hominum. Ubi tale jus acquisitum est, ibi *parvum* quoddam *regnum* est. *Regem* enim esse, nihil aliud est quam *dominium* habere in *personas* multas; atque adeo *familia magna, regnum*; et *regnum parvum, familia* est. Ut redeamus iterum in statum naturalem, consideremusque homines tanquam si essent jamjam subito e terra fungorum more exorti et adulti, sine omni unius ad alterum obligatione; tres tantum modi sunt, quibus alter in alterius personam *dominium* habere potest. Quorum primus est, si volentes, pacis et mutux defensionis causa, in ditionem et *dominium* alicujus hominis vel cætus hominum ipsi sese pactis mutuis inter se

SECT. III.

8.

Dominus et servus, quid sint.

SECT. III. ^{8.} ~~initis tradiderint.~~ Atque de hoc modo dictum jam est. Secundus modus est, si quis bello captus vel victus, aut viribus diffidens, ut mortem declinet, victori vel fortiori promittit, se ei *servitutum*, hoc est, omnia facturum quæ imperabit. In quo contractu bonum quidem, quod victus vel viribus inferior accipit, est vitæ condonatio, quæ jure belli in statu hominum naturali tolli poterat: bonum autem quod promittit, ministerium et obedientia est. Hujus ergo promissi vi debetur a victo victori ministerium et obedientia absoluta, quantum fieri potest, nisi quæ repugnet legibus divinis. Nam qui mandatis cujusquam obedire ante obligatur, quam quid imperaturus sit sciat, tenetur ad omnia mandata simpliciter, et sine restrictione. Jam, qui sic tenetur *SERVUS*, is cui tenetur *DOMINUS* appellatur. Tertio, acquiritur jus in personam per generationem; de quo acquisitionis modo dicetur capite sequenti.

Distinctio servorum, in eos qui fide habita libertate fruuntur naturali, et ergastulos sive eos qui carceri vel compedibus vincti serviunt.

2. Non omnis bello captus, cujus vitæ parçitum est, pacisci cum domino intelligitur: quia non omnia creditur, ut relinquatur ei tantum libertatis naturalis, ut vel aufugere, vel ministerium detrectare, vel machinari *domino* malum aut damnum aliquod, si cupiat, possit. Et serviunt quidem hi, sed intra ergastula, vel compedibus vincti; ideoque vocabantur non modo *servi* communi nomine, sed etiam peculiari appellatione *ergastuli*; sicut et hodie diversa significant *un serviteur*, et *un serf*, vel *un esclave*.

Obligatio servi nascitur ex concessa ei a domino libertate corporis

3. Obligatio igitur *servi* adversus *dominum* non nascitur ex simplici vitæ condonatione, sed ex eo quod non vinctum eum vel incarceratum teneat. Obligatio enim ex pacto oritur; pactum autem nisi

fide habita nullum est, ut patet ex cap. II. art. 9, ubi definitur pactum esse promissum ejus cui creditur. Cum beneficio ergo vitæ condonatæ conjuncta est fiducia, qua *dominus* eum in libertate corporali relinquit, ita ut nisi intervenissent obligatio et vincula pactitia, non modo aufugere, sed etiam *dominum*, conservatorem vitæ ejus, vita spoliare possit.

SECT. III.

8.

4. *Servi* itaque hujusmodi, qui carceribus, ergastulis, vinculisve cohibentur, non comprehenduntur definitione *servorum* supra tradita; quia serviunt hi non pacto, sed ne vapulent. Ideoque si aufugerint, vel *dominum* interfecerint, nihil faciunt contra leges naturales. Etenim vinculis ligare signum est illum, qui ligat, supponere ligatum nulla alia obligatione satis teneri.

Servi vincti dominis non tenentur pacto.

5. Non minus igitur juris et dominii habet *dominus* in servum non vinctum, quam in vinctum: summum enim habet in utrumque; potestque de servo non minus quam de qualibet alia re, sive animata sive inanimata, dicere *hoc meum est*. Ex quo sequitur, quicquid *servi* erat ante servitatem, id postea *domini* esse; et quicquid *servus* adquisierit, id *domino* acquisitum esse. Qui enim jure disponit de *persona* hominis, de omnibus rebus disponit, de quibus disponere potuit *persona*. Nihil igitur est, quod *servus* possit ut *suum* retinere contra *dominum*. Est tamen ei, *domini* distributione, *proprietas* et *dominium* in res *suas*, ita ut eas retinere et defendere possit *servus* contra *conservum*; eo modo quo ante ostensum est, civi nihil esse proprie *suum* contra voluntatem *civitatis*, sive ejus qui habet summum imperium; esse autem *sua* cuique civi contra concivem.

Servi non habent proprietatem in bonis suis contra dominum.

SECT. III.

8.

Dominus servum potest vendere, vel testamento alienare.

6. Quoniam ergo et *servus* ipse et ea quæ habet, omnia *domini* sunt, disponere autem de suo unusquisque jure naturali potest eo modo quo voluerit, poterit *dominus* dominium suum in *servum* vendere, oppignerare, vel testamento transferre, pro arbitrio suo.

Dominus in servum injurius esse non potest.

7. Præterea, id quod ante de subditis in *civitate institutiva* demonstratum est, nimirum, quod is, qui summum civitatis imperium habet, nullam iis *injuriam* facere potest, verum quoque de *servis* est, propterea quod voluntatem suam *domini* voluntati subjecere. Quare quicquid iste fecerit, ipsis volentibus fit : volenti autem injuria fieri non potest.

Dominus domini, est dominus servorum.

8. Si vero accidat, ut *dominus* sive captivitate sive subjectione voluntaria *servus* vel *subditus* alterius fiat, ille alter non modo ipsius, sed etiam *servorum* ejus *dominus* erit ; horum quidem *dominus supremus*, illius *immediatus*. Quoniam enim non modo *servus*, sed etiam ea quæ habet *domini* sunt, ideo et *servi* illius hujus sunt ; neque potest *dominus medius* de iis aliter disponere, quam *domino supremo* visum fuerit. Et propterea in civitatibus, si quando *dominis* in *servos* potentia absoluta fuerit, ea a jure naturæ orta esse censetur, et lege civili non constituta, sed præterita.

Quibus modis servi liberantur.

9. *Servus* iisdem modis *servitute* liberatur, quibus *subditus* in *civitate institutiva* liberatur subjectione. Primo, si *dominus* eum libertate donaverit. Nam quod jus in se *servus domino* transtulit, idem potest *dominus servo* rursus reddere. Atque libertatis donatio talis MANUMISSIO dicitur. Quod simile est, ac si civitas civi permiserit in aliam civitatem se transferre. Secundo, si *dominus servum* a se *abigat* ; id quod in civitate *exsilium* est :

neque differt quoad effectum a *manumissione*, sed quoad modum: libertas enim hic in pœnam, illic in gratiam data est; utrobique autem *dominio* renunciatur. Tertio, *servus* si captus fuerit, *veterem* servitutem *nova* abolet. Nam sicut et res cæteræ omnes, ita quoque et servi bello acquiruntur, quos æquum est ut *dominus* protegat, si suos esse velit. Quarto, liberatur *servus* ignorance successoris, puta moriente *domino* sine testamento, et sine hærede. Nemo enim obligari intelligitur, nisi scire possit cui præstandum sit quod debetur. Postremo, *servus*, qui in vincula conjicitur, vel quoquo modo libertate corporali privatur, altera illa obligatione pactitia liberatur. Non enim existit pactum, nisi ubi paciscenti creditur; nec violari potest fides, quæ non est habita. *Dominus* autem, qui ipse alii servit, *servos* suos non potest ita liberare, quin semper sint in potestate *domini supremi*. Nam ut supra ostensum est, sunt tales *servi* non sui, sed *domini supremi*.

SECT. III.

8.

10. Eodem modo acquiritur jus in animalia ratione carentia, quo in *personas* hominum; nimirum viribus et potentiis naturalibus. Siquidem enim in statu naturali, propter bellum omnium in omnes, subjugare vel etiam occidere homines cuique licitum sit, quoties id suo bono conducere videbitur; multo magis idem licitum erit adversus belluas, hoc est, arbitrato suo eas in servitutem subigere, quæ per ingenium cicurari et usui sibi esse possunt, cæteras bello perpetuo ut noxias persequi et destruere. *Dominium* igitur in bestias originem habet a *jure naturæ*, non a *jure divino positivo*. Nam si non exstisset tale jus ante promulgationem Scripturæ sacræ, nemo jure potuisset bestias ad

Dominium in
bestias juris
naturalis est.

SECT. III. **8.** **cibum jugulare: durissima sane hominum conditione, quos bestiae devorare sine injuria possent, illi bestias non possent. Siquidem ergo a jure naturali sit, quod bestia hominem occidat, ab eodem jure erit, quod homo jugulet bestiam.**

CAPUT IX.

DE JURE PARENTUM IN LIBEROS, ET DE REGNO PATRIMONIALI.

1. Dominium paternum non oritur a generatione. 2. Dominium in infantes ejus est, qui primus eos in potestate sua habet. 3. Dominium in infantes originaliter matris est. 4. Infans expositus ejus est, a quo conservatur. 5. Natus ex cive et habente summum imperium, imperantis est. 6. In conjunctione maris et feminae, ita ut neuter alteri imperet, nati matris sunt, nisi pacto vel lege civili aliter statuatur. 7. Liberi subjiciuntur patribus, non minus quam servi dominis et cives civitati. 8. De honore parentum et dominorum. 9. In quo consistat libertas, et differentia civium et servorum. 10. Idem est jus in cives in regno patrimoniali, quod institutivo. 11. Quaestio de jure successionis in sola monarchia locum habet. 12. Monarcha potest summum imperium civitatis testamento disponere: 13. Vel donare vel vendere. 14. Monarcha intestatus, semper intelligitur velle fore sibi monarcham successorem: 15. Et aliquem ex suis liberis: 16. Et masculinum potius quam feminam: 17. Et filiorum natu maximum, quam minorem. 18. Et fratrem, si prole careat, praeter omnibus aliis: 19. Eodem modo quo succeditur in imperium, succeditur etiam in jus successionis.

Dominium paternum non oritur a generatione.

1. *Socrates est homo, ergo et animal*, recta argumentatio est, eademque evidentissima; propterea quod nihil opus est ad consequentiae veritatem agnoscendam, nisi ut vox *homo* intelligatur; quia *animal* est in ipsa *hominis* definitione, suppletque unusquisque propositionem quae desiderabatur, nempe hanc, *homo est animal*. Et haec, *Sophro-*

niscus Socratis pater est, ergo et dominus, recte forte illatio est, cæterum non evidentissima, *quia dominus* non est in definitione *patris*; itaque opus est ad evidentiam, ut *patris et domini* connexio explicetur. Qui hactenus dominium *patris* in *liberos* asserere conati sunt, argumentum nullum attulere præter *generationem*; quasi per se evidens sit, quod a me genitum est meum esse; similiter facientes, ac si quis putet, si triangulum sit, statim apparere sine alia ratiocinatione angulos ejus esse æquales duobus rectis. Præterea, cum *dominium*, hoc est *imperium supremum*, indivisibile sit, ita ut nemo duobus dominis servire possit, ad *generationem* autem duæ personæ concurrant, *mas* et *fœmina*, impossibile est ut *dominium* omnino acquiratur sola *generatione*. Quare origo *dominii paterni* diligentius hoc loco quærenda est.

SECT. III.

9.

2. Redeundum igitur est ad statum naturalem, in quo, propter æqualitatem naturæ, omnes homines maturæ ætatis inter se æquales habendi sunt. Ibi *jure naturæ* victor victi *dominus* est; *jure* igitur *naturæ* dominium *infantis* ad eum primum pertinet, qui primus in potestate sua ipsum habet. Manifestum autem est *eum* qui modo *nascitur*, prius esse in potestate *matris*, quam cujusquam alterius; ita ut illum vel educare, vel exponere, suo arbitrio et *jure* possit.

Dominium in infantem ejus est, qui primus eos in potestate sua habet.

3. Siquidem ergo educet, quoniam status naturæ status belli est, ea lege educare intelligitur, ne adultus hostis fiat, hoc est, ea lege ut ipsi obediat. Cum enim necessitate naturali *velimus* omnes id quod *nobismetipsis* apparet *bonum*; intelligi non potest, quemquam ita vitam dedisse cuiquam, ut possit simul et vires ætate acquirere, et *jure* hostis

Dominium in infantem originaliter matris est.

SECT. III.

9.

esse. Hostis autem est quisque cuique, cui neque paret neque imperat. Atque hoc modo, in statu naturæ omnis puerpera simul et *mater* fit et *domina*. Quod vero quidam ajunt, non *matrem* in hoc casu, sed *patrem* fieri *dominum*, propter præstantiam sexus, nihil est; nam et ratio in contrarium est, quia inæqualitas virium naturalium minor est, quam ut *mas* in *fæminam* imperium sine bello acquirere possit: et consuetudo in contrarium non est; quia *fæminæ*, nimirum Amazones, quondam bella contra hostes gesserunt, et de *prole* sua suo libitu statuerunt; hodieque pluribus in locis *fæminæ* sunt cum *summo imperio*. Neque de harum *liberis* statuunt *mariti*, sed *ipsæ*; quod sane *jure naturæ* faciunt, siquidem qui summum habent imperium legibus civilibus, ut supra ostensum est, non tenentur. Adde quod in statu naturæ sciri non potest cujus *patris filius* est, nisi indicio *matris*. Ejus igitur est quem *mater* vult eum esse, et proinde *matris* est. Originale igitur in *liberos* dominium *matris* est; et apud homines non minus quam cætera animantia, partus ventrem sequitur.

Infans expositus, ejus est a quo conservatur.

4. A *matre* autem ad alios transit *dominium* diversis modis. Primo, si jus suum dereliquerit sive abjecerit *filium exponendo*. Is igitur qui expositum educaverit, idem habebit dominium, quod habebat *mater*. Vitam enim quam *mater* non *generando*, sed *alendo* dederat, *exponendo* tollit; quare et obligatio, quæ orta est ex vitæ donatione, per *expositionem* sublata est. Ei autem, qui ipsum alendo conservavit, omnia debet conservatus, et nomine alumni, tanquam *matri*, et nomine *servi*, tanquam *domino*. Etsi enim *mater* filium in statu naturæ, ubi omnia sunt omnium, repetere possit, eodem sicilicet jure

quo quilibet alius, tamen *filius* jure non potest ad matrem se transferre.

SECT. III.
9.

5. Secundo, si *mater* bello capta sit, *natus* ex ea capientis est, propterea quod qui *dominium* in *personam* habet, *dominium* habet in omnia quæ sunt ejus: quare et in *filium*, ut capite præcedente, articulo v, dictum est. Tertio, si *mater* civis sit cujuscunque civitatis, is qui in ea civitate habet summum imperium, *dominium* habebit ejus qui ab ea nascetur: nam et *matris* dominus est, quæ habenti summum imperium in omnibus tenetur obedire. Quarto, si *mulier* viro se tradiderit in vitæ societatem, ea lege ut imperium apud *virum* sit, *qui nascitur* ex ambobus, *patris* est, propter imperium in *matrem*. Sed si *fœmina imperium habens filios* ex *subdito* susceperit, suscepti *matris* sunt. Aliter enim, salvo imperio, mulier filios habere non potest. Atque universaliter, si *maris* et *fœminæ* societas *unio* sit, ut alter alterius imperio subjiciatur, *liberi* sunt *imperantis*.

Natus ex cive et habente summum imperium, imperantis est.

6. Cæterum in statu naturæ, siquidem *mas* et *fœmina* societatem contrahant, ita ut alter alterius imperio non subsit, *nati* ex iis *matris* sunt, propter rationes adductas supra articulo tertio, nisi aliter pactis provisum sit. Pactis enim *mater* de jure suo disponere potest prout velit, quemadmodum factum est olim ab Amazonibus, quæ ex vicinis susceptos liberos, *mares* quidem illis remiserunt, *fœminas* sibimetipsis pacto retinuerunt. In civitate vero, si contractus sit inter marem et *fœminam* ad cohabitationem, liberi geniti *patris* sunt: quia in omnibus civitatibus, scilicet constitutis a *patribus*, non a *matribusfamilias*, imperium domesticum viri est. Vocatur autem talis contractus, si fiat secun-

In conjunctione maris et fœminæ, ita ut neuter alteri imperet, nati matris sunt, nisi pacto vel lege civili aliter statuatur.

SECT. III. 9. dum leges civiles, MATRIMONIUM. Si vero contrahant concubinatum tantum, *fili* sunt vel *matris*, vel *patris* varie, prout in diversis civitatibus leges civiles diversæ sunt.

Liberi subjiciuntur patribus, non minus quam servi dominis et cives civitati.

7. Quoniam, per articulum tertium, *mater* originaliter *liberorum domina* est, et ab illa *pater*, vel alius quispiam jure derivato; manifestum est, non minus *liberos* illis esse subjectos a quibus aluntur et educantur, quam *servi dominis*, vel *subditi* illi qui *summum* habet *imperium* in civitate; neque posse *parentem*, quamdiu in ejus potestate est, *fili* injurium esse. Etiam subjectione iisdem modis *filius* liberatur, quibus *subditus* et *servus*. Eadem enim res est *emancipatio* cum *manumissione*, et *abdicatione* cum *exsilio*.

De honore parentum et dominorum.

8. *Patremfamilias emancipatus filius*, vel *manumissus servus*, privatum jam patria et herili potestate minus metuunt, et, si quidem verus et internus spectetur *honor*, minus *honorant* quam ante. Est enim *honor* nihil aliud, quam potentiae alienae aestimatio; ideoque cui minus potentiae est, minus semper est *honoris*. Non est autem putandum *manumittentem manumissum*, vel *emancipatam emancipatum* ita voluisse sibi æquare, ut ne beneficii quidem reus esset, sed in omnibus se gereret tanquam æqualis sibi esset. Intelligendum igitur semper est, eum, qui liberatur subjectione, sive sit *servus*, sive *filius*, sive *colonia* aliqua, promittere saltem externa signa omnia, quibus superiores ab inferioribus solent *honorari*. Ex quo sequitur, præceptum illud de *parentibus honorandis* esse *legis naturalis*, non modo sub titulo *gratitudinis*, sed etiam *pactionis*.

9. Quænam ergo est, quæret aliquis, inter *liberum*, vel inter *civem*, et *servum* differentia? Neque

enim quod sciam, a quoquam scriptore explicatum est, quid sit *libertas*, et quid *servitus*. Vulgo omnia nostro arbitrato facere, atque id impune, *libertas*; id non posse, *servitus* judicatur: quod in civitate, et cum pace humani generis fieri non potest; quia civitas sine imperio et jure coercendi nulla est. **LIBERTAS**, ut eam definiamus, nihil aliud est quam *absentia impedimentorum motus*; ut aqua vase conclusa ideo non est *libera*, quia vas impedimento est ne effluat, quæ fracto vase *liberatur*. Et est cuique *libertas* major vel minor, prout plus vel minus spatii est in quo versatur; ut majorem habet *libertatem* qui in amplo carcere, quam qui in angusto custoditur. Et potest esse homo *liber* versus unam partem, nec tamen versus alteram; ut qui iter faciens sepibus et maceris, ne vineas et segetes viæ vicinas conterat, hinc et inde cohibetur. Et hujusmodi quidem impedimenta externa et absoluta sunt: quo sensu omnes *servi* et *subditi liberi* sunt, qui non sunt vincti, vel incarcerati. Alia sunt arbitraria, quæ non absolute impediunt motum, sed per accidens, nimirum per electionem nostram: ut qui in nave est, non ita impeditur quin se in mare præcipitare possit, si velle possit. Atque hic quoque, quo quis pluribus viis movere se potest, eo majorem habet *libertatem*. Atque in hoc consistit *libertas* civilis. Nemo enim sive *subditus*, sive *filiusfamilias*, sive *servus*, ita *civitatis* vel *patris* vel *domini* sui, utcunque severi, pœnis propositis impeditur, quin omnia facere et ad omnia se convertere possit, quæ ad vitam et sanitatem tuendam sunt necessaria. Non igitur reperio quid sit, de quo vel *servus* quisquam conquiri possit eo nomine quod *libertate* careat, nisi

SECT. III.

9.

In quo consistat
libertas, et differentia
civium
et servorum.

SECT. III.
9.

miseria sit ita cohiberi ne ipse sibi noceat, et vitam, quam bello vel infortunio vel demum inertia sua amiserat, una cum omnibus alimentis et omnibus rebus ad vitam et sanitatem necessariis ea lege recipere ut regatur. Qui enim ita cohibetur poenis propositis, ne omnia quæ vult faciat, non opprimitur *servitute*, sed regitur et sustentatur. Hoc autem, in omni civitate et familia, ubi servi existunt, *cives liberi*, et *filiifamilias* præ *servis* eximium habent, ut et ministeria civitatis vel familiæ obeant honoratiora, et plus possideant rerum superfluarum. Atque in hoc sita est differentia inter *civem liberum* et *servum*; quod LIBER quidem is sit, qui soli civitati, SERVUS autem, qui etiam concivi servit. Libertas alia omnis exemptio est a legibus civitatis, et propria imperantium.

Idem est jus in cives in regno patrimoniali, quod in institutivo.

10. *Paterfamilias, liberi servique* ejus, virtute imperii paterni, in unam personam civilem coaliti, *FAMILIA* dicitur. Eadem, si multiplicatione *prolis* et *servorum* acquisitione numerosa fiat, ita ut sine belli incerta alea subjugari non possit, appellabitur *REGNUM PATRIMONIALE*. Quod quamquam vi acquisitum differat a *monarchia institutiva* origine et modo constituendi, constitutum tamen omnes easdem habet proprietates, et idem est utrobique imperii jus, ut non sit opus quilibet de iis seorsim dicere.

Questio de jure successionis in sola monarchia locum habet.

11. Quo jure summa imperia constituta sunt, dictum est; breviter jam, quo jure continentur, dicendum est. Jus autem quo continuantur, illud est quod appellatur *JUS SUCCESSIONIS*. Quoniam autem in *democratia*, summum imperium apud *populum* est, quamdiu cives existunt, tamdiu penes eandem est personam. Populus enim *successorem*

non habet. Similiter in *aristocratia*, moriente uno optimatum aliquis alius in ejus locum a cæteris substituitur : ideoque nisi simul deficient, quod suppono nunquam accidere, *successio* nulla est. Quæstio igitur de jure *successionis* in sola *monarchia absoluta* locum habet. Nam qui ad tempus tantum summum exercent imperium, non sunt ipsi *monarchæ*, sed *ministri* civitatis.

SECT. III.

9.

12. Primum autem, si *monarcha successorem* sibi testamento instituerit, institutus *succedet*. Nam si a *populo* instituatur, habebit omne jus in civitatem quod *populus* habebat : ut ostensum est Cap. VII. art. 2. Sed *populus* potuit ipsum eligere ; ergo eodem jure ipse alium. Sed in *regno* etiam *patrimoniali* eadem sunt jura, quæ in *institutivo*. Quare monarcha omnis potest *successorem* sibi testamento facere.

Monarcha potest summum imperium civitatis testamento disponere :

13. Quod autem quis testamento transferre in alium potest, id eodem jure donare vel vendere vivens potest. Cuicumque ergo is summum imperium tradiderit sive dono sive precio, jure traditur.

Vel donare, vel vendere.

14. Quod si neque testamento, neque aliter, voluntatem suam de *successore* vivens declaravit, intelligitur primum noluisse eum redire civitatem ad anarchiam sive statum belli, id est, ad perniciem civium : tum quia non potuit id facere sine violatione legum naturalium, quibus in foro conscientiæ obligatus erat ad omnia quæ ad pacem necessario conducunt : tum etiam quia si voluisset, non erat difficile id aperte declarasse. Deinde, quia jus transit secundum voluntatem patris, censendum est de *successore* per signa voluntatis ejus. Intelligitur ergo voluisse eum subditos suos sub regimine esse *monarchico*, potius quam alio ; propterea quod et

Monarcha intestatus, semper intelligitur velle fore sibi monarcham successorem :

SECT. III. **ipse eum statim exemplo suo regnando commenda-**
 9. **vit ante, nec alio facto aut verbo post damnavit.**

Et aliquem
 ex suis liberis:

15. Porro quoniam naturali necessitate omnes homines bene illis esse malunt, per quos sibi honor et gloria est, quam aliis; honor autem et gloria unicuique post mortem per liberorum potius quam per aliorum quorumcumque hominum potentiam contingit; colligitur, patrem melius velle liberis suis, quam quibuscunque aliis. Intelligitur itaque voluntas patris intestati ea fuisse, ut *successor* ei aliquis esset ex liberis suis. Hoc tamen ita intelligendum est, si alia signa apertiora in contrarium non existant; cujus generis, post *successiones* plures, potest esse consuetudo. Qui enim de *successione* tacet, intelligitur consuetudini regni consentire.

Et masculum
 potius quam
 feminam:

16. Inter liberos masculi foeminis praeferruntur; principio quidem forte quod plerumque, licet non semper, aptiores sunt ad rerum magnarum, praesertim vero bellorum administrationem; post autem, ubi in consuetudinem abiit, quod consuetudini non sit contradictum; ideoque voluntas *patris* in eorum favorem, nisi consuetudo alia vel signum aliud apertius repugnet, interpretanda est.

Et filiorum
 natu maximum,
 quam mi orem:

17. *Filiorum* autem, quia aequales sunt, nec dividi imperium potest, is *succedet* qui maximus natu est. Nam si differentia sit aliqua propter *aetatem*, dignior maximus est: nam natura iudice annis provecior, quia solet esse, prudentior est. Alius autem iudex dari non potest. Si vero fratres omnes pro aequalibus habendi sint, *sorte* fiet *successor*. Est autem sors naturalis, *primogenitura*; ea vero jam praefertur natu maximus; neque est qui potestatem habeat iudicandi, utrum eo, an alio genere

sortium res decidenda sit. Quæ autem ratio pro primogenito, eadem pro primogenita militat. SECT. III.
9.

18. Quod si liberi nulli sint, tunc ad fratres et sorores imperium transibit, propter eandem rationem, qua liberi *succederent*, si essent; nam natura proximi, benevolentia proximi esse supponuntur; et in fratres prius quam in sorores; item in majores natu prius quam in minores. Ratio enim hic eadem est, quæ in liberis.

Et fratrem, si prole careat, præ omnibus aliis.

19. Porro qua ratione *succeditur* ad imperium, eadem quoque succeditur ad jus *successionis*. Nam primogenitus, si ante patrem moriatur, censebitur, nisi pater aliter statuerit, jus suum *successionis* transtulisse ad liberos suos; ideoque nepotes et neptes priores ad *succedendum* erunt quam ipsorum avunculi. Hæc, inquam, omnia ita se habent, si consuetudo loci, cui pater non contradicendo censebitur consentire, non impediat.

Eodem modo quo succeditur in imperium, succeditur etiam in jus successionis.



CAPUT X.

SPECIERUM TRIUM CIVITATIS QUOAD INCOMMODA
SINGULARUM COMPARATIO.

1. Comparatio status naturalis cum statu civili. 2. Imperantis et civium eadem sunt commoda et incommoda. 3. Commendatio monarchiæ. 4. Regimen unius non esse eo nomine iniquum, quod unus plus possit cæteris omnibus. 5. Rejectionis opinionis eorum qui dicunt dominum cum servis non posse esse civitatem. 6. Exactiones graviore esse sub populo imperante, quam sub monarcha. 7. Cives innocentes minus obnoxios esse pœnis sub monarcha, quam sub populo. 8. Libertatem civium singulorum non minorem esse sub monarcha, quam sub populo. 9. Non esse civibus incommodum, quod non omnes ad publicas deliberationes admittantur. 10. Deliberationes civiles magnis cœtibus male committuntur, propter plurimorum imperitiam: 11. Propter eloquentiam: 12. Propter factionem: 13. Propter instabilitatem legum: 14. Propter defectum taciturnitatis. 15. Ea incommoda democratiæ adhærere, quatenus homines naturaliter delectantur existimatione ingenii. 16. Incommoda civitatis ex rege puero. 17. Monarchicæ præstantiæ signum, potestatis ducum castrensis. 18. Optimus status civitatis est, ubi cives imperantis sunt hæreditas. 19. Aristocratia tanto melior est, quanto monarchiæ propior; pejor, quanto ab ea remotior.

SECT. III. 1. DEMOCRATIA, *aristocratia* et *monarchia* quid sint, dictum est. Utra autem ad civium pacem

10.

Comparatio
status naturalis
cum statu civili.

conservandam, et commoda eorum procuranda aptior sit, earum comparatione videndum est. Primum autem commoda et incommoda civitatis in universum conferamus, ne quis forte satius esse ducat vivere unumquemque arbitrio suo, quam civitatem omnino constituere. Extra statum civitatis, unusquisque libertatem habet integerrimam quidem, sed infructuosam; propterea quod qui propter libertatem suam omnia agit arbitrio suo,

propter libertatem aliorum omnia patitur arbitrio alieno. At civitate constituta, unusquisque civium tantum libertatis sibi retinet, quantum sufficit ad bene et tranquille vivendum; tantum item aliis adimitur, ut non sint metuendi. Extra civitatem, unicuique ita jus est ad omnia, ut tamen nulla re frui possit: in civitate vero, unusquisque finito jure secure fruitur. Extra civitatem, quilibet a quolibet jure spoliari et occidi potest: in civitate ab uno tantum. Extra civitatem, propriis tantum viribus protegimur: in civitate, omnium. Extra civitatem, fructus ab industria nemini certus; in civitate, omnibus. Denique, extra civitatem, imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, foeditas, solitudo, barbaries, ignorantia, feritas: in civitate, imperium rationis, pax, securitas, divitiæ, ornatus, societas, elegantia, scientiæ, benevolentia.

SECT. III.

10.

2. Aristoteles (*Politicorum* libri septimi capite quatuordecimo) duo esse ait genera regiminum, quorum alterum ad *imperantis*, alterum ad *subditorum* commodum dirigitur. Quasi ubi cives durius tractantur, ibi *una*; ubi mitius, ibi *alia* species esset civitatis; quod ei minime concedendum est. Sunt enim *imperantis* et *subditorum* eadem et communia commoda et incommoda omnia, quæ ex regimine oriuntur. Incommoda, quæ civi alicui, infortunio, stultitia, negligentia, ignavia, vel luxuria sua accidunt, a regentis incommodis separari possunt: sed non sunt illa regiminis incommoda, ut quæ in qualibet civitate accidere possunt. Eadem, si accidunt a prima civitatis institutione, dicuntur quidem regiminis incommoda, sed ipsi imperanti cum civibus communiæ erunt, sicut communia etiam sunt eorum commoda. Primum autem et maximum

Imperantis et
civium eadem
sunt commoda
et incommoda.

SECT. III.

10.

commodum, pax et defensio, idem utriusque est. Nam et is qui imperat, et is cui imperatur, ad vitæ suæ defensionem viribus utitur simul omnium concivium. Et maximo incommodo, quod in civitate contingere potest, nimirum cæde civium, quæ ab anarchia oritur, et is qui summum imperium habet, et quilibet unus civium æque obruitur. Secundo, si is, qui summum imperium obtinet, pecuniarum tantum a civibus exegerit, ut se et familias suas alere et vires corporum suorum conservare non possint, incommodum non magis illorum est quam imperantis, qui quantiscunque divitiis sine corporibus civium imperium suum et divitias tueri non potest. Si vero tantum exegerit quantum ad imperii administrationem sufficit, id commodum æque est et ipsi et civibus ad communem pacem et defensionem. Neque imaginabile est, quomodo divitiæ publicæ civibus *privatis* incommodo esse possint, modo privati non ita exhauriantur, ut per industriam suam necessaria ad corporis et animi vires sustentandas acquirere sit impossibile. Nam sic incommodum et ad ipsum imperantem pertineret, nec oriretur ab institutione vel ordinatione prava; quia in omni genere civitatis, cives opprimi possunt; sed a bene ordinatæ civitatis prava administratione.

Commendatio
monarchiæ.

3. Quod autem dictarum specierum civitatis, *democratia* et *aristocratia* et *monarchia*, optima sit *monarchia*, ex comparatione commodorum et incommodorum in singulis ostendendum est. Hæc igitur, quod *universum* ab *uno Deo* regitur; quod *antiqui* statum *monarchicum* cæteris prætulerunt, regimen Deorum uni *Jovi* adscribentes; quod principio rerum nationumque arbitria principum pro legibus fuerint; quod imperium *paternum* institu-

tum a Deo in creatione *monarchicum* fuerit; quod regimina cætera ex *monarchiæ* per seditiones dissolutæ ruderibus artificio hominum* post conglutinata sint; quodque populus Dei sub regibus fuerint; quamquam *monarchiam* commendatiorem nobis exhibeant, tamen quia id non rationibus, sed exemplis et testimoniis faciunt, omittemus.

SECT. III.

10.

4. Sunt quibus *unius* regimen eo nomine displicet, quia *unius* est; quasi iniquum esset inter tam multos tanta potestate eminere *unum* aliquem, ut arbitrio suo possit de cæteris omnibus statuere. Hi sane subtrahere se ab imperio *unius* Dei, si possent, vellent. Sed exceptionem hanc contra *unum* suggerit invidia, dum vident unum habere quod omnes cupiunt. Idem iniquum esse censerent eadem ratione, si *pauci* imperarent, nisi ipsi vel essent vel esse sperarent ex eorum numero. Nam si iniquum sit non esse jus æquale omnibus, iniquum etiam est regimen optimatum. Quoniam autem ostensum est, statum æqualitatis esse statum belli, ideoque inæqualitatem introductam esse consensu omnium; inæqualitas illa non est amplius habenda

Regimen unius non esse eo nomine iniquum, quod unus plus possit cæteris omnibus.

* *Artificio hominum conglutinata sint, etc.*] Videntur huc spectasse antiqui, qui fabulam nobis confinxerunt de Prometheo. Narrant Prometheum, surrepto a sole igne, ex luto fecisse hominem: atque ob id factum perpetua jecoris laceratione irato Jovi dedisse pœnas. Hoc est, ingenio humano, id quod significatur per Prometheum, leges et justitiam a monarchia per imitationem sumtas esse, quarum vi, tanquam igne a fonte suo naturali surrepto, multitudo, quasi lutum et fœx hominum, in unam personam civilem animata et conflata est, quæ aristocratia vel democratia appellatur. Inventi autem authores et fautores, qui cum secure atque otiose sub imperio regum naturali vivere potuissent, hanc pœnam dant, ut perpetuis curis suspicionibus dissensionibusque alto loco expositi crucientur.

SECT. III. ~~prohibe iniqua~~, ubi plus habet is, cui plus volentes dedimus. Incommoda igitur quæ sequuntur *unius hominis* imperium, sequuntur *hominem*, non *urbitatem*. Videndum igitur est, utrum imperium *hominis*, an *hominum*, plura civibus adferat incommoda.

10.
Rejectio opinionis eorum qui dicunt dominum cum servis non posse esse civitatem.

5. Sed primum amolienda est sententia eorum, qui negant omnino civitatem esse, quæ conflatur ex quantovis numero servorum sub communi domino. Capite quinto, articulo nono, definitur *civitas* esse *persona* una facta ex pluribus hominibus, cujus voluntas, ex ipsorum pactis, pro ipsorum omnium voluntatibus habenda est, ut singulorum viribus et facultatibus uti possit ad pacem et defensionem communem. *Persona* autem *una* est, per ejusdem capitis articulum eundem, quando plurium voluntates unius voluntate continentur. Sed voluntas uniuscujusque servi continetur in voluntate domini, ut ostensum est capitis octavi articulo quinto, ita ut possit eorum viribus et facultatibus uti, prout voluerit. Sequitur ergo civitatem esse quæ constituitur ex *domino* et pluribus *servis*. Neque potest ulla ratio in contrarium adduci, quæ non æque militet contra civitatem constitutam a *patre* et *liberis*. Nam apud *dominum*, cui *liberi* non sunt, *servi liberorum* rationem subeunt. Sunt enim et honor et præsidium ejus: neque magis subjiciuntur *servi dominis*, quam *liberi patribus*, ut supra ostensum est capitis octavi articulo quinto.

Exactiones graviores esse sub populo imperante, quam sub monarcha.

6. Inter incommoda imperii summi unum est, quod imperans præter pecunias ad sumtus publicos, hoc est, ad ministros publicos alendos, præsidia ædificanda et tuenda, bella gerenda, rem domesticam honorifice sustentandam necessarias, possit etiam, si velit, alias exigere per libidinem, quibus

filios, cognatos, gratiosos, atque etiam *adulatores* ditare possit. Confitendum est incommodum quidem hoc esse, sed ex numero eorum quæ in omni genere civitatis reperiuntur; in *monarchia* autem tolerabiliora, quam in *democratia*. Nam et si velit *monarcha* illos locupletare, pauci sunt, quia unius sunt. Sed in *democratia*, quot sunt *demagogi*, id est, potentes apud populum *oratores*, qui et simul plures sunt et quotidie novi suboriuntur, tot sunt qui *liberos, cognatos, amicos, adulatoresque* ditandos habent. Cupiunt enim singuli, non modo familias suas divitiis potentes illustresque reddere quantum possunt, sed etiam alios sui muniendi causa beneficiis devincire. *Monarcha* ministros et amicos suos, quia non sunt numerosi, sine civium dispendio, deferendo scilicet illis belli pacisque munia, magna ex parte explere potest; in *democratia*, ubi multi satiandi sunt, et semper novi, fieri id sine oppressione civium non potest. *Monarcha* quamquam possit indignos promovere, sæpe tamen id facere non vult; *oratores* autem in *democratia* semper hoc omnes velle intelliguntur, ideo quia opus est; aliter enim potentia eorum, qui id soli facerent, ita cresceret, ut non modo sibi, sed et civitati formidanda esset.

7. Summi imperii incommodum aliud est metus ille mortis perpetuus, in quo unumquemque versari necesse est, dum reputat secum posse eum, qui imperat, non modo poenas, quas velit, in quæ velit peccata constituere, sed etiam cives innocentes et qui nihil contra leges commiserunt, ira et libidine jugulare. Atque magnum hoc revera in omni civitatis specie incommodum est, ubi fit: incommodum enim ideo est quia fit, non quia fieri potest: sed

SECT. III.

10.

Cives innocentes minus obnoxios esse poenis sub monarcha, quam sub populo.

SECT. III. **10.** vitium est regentis, non regiminis : non enim *Neronis facta monarchiæ sunt omnia essentialia.*

Cives innocentes
minus obnoxios
caso pœnis sub
monarcha, quam
sub populo.

Minus tamen sæpe damnantur cives immerito, regnante *homine*, quam *populo*. Nam reges sæviunt in eos tantum, qui vel consiliis intempestivis molesti, vel verbis contumeliosis, vel voluntate adversi ipsis solis sunt. Faciunt autem ut potentiae excessus, quem habere unus civis supra alium possit, innoxius sit. Itaque *Nerone* vel *Caligula* aliquo regnante, pati immerito nemo potest, nisi qui ipsi cogniti sunt, nimirum aulici, vel munere aliquo conspicui ; neque omnes, sed illi soli, quibus est quod is habere cupit ; nam qui molesti aut contumeliosi in eum sunt, merito plectuntur. In *monarchia* igitur, is qui latere vult, qualiscunque sit qui regnat, extra periculum est. Patiuntur enim soli ambitiosi, cæteri ab injuriis potentiorum defenduntur. Sed in *dominatione populari* tot possunt esse *Nerones*, quot sunt *oratores* qui *populo* adulantur ; tantum enim potest unusquisque eorum, quantum ipse *populus* : atque in subtrahendis a pœna iis, qui per libidinem et odia privata concives immerito occiderunt, quasi tacito quodam inter se pacto, *hodie mihi, cras tibi*, alter alterius cupidini mutuo cedunt. Præterea, potentiae privatæ terminus quidam est, ultra quem civitati perniciosa futura est, et propter quam *monarchis* aliquando necessarium est providere, ne quid inde respublica capiat detrimenti. Illam igitur potentiam, quando in divitiis sita erat, divitiarum diminutione diminuerunt ; si quando vero consisteret in aura *populari*, ipsum potentem sine alio crimine sustulerunt. Idem in *democratiis* fieri solet. Nam *ostracismo* exsulabant potentes *Athenienses* sine crimine, propter potentiam solam ; et

necabantur Romæ, tanquam regnum affectaverint, qui plebis favorem captabant beneficiis. Pares in hoc *democratia* et *monarchia*, impares tamen fama fuerunt : quia fama a populo est ; et quod a multis fit, a multis laudatur, Ideoque invidia in virtutem eorum factum esse dicitur, si faciunt *monarchæ*, quod si factum esset a *populo*, politia esset.

SECT. III.

10.

8. Sunt qui ideo *monarchiam democratia* incommodiorem putent, quod *illic* minus libertatis sit quam *hic*. Si per *libertatem* intelligant exemptionem a subjectione, quæ legibus, hoc est, mandatis debetur *populi*, neque in *democratia*, neque in alio statu civitatis quocunque ulla omnino *libertas* est. Si *libertatem* in eo sitam esse intelligant, ut paucae sint leges, pauca vetita, et ea talia quæ nisi vetentur, non sit pax, tunc nego plus esse *libertatis* in *democratia* quam in *monarchia*. Potest enim non minus hæc quam illa cum tali libertate recte consistere. Etsi enim portis turribusque civitatis cujuscunque characteribus quantumvis amplis *libertas* inscribatur, non est ea cujuscunque *civis* sed *civitatis* libertas ; neque meliori jure verbum illud civitati inscribitur, quæ a *populo*, quam quæ a *monarcha* regitur. Sed quando cives privati, id est, subditi libertatem poscunt, nomine libertatis non *libertatem*, sed *dominium* poscunt ; quod tamen præ incitia minime animadvertunt. Si enim quam libertatem quisque sibi expetit, eandem, prout lege naturæ præceptum est, aliis concederet, rediret ille status naturalis, in quo omnes jure possunt omnia ; quem ut omni subjectione civili pejorem, si scirent, respuerent. Sed si quis liberum esse solum poscat, cæteris obstrictis, quid aliud quam *dominium* poscit ? Nam qui solutus est omni vin-

Libertatem singulorum non minorem esse sub monarcha, quam sub populo.

SECT. III.

10.

culo, vincitorum omnium quotquot sunt *dominus* est. Non est ergo major libertas civium in statu *populari*, quam *monarchico*. Id quod imponit, est *participatio* æqualis munerum publicorum et imperii. Nam ubi imperium *populi* est, cives eatenus imperium singuli *participant*, quatenus *populi* imperantis partes sunt. Munera autem publica æqualiter participant, quatenus in magistratibus et ministris publicis eligendis æqualia habent suffragia. Atque hoc est quod voluit Aristoteles, ipse quoque consuetudine temporis libertatem pro imperio nominans, libro sexto *Politicorum*, capite secundo, *in statu populari libertas est ex suppositione*. Quod vulgo dicunt, *tanquam extra statum hunc liber esset nemo*. Ex quo obiter colligere licet, cives eos qui in *monarchia* sublatam libertatem plorant, hoc tantum stomachari, quod non adhibeantur ad reipublicæ gubernacula.

Non esse civibus incommodum, quod non omnes ad publicas deliberationes admittantur.

9. Sed ob hoc ipsum fortasse aliquis *statum popularem* maximo intervallo *monarchiæ* antefendum esse dicit, quod illic, ubi scilicet negotia publica omnes tractant, prudentiam, scientiam, eloquentiamque suam in deliberationibus circa res maximæ difficultatis et momenti publice ostentandi potestas omnibus facta sit; id quod propter naturæ humanæ innatam laudis cupiditatem, omnibus iis, qui vel talibus virtutibus antecellunt vel sibi videntur cæteris antecellere, omnium rerum est jucundissimum: hic vero via illa ad laudem et dignitates obtinendas maximæ parti civium præclusa est. Quid autem est, si hoc non est incommodum? Dicam. Sententiam ejus, quem contemnimus, nostræ prælatam videre; sapientiam nostram in conspectu nostro negligi; incerto certamine inanis gloriæ

certissimas suscipere inimicitias ; (hoc enim declinari non potest, sive vicerimus, sive vincamur) : odisse et odio esse ob dissimilitudinem opinionum ; concilia et vota nostra, ubi non est opus, sine fructu omnibus patefacere ; rem domesticam negligere : hæc, inquam, incommoda sunt. Abesse vero a certamine ingeniorum, quamquam ea certamina facundis jucunda sint, non est ideo illis incommodum, nisi etiam viris fortibus incommodum dicemus esse pugna prohiberi, propterea quod ea delectantur.

SECT. III.

10.

10. Præterea, multæ causæ sunt quare minus recte in magnis conventibus deliberatur, quam ubi consiliarii sunt pauci. Quarum una est, quod ad recte deliberandum de omnibus quæ ad salutem civitatis conducunt, cognitu necessaria sunt non modo ea quæ intus, sed etiam ea quæ foris sunt : intus quidem, quibus rebus et unde quæsitis civitas alitur et defenditur ; quæ loca præsidiis habendis apta ; unde milites et habendi et alendi sint ; quis sit civibus animorum habitus versus principem, vel civitatis gubernatores, et multa similia. Foris autem, quanta et in quibus rebus sita sit potentia singularum civitatum vicinarum ; quid nobis ab illis commodi et incommodi proveniat ; qui affectus eorum et erga nos et se invicem ; et quid quotidie apud eos consilii capiatur. Hæc autem quia paucissimi cognoscunt in numeroso cœtu hominum, maxima ex parte talium rerum imperitorum, ne dicam incapacium, quid numerus ille deliberantium ineptis sententiis contribuere ad consilia aliud quam impedimentum potest ?

Deliberationes civiles magnis cœtibus male committuntur, propter plurimorum imperitiam :

11. Alia causa, quare magnus cœtus ad deliberationem minus idoneus sit, ea est, quod unusquisque eorum, qui sententiam suam explicant, necesse

Propter eloquentiam :

SECT. III.

10.

habet perpetua et longa uti oratione; eamque, existimationis causa, audientibus quantum potest ornatam gratamque eloquentia reddere. Eloquentiæ autem munus est, *bonum et malum, utile et inutile, honestum et inhonestum*, facere apparere majora vel minora quam revera sunt, et *justum* videri quod *injustum* est, prout ad finem dicentis videbitur conducere. Hoc enim est persuadere; et quamquam ratiocinentur, non procedunt tamen a principiis veris, sed ab *ἐνδόξοις*, id est, opinionibus jam vulgo receptis, quæ maxima ex parte erroneæ esse solent, neque orationem suam naturæ rerum sed affectibus animorum convenientem esse student. Unde accidit non recta ratione, sed impetu animi sententias ferri. Neque est hoc *hominis*, sed ipsius *eloquentiæ* vitium, cujus finis, ut magistri rhetoricæ omnes docent, non veritas est, nisi per accidens, sed victoria; et munus, non nocere, sed suadere.

Propter
factionem:

12. Tertia causa, quare in magno cœtu minus utiliter deliberatur, ea est, quod inde *factiones* in civitate oriantur, et ex *factionibus* seditio et bellum civile. Quando enim contrariis sententiis orationibusque pugnant æquales oratores, victus victorem eosque una omnes, qui illius sententiam sequuti sunt, tanquam consilium et sapientiam suam contempsissent, odit, studetque quomodo faciat ut consilium adversarii exitum sortiatur civitati damnosum; sic enim sibi restitutam, illi ademptam gloriam iri videt. Præterea, ubi suffragia non sunt ita inæqualia, quin spes victis sit, posse se in conventu alio, accessione paucorum hominum sibi consentientium, partes habere superiores, ibi præcipui eorum cæteros convocant; seorsim deliberant quomodo sententiam ante latam abrogare possint;

statuunt inter se ad proximum conventum frequentes et primi adesse; disponunt quid quisque et quo ordine dicere debeat, ut res denuo agitetur, et quod frequentibus adversariis ratum, id iisdem, aliqua ex parte per negligentiam absentibus, fiat irritum. Atque hujusmodi industria diligentiaque, qua utuntur ad *faciendum* populum, *factio* appellari solet. Quando autem *factio*, suffragiis minor, viribus major vel non multo minor est, tunc quod eloquentia et arte obtinere non potuere, id armis tentant, et bellum nascitur civile. Sed hæc, dicit aliquis, non necessario, nec sæpe accidunt. Idem dicere posset, oratores non esse necessario cupidos gloriæ, et non sæpe in magnis rebus magnos oratores dissentire.

SECT. III.

10.

13. Sequitur ex his, ubi legum ferendarum potestas summa ad conventus tales defertur, leges instabiles esse, mutarique, non ad mutationem status rerum neque ad mutationem animorum, sed prout major numerus hominum nunc ex hac, nunc ex illa *factione* confluerit ad *curiam*; ita ut leges ibi, tanquam super undas, huc illuc fluctuent.

Propter instabilitatem legum:

14. Hoc etiam quarto loco deliberationes magnorum cœtum incommodi habent, quod civitatis concilia, quæ tacita esse sæpissime permagni interest, ante ad inimicos proferantur, quam possint perducere ad effectum; et quid possit, quid non possit, quid velit, quid nolit, exploratum externis sit, non minus quam ipsi *imperanti populo*.

Propter defectum taciturnitatis.

15. Incommoda hæc, quæ in deliberationibus magnorum conventuum reperiuntur, eatenus *monarchiam* *democratia* meliorem esse evincunt, quatenus in *democratia* res maximi momenti talibus conventibus discutiendæ sæpius committuntur, quam in

Ea incommoda democratiae ad hæerere, quatenus homines naturaliter delectantur existimatione ingenii.

SECT. III. *monarchia*; nec enim aliter fieri facile potest. Nihil enim est propter quod non malit quisquam *rei familiaris* potius quam *publicæ* vacare, præterquam quod locum esse videt facundiæ suæ, qua possit ingenii et prudentiæ existimationem acquirere, et domum reversus apud amicos, parentes, uxoresque, re bene gesta, triumphare; sicut olim Marco Coriolano omnis a factis bellicis jucunditas in eo sita erat, quod videret laudes suas placere matri. Quod si in *democratia* *populus* deliberationes de bello et pace et de legibus ferendis ad unum tantum vel valde paucos deferre vellet, contentus nominatione magistratum et ministrorum publicorum, hoc est, autoritate sine ministerio, tunc fatendum est *democratiam* et *monarchiam* hac in re æquales fore.

Incommoda
civitatis ex
rege puero.

16. Neque commoda vel incommoda, quæ magis in una quam in alia civitatis specie reperiuntur, ex eo procedunt, quod ipsum imperium seu imperii negotia administranda melius uni quam pluribus, vel contra pluribus quam paucioribus committuntur. Nam imperium *potentia*, administratio gubernandi *actus* est. *Potentia* autem in omni civitatis specie æqualis est; soli *actus* differunt, hoc est, *motus* atque *actiones* civitatis, prout proveniunt a plurium vel pauciorum, peritorum vel imperitorum deliberationibus. Ex quo intelligitur regiminis commoda et incommoda non illum, in quo residet civitatis autoritas, sed imperii ministros sequi; ideoque nihil impedire, quin civitas recte gubernari possit, quamquam *monarcha* fœmina vel puer vel infans sit, modo ii negotiis pares sint, qui ministeriis et muneribus publicis præfecti sunt. Atque id quod dicitur, *væ regno cujus rex puer est*, non significare *monarchiæ* conditionem statu populari inferiorem

esse, sed contra, nimirum incommoditatem regni per accidens esse, quod *rege puero* accidat quandoque, ut multis per ambitionem et vim in concilia publica sese intrudentibus, civitas administraretur *democratice*, atque ex eo nasci infelicitates illas, quæ *imperium populi* maxima ex parte comitantur.

SECT. III.
10.

17. Signum autem quod *monarchia* absolutissima civitatis sit optimus omnium status, manifestissimum illud est, quod non solum reges, sed etiam civitates illæ, quæ *populo* et *optimatibus* subjectæ sunt, non nisi uni soli totum belli imperium deferunt, idque ita absolutum, ut nihil possit esse amplius. In quo obiter notandum quoque hoc est, quod rex nullus duci plus imperii in exercitum concedere, quam ipse in cives omnes exercere jure possit. *Monarchia* itaque omnium optimum in castris regimen est. Quid autem aliud sunt plures respUBLICÆ, quam totidem castra præsiidiis et armis contra se invicem munita; quorum status (quia nulla communi potentia coërcentur, utcunque incerta pax tanquam induciæ breves intercedat) pro statu naturali, hoc est, pro statu belli habendus est?

Monarchiam præstantis signum, potestas ducum castrensis.

18. Postremo, quoniam ad conservationem nostram subditos nos esse alicui *homini* vel *concilio* necessarium erat, optima conditione illi subjicimur, cujus interest ut salvi et sani simus. Atque hoc fit, quando imperantis hæreditas sumus; unusquisque enim sponte sua hæreditatem suam conservare studet. Sunt autem civium non fundi et pecuniæ, sed corpora et animi vegeti principum divitiæ: id quod facile concedetur ab iis, qui animadvertunt quam magnis pecuniis parvarum civitatum dominia æstimantur, et quanto facilius homines pecuniam, quam pecunia homines acquirit. Neque exemplum

Optimus status civitatis est, ubi cives imperantis sunt hæreditas.

SECT. III.
10.

facile occurrit subditi alicujus a principe suo vita vel bonis, sine culpa propria, per solam licentiam imperii spoliati.

Aristocratia tanto melior est, quanto monarchiæ propior; pejor, quanto ab ea remotior.

19. Huc usque facta est comparatio inter statum *monarchicum* et *popularem*; de *aristocratia* tacitum est. De hac, ex iis quæ de illis dicta sunt, videtur concludi posse, quæ hæreditaria est, et quæ contenta magistratum electione, deliberationes ad paucos et maxime idoneos transmittit, et simpliciter quæ *monarcharum* regimen maxime, *populi* minime imitatur, eam civibus singulis et meliorem cæteris et diuturniorem esse.

CAPUT XI.

LOCA ET EXEMPLA SCRIPTURÆ SACRÆ DE JURE REGNI,
QUÆ SECUNDA VIDENTUR ANTEDICTIS.

1. Initium civitatis institutiæ, a consensu populi.
2. Judicia et bella dependere ab arbitrio imperantium summorum.
3. Eos, qui summum imperium habent, jure puniri non posse.
4. Sine summo imperio non esse civitatem, sed anarchiam.
5. Servos et filios debere dominis et parentibus simplicem obedientiam.
6. Absolutum imperium evidentissimis tam Novi quam Veteris Testamenti locis comprobatur.

Initium civitatis institutiæ, a consensu populi.

1. INITIUM civitatis institutiæ sive politicæ, capitis sexti articulo secundo, a consensu multitudinis ita derivavimus, ut omnes consentire vel pro hostibus censori oportere appareat. Tale fuit initium regni Dei super Judæos institutum per Moysen (Exod. xix. 5-8): *Si audieritis vocem meam, etc. eritis mihi in regnum sacerdotale, etc. Venit Moyses, et convocatis majoribus natu populi, etc. responditque omnis populus simul: cuncta, quæ loquutus est Dominus, faciemus.* Tale quoque fuit initium potestatis Moysis sub Deo,

sive potestatis proregiæ (Exod. xx. 18, 19) : *Cunctus populus videbat voces et lampades, etc. dicentes Moysi: loquere tu nobis, et audiemus.* SECT. III.
11.

Simile erat initium regni Saulis (1 Sam. xii. 12, 13) : *Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi; nequaquam, sed rex imperabit nobis, cum Dominus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petiistis.* Consentientibus autem non omnibus, sed majore parte, (nam erant, 1 Sam. x. 27, *Filii Belial qui dixerunt; num salvare nos poterit iste? et despexerunt eum*) illi, qui non consenserunt, tanquam hostes ad necem quærebantur. *Quis est, ait populus ad Samuelem (1 Sam. xi. 12), qui dixit, Saul non regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos.*

2. Eodem capite sexto, articulis sexto et septimo, ostensum est, tum *judicia*, tum *bella* ab arbitrio dependere ejus, qui summum habet in civitate imperium; id est, in *monarchia* unius *monarchæ* sive *regis*. Id autem confirmatur iudicio ipsius populi (1 Sam. viii. 20) : *Erimus nos quoque sicut omnes gentes, et JUDICABIT nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit BELLA nostra pro nobis.* Et testimonio regis Salomonis, quod attinet ad *judicia*, et ad omnia de quibus disputari potest, an sint *bona* an *mala* (1 Reg. iii. 9) : *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum JUDICARE possit, et discernere inter BONUM et MALUM.* Et Absalonis (2 Sam. xv. 3) : *Non est qui te audiat constitutus a rege.*

3. Quod reges puniri a subditis non possint, sicut ostensum est supra, capitis sexti articulo duodecimo, confirmat rex David, qui, cum quæreretur

Judicia et bella
dependere ab ar-
bitrio imperan-
tium summorum.

Eos, qui sum-
mum imperium
habent, jure pu-
niri non posse.

SECT. III. ^{11.} a Saule ad mortem, abstinuit tamen a cæde ejus, prohibetque Abisaium dicens (1 Sam. xxvi. 9): *Ne interficias eum; quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?* Et cum præcidisset oram chlamydis ejus, *Propitius*, (inquit 1 Sam. xxiv. 7) *mihî sit Dominus, ne faciam, hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum.* Et Amalekitam, qui Saulem quamquam in ipsius gratiam interfecerat, jussit tamen (2 Sam. i. 15) interfici.

Sine summo imperio, non esse civitatem, sed anarchiam.

4. Quod habetur Judic. xvii. 6: *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*, tanquam ubi non sit *monarchia*, ibi sit *anarchia* seu confusio omnium rerum, adduci posset ad probandum excellentiam regni supra omnes alias civitatis formas; nisi quod per vocem *rex* possit forte intelligi non modo *unus homo*, sed etiam *una curia*, modo summum in ea resideat imperium. Quod si sic accipiatur, hoc tamen inde efficitur, ut sine summo et absoluto imperio (quod toto capite sexto probare conati sumus) cuilibet licebit quicquid libebit, sive quicquid sibi rectum videbitur; quod stare non potest cum conservatione generis humani, ideoque imperium summum ex lege naturæ in omni civitate intelligitur existere alicubi.

Servos et filios debere dominis et parentibus simplicem obedientiam.

5. *Servos dominis* simplicem debere obedientiam diximus, cap. viii art. 7, 8, et *filios patribus*, cap. ix. art. 7. Idem dicit sanctus Paulus, nimirum de servis (Col. iii. 22): *Servi obedite per OMNIA dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* De filiis (Col. iii. 20): *Filii obedite parentibus per OMNIA; hoc enim placitum est*

in Domino. Sicut autem nos per simplicem obedientiam intelligimus OMNIA quæ non sunt contra leges Dei, ita, in locis illis sancti Pauli citatis, post vocem OMNIA subintelligendum est, *præter ea quæ sunt contra leges Dei.*

SECT. III.

11.

6. Sed ne jus principum minutatim persequar, ea jam producam quæ totam potestatem eorum, nempe deberi iis a subditis suis obedientiam simplicem et absolutam, simul stabiliunt. Et primum ex Novo Testamento: Matth. xxiii. 2, 3. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei. OMNIA ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite. Omnia, inquit, facite, hoc est, obedite simpliciter.* Quare? quia sedent super *cathedram Moysis*, nimirum, *principis civilis*, non *Aaronis* sacerdotis. Rom. xiii. 1, etc.: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, etc.* Quoniam ergo potestates, quæ erant tempore sancti Pauli, a Deo ordinatæ fuerunt, omnes autem reges eo tempore requirebant a subditis suis integram obedientiam, sequitur talem potestatem a Deo fuisse ordinatam. 1. Pet. ii. 13-15: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei.* Rursus sanctus Paulus ad Titum (Cap. iii. 1): *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Quibus principibus? Nonne principibus temporum illorum, qui obedientiam exigebant sim-

Absolutum imperium evidentiæ tam Novi quam Veteris Testamenti locis comprobatur

SECT. III. plicem? Deinde, ut veniamus ad exemplum ipsius

11.

Absolutum
imperium evi-
dentissimis tam
Novi quam Vete-
ris Testamenti lo-
cis comprobatum

Christi, cui jure hæreditario a Davide derivato debebatur regnum Judæorum, is, cum more subditi viveret, tributum Cæsari et pendebat, et Cæsaris esse pronuntiabat. *Reddite*, inquit, (Matth. xxii. 21) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*. Idem, cum placuisset ei regem agere, obedientiam integram requirebat. *Ite*, inquit (Matth. xxi. 2, 3): *in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea; solvite et adducite mihi: et si quis aliquid dixerit, dicite, quod Dominus his opus habet*. Fecit igitur hoc jure domini, sive regis Judæorum. Tollere vero subdito bona sua, eo nomine quod *dominus opus habet*, imperium absolutum est. Loca Testamenti Veteris in eandem sententiam evidentissima, hæc sunt; Deut. v. 27: *Tu accede, et audi CUNCTA quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea*. At sub vocem illam, *cuncta*, integra continetur obedientia. Rursus ad Josuen (Josu. i. 16-18): *Responderuntque ad Josuen, atque dixerunt, OMNIA quæ præcepisti nobis faciemus, et quocunque miseris, ibimus; sicut obedivimus in CUNCTIS Moysi, ita obediemus et tibi; tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit ori tuo, et non obedierit CUNCTIS sermonibus, quos præceperis ei, moriatur*. Et parabola rhamni (Jud. ix. 14, 15): *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, veni et impera super nos. Quæ respondit iis, si vere me regem constituitis, venite et sub umbra mea requiescite; sin autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno et devoret cedros Libani*. Quorum verborum sententia est,

acquiescendum esse dictis eorum, quos vere reges in nos constituimus, ni velimus incendio belli civilis consumi. Particularius autem describitur potentia regia a Deo ipso per Samuelem (1 Sam. viii. 9, etc.): *Prædic iis jus regis, qui regnaturus est super eos, etc. Hoc erit jus regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, etc. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, etc. Oliveta optima tollet, et dabit servis suis, etc.* Nonne est potentia hujusmodi absoluta? Veruntamen ab ipso Deo appellatur **JUS REGIS**. Neque videtur quisquam, ne *sacerdos* quidem *summus* apud Judæos, ab obedientia hac exemptus fuisse. Ubi enim (1 Reg. ii. 26, 27) *Abiatharo sacerdoti dixit rex, nimirum Salomon: Vade in Anathoth ad agrum tuum; equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, et sustinisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus. Et ejecit Salomon Abiatharum, ut non esset sacerdos Domini:* nullo argumento colligi potest, factum illud Deo displicuisse; neque enim reprehendi Salomonem, aut personam ejus eo tempore parum Deo acceptam fuisse legimus.

SECT. III.

11.

Absolutum
 imperium evi-
 dentissimis tam
 Novi quam Vete-
 ris Testamenti lo-
 cis comprobatur



CAPUT XII.

DE CAUSIS INTERNIS CIVITATEM DISSOLVENTIBUS.

1. Judicationem boni et mali ad singulos pertinere, seditiosa opinio.
2. Peccare subditos obediendo principibus suis, seditiosa opinio.
3. Tyrannicidium esse licitum, seditiosa opinio.
4. Subjectos esse legibus civilibus etiam eos qui habent summum imperium, seditiosa opinio.
5. Imperium summum posse dividi, seditiosa opinio.
6. Fidem et sanctitatem non studio et ratione acquiri, sed semper supernaturaliter infundi et inspirari, seditiosa opinio.
7. Civibus singulis esse rerum suarum proprietatem, sive dominium absolutum, seditiosa opinio.
8. Ad seditionem disponit, nescire differentiam inter populum et multitudinem.
9. Ad seditionem disponit exactio nimia pecuniarum, quamvis justa et necessaria.
10. Ad seditionem disponit ambitio.
11. Ad seditionem disponit spes successus.
12. Virtus, qua opus est ad seditiones excitandas, sola eloquentia est sine sapientia.
13. Quomodo stultitia vulgi et eloquentia ambitiosorum, concurrant ad rempublicam dissolvendam.

SECT. III.

12.

Judicationem boni et mali ad singulos pertinere, seditiosa opinio.

1. HACTENUS quibus causis et quibus pactis civitates constitutæ sint, et quæ sint imperantium in cives jura, dictum est. Jam quibus causis eædem dissolvantur, sive de causis seditionum, breviter dicendum est. Quemadmodum autem in motu corporum naturalium considerata tria sunt, nimirum, *dispositio interna*, ut sint producendi motus susceptibilia; *agens externum*, quo motus certus et determinatus actu producat; *et ipsa actio*: ita etiam in civitate, ubi cives tumultuantur, tria considerata occurrunt, primum, *doctrinæ et affectus paci contrarii*, quibus singulorum animi disponuntur; secundum, quales sunt qui jam dispositos ad secessionem et arma sollicitant, convocant, diriguntque; tertium, modus quo id fit, sive ipsa *factio*. Doctrinarum autem, quæ ad seditionem disponunt,

una et prima hæc est; *cognitionem de bono et malo pertinere ad singulos*. In statu quidem naturali, ubi jure æquali singuli vivunt, nec se per pacta sua aliorum imperio submiserunt, veram eam esse concedimus, imo capite primo, articulo nono, probavimus. Sed in statu civili, falsa est. Ostensum enim est capite sexto, articulo nono, regulas *boni et mali, justi et injusti, honesti et inhonesti*, esse leges civiles, ideoque quod legislator præceperit, id pro *bono*; quod vetuerit, id pro *malo* habendum esse. Legislator autem semper is est, cujus est in civitate imperium summum, hoc est, in monarchia monarcha. Idem confirmavimus, capituli undecimi articulo sexto, ex verbis *Salamonis*. Siquidem enim sequendum ut bonum, et fugiendum ut malum, esset id, quod singulis visum fuerit, quorum spectant verba ejus: (1 Reg. iii. 9) *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum*. Quoniam ergo regum est discernere inter *bonum et malum*, iniquæ sunt illæ, quamquam quotidianæ, voces: *Regem esse, qui recte facit*; et *regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint*; et aliæ similes. Ante imperia, *justum et injustum* non exstiterunt; ut quorum natura ad mandatum sit relativa: actioque omnis sua natura adiaphora est; quod *justa* vel *injusta* sit, a jure imperantis provenit. Reges igitur legitimi quæ imperant, *justa* faciunt imperando; quæ vetant, vetando *injusta*. Privati autem homines dum cognitionem *boni et mali* ad se trahunt, cupiunt esse sicut reges; quod salva civitate fieri non potest. Omnium Dei præceptorum antiquissimum est (Gen. ii. 17): *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas*: et antiquissima tentationum diabolicarum

SECT. III.

12.

Judicationem boni et mali ad singulos pertinere, seditiosa opinio.

SECT. III. (Gen. iii. 5.): *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Et prima Dei cum homine expostulatio (Gen. iii. 11): *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Quasi diceret, unde iudicasti nuditatem, in qua visum est mihi te creare, inhonestam esse, nisi quod *cognitionem* honesti et inhonesti tute tibi arrogasti?

Peccare subditos
obediendo prin-
cipibus suis, se-
ditiosa opinio.

2. Peccatum est quicquid quis fecerit contra conscientiam; nam qui id faciunt, legem spernunt. Sed distinguendum est; peccatum meum est, quod faciens, peccatum meum esse puto; quod vero peccatum alienum esse puto, possum quandoque sine peccato meo facere. Nam si jubeam facere quod peccatum jubentis est, modo qui jubet jure dominus meus sit, id si facio, non pecco: non enim si militavero jussu civitatis, putans bellum injuste susceptum esse, idcirco injuste fecero, sed potius, si militare recusavero, cognitionem justi et injusti, quæ pertinet ad civitatem, mihi arrogans. Qui distinctionem hanc non observant, quotiescunque eis aliquid imperatum erit, quod illicitum vel est vel videtur esse, incident in peccandi necessitatem. Nam facient contra conscientiam, si obederint; contra jus, si non obederint. Si fecerint contra conscientiam, monstrant se non metuere poenas futuri seculi; si fecerint contra jus, tollunt, quantum in se est, societatem humanam et vitam civilem seculi præsentis. Opinio igitur eorum, qui docent *peccare subditos, quoties mandata principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exsequuntur*, et erronea est, et inter eas numeranda, quæ obedientiæ civili adversantur; dependet autem ab originali illo errore, quem supra præcedente ar-

ta vimus. ~~ta vimus.~~ Nam per ~~ta vimus.~~ *judicium nostrum boni et mali, facimus ipsi, ut tam obedientia nostra, quam inobedientia sit peccatum.*

SECT. III.

12.

3. Tertia doctrina seditiosa ab eadem radice orta est, *tyrannicidium esse licitum.* Imo hodie a nonnullis theologis, et olim ab omnibus sophistis Platone, Aristotele, Cicerone, Seneca, Plutarcho, cæterisque Græcæ et Romanæ anarchiæ fautoribus, non modo licitum, sed etiam maxima laude dignum existimatum est. *Tyrannorum* autem nomine intelligunt non solum monarchas, sed omnes eos qui imperium summum in quocunque genere civitatis administrant. Non enim Athenis Pisistratus tantum, qui solus imperium habuit, sed post eum triginta viri, qui simul dominati sunt, singuli *tyranni* appellabantur. Sed is, quem occidi, ut *tyrannum*, volunt, vel jure imperat, vel absque jure: si absque jure, hostis est, et jure occiditur; sed dici debet hoc non *tyrannicidium*, sed *hosticidium*: si jure imperium obtinet, locum habet interrogatio divina, *quis indicavit tibi, quod tyrannus esset, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Quare enim appellas tu *tyrannum*, quem Deus *regem* fecit, nisi tu, privatus existens, cognitionem ad te trahas *boni et mali*? Quam perniciosa vero civitatibus, præsertim vero *monarchiis*, opinio hæc sit, ex eo facile intelligitur, quod per eam quilibet *rex*, sive malus sive bonus, unius sicarii et judicio condemnandus et manu jugulandus exponitur.

Tyrannicidium esse licitum, seditiosa opinio.

4. Quarta societati civili adversa opinio eorum est, qui censent *legibus civilibus subjectos esse etiam eos qui habent summum imperium.* Quam veram non esse satis ostensum est supra, capite sexto articulo quatuordecimo, ex eo quod civitas

Subjectos esse legibus civilibus etiam eos qui habent summum imperium, seditiosa opinio.

SECT. III.
12.

Subjectos esse legibus civilibus etiam eos qui habent summum imperium, seditiosa opinio.

neque sibi ipsi, neque civi cuiquam obligari potest : non sibi, quia nemo obligatur nisi alii ; non civi, quia civium voluntates singulæ in voluntate civitatis continentur ; ita ut si civitas se liberam a tali obligatione esse velit, etiam cives velint, et proinde libera sit. Quod autem de civitate verum est, id verum esse intelligitur de eo homine, vel cœtu hominum, qui summam habet potestatem ; illi enim civitas sunt, quæ nisi per summam eorum potestatem non existit. Quod autem opinio hæc cum essentia civitatis consistere non possit, ex eo patet, quod per eam *cognitio justî et injusti*, hoc est, quid sit, quid non sit, contra leges civiles, definire, ad singulos rediret. Cessabit ergo obedientia, quoties imperatum aliquod videbitur contra leges, atque una omnis potestas coactiva ; quod salva civitatis essentia fieri non potest. Magnos tamen habet error hic fautores, Aristotelem et alios, qui, propter impotentiam humanam, civitatis potestatem summam solis legibus deferendam esse arbitrantur. Videntur autem in naturam civitatis parum profunde inspexisse, qui potestatem coactivam, legum interpretationem, et legum lationem, quæ necessariæ civitati potestates sunt, ipsis legibus relinquendas esse existimaverint. Quamquam autem cives singuli cum ipsa civitate contendere iudicio et lege agere interdum possint, id tamen locum habet tunc solum, quando quæstio non est de eo quod civitas possit, sed de eo quod certa quadam lege voluit. Ut, cum de capite civis agitur quacunque lege, quæstio non est, an civitas jure suo absoluto vitam ejus tollere possit, sed an per legem illam tollendam esse voluerit. Voluit autem, si legem violavit ; alioqui noluit. Quod igitur civitas suis ipsius le-

gibus obstricta sit, non satis argumenti est, quod actio legis competat civi adversus civitatem. In contrarium, patet civitatem suis ipsius legibus non teneri, quia nemo obligatur sibi. Ponuntur ergo leges *Titio et Cajo*, non civitati: utcunq̄ ambitione jurisconsultorum factum sit, ut leges non ab autoritate civitatis, sed ab eorum prudentia dependere, imperitis videantur.

SECT. III.

12.

5. Quinta, *imperium summum dividi posse*, exitiosissima civitatibus doctrina est. Alii autem aliter dividunt. Sunt enim qui ita dividunt, ut summum imperium in iis rebus, quæ ad pacem et commoda hujus vitæ pertinent, potestati civili concedant; in iis vero, quæ ad salutem animæ spectant, in alios transferant. Contingit autem, quia justitia ad salutem maxime omnium rerum necessaria est, ut cives justitiam metientes, non sicut debent, per leges civiles, sed per mandata et doctrinas eorum qui respectu civitatis vel privati sunt vel externi, superstitioso metu obedientiam principibus debitam præstare nolint; ipso metu in id, quod metuunt, incidentes. Quid autem perniciosius civitati esse potest, quam ut homines ne principibus, hoc est, ne legibus obediant, seu, ne justii sint, æternorum cruciatuum intentatione deterreantur? Sunt etiam qui summum imperium ita dividunt, ut potestatem summam belli et pacis uni, quem *monarcham* vocant, sed pecuniam imperandi jus non illi, sed aliis tribuunt. Quoniam autem et belli et pacis nervi sunt pecuniæ, qui sic dividunt, aut non rem ipsam dividunt, sed imperium quidem illis dant, in quorum potestate est pecunia, nomen vero alteri; vel, si dividunt, civitatem dissolvunt. Neque enim bellum, si opus est, geri, neque pax publica sine pecunia conservari potest.

Imperium
summum
posse dividi
seditionis opinio

SECT. III.

12.

Fidem et sanctitatem non studio et ratione acquiri, sed semper supernaturaliter infundi et inspirari, seditiosa opinio.

6. Vulgo docetur, *fidem et sanctitatem non studio et ratione naturali acquiri, sed semper supernaturaliter hominibus infundi vel inspirari*. Quod si verum esset, non video quare rationem fidei nostræ reddere juberemur, aut cur is non sit propheta, quisquis vere Christianus est; aut denique, quare non unusquisque quid faciendum et quid fugiendum sibi sit, ex propria potius inspiratione, quam ex præceptis imperantium aut recta ratione æstimaret. Reditur igitur ad *cognitionem privatam boni et mali*, quæ concedi non potest sine civitatum dissolutione. Opinio hæc adeo late per orbem Christianum diffusa est, ut numerus apostatarum a ratione naturali pene infinitus sit. Nata autem est ab insanis hominibus, qui, Scripturarum lectione copiam verborum sacrorum nacti, ita ea concionando connectere soliti sunt, ut eorum oratio, nihil significans, imperitis tamen hominibus divina videatur. Cujus enim ratio nulla, oratio divina apparet, is necessario divinitus videbitur inspiratus.

Civibus singulis esse rerum suarum proprietatem sive dominium absolutum, seditiosa opinio.

7. Septima civitatibus adversa doctrina est, *civibus singulis earum rerum, quas possident, absolutum esse dominium*: hoc est, *proprietatem* talem, quæ jus cæterorum omnium, non modo concivium, sed etiam ipsius civitatis in easdem res excludit. Id quod verum non est. Nam qui *dominum* habent, *dominium* non habent, ut probatum est capite octavo, articulo quinto. Civitas autem civium omnium domina est, ex constitutione. Ante susceptum jugum civile, nemini erat quicquam *juris proprii*, omnia omnibus *communia* erant. Dic ergo, unde tibi *proprietas* hæc, nisi a civitate? Unde autem civitati, nisi quod unusquisque jus suum in civitatem transtulisset? Et tu ergo tuum jus civitati quoque

concessisti. *Dominium* ergo et *proprietas* tua tanta est et tamdiu durat, quanta et quamdiu ipsa vult. Sicut in familia, filiorum singulorum *propria* sunt bona, quæ et quamdiu vult pater. Sed multo maxima pars hominum, qui prudentiam civilem profitentur, rationem aliter colligunt. *Æquales*, inquit, natura sumus; nulla causa est quare quis rem meam mihi meliore jure auferat, quam ego illi suam; scimus ad defensionem publicam pecunia aliquando opus esse; sed qui eam exigunt, opus esse monstrent, et a volentibus accipient. Nesciunt, qui sic loquuntur, ea quæ fieri volunt, jam ab initio in ipsa civitatis constitutione facta esse; ideoque loquentes tanquam in multitudine dissoluta et nondum facta civitate, factam dissolvunt.

SECT. III.

12.

8. Ultimo loco, regimini civili adversatur, præsertim vero monarchico, quod homines non satis distinguant inter *populum* et *multitudinem*. *Populus* est *unum* quid, *unam* habens *voluntatem*, et cui actio *una* attribui possit. Nullum horum de multitudine dici potest. *Populus* in omni civitate regnat; nam et in *monarchiis* *populus* imperat; vult enim *populus* per voluntatem *unius hominis*. *Multitudo* vero cives sunt, hoc est subditi. In *democratia* et *aristocratia*, cives sunt *multitudo*; sed *curia* est *populus*. Et in *monarchia*, subditi sunt *multitudo*, et, quamquam paradoxum sit, *rex* est *populus*. Vulgus hominum, et alii, qui hæc ita esse minime animadvertunt, de *magno numero* hominum semper loquuntur tanquam de *populo*, hoc est, de *civitate*: dicuntque rebellasse *civitatem* contra *regem*, quod est impossibile; et *populum* velle et nolle, quod volunt et nolunt molesti et mussitantes subditi sub prætextu *populi*, *cives* contra *civitatem*,

Ad seditionem
disponit, necire
differentiam
inter populum
et multitudinem.

SECT. III. hoc est, *multitudinem* contra *populum* animantes.

12.

Atque hæ fere sunt opiniones, quibus imbuti cives faciles sunt ad tumultuandum; et si quidem majestas in omni civitate ei vel eis conservanda sit, qui summum habet vel habent imperium, his opinionibus crimen læsæ majestatis adhæret naturaliter.

Ad seditonem disponit exactio nimia pecuniarum, quamvis justa et necessaria.

9. Animum humanum ægritudine afficit maxime omnium rerum *egestas*, sive earum rerum, quæ ad vitam et dignitatem tuendam necessariæ sunt, *inopia*. Et quamquam nemo sit, qui nesciat opes industria comparandas et parsimonia conservandas esse, omnes tamen inopes culpam ab ignavia et luxuria propria in regimen civitatis, tanquam re privata publicis exactionibus detrita, transferre solent. Debent autem homines considerare, non modo laborandum esse iis, quibus patrimonium non est, ut vivant, sed etiam pugnandum, ut laborent. Unusquisque Judæorum, qui tempore Esdræ muros Hierusalem ædificabant, una manu faciebat opus, altera tenebat gladium. In omni civitate cogitandum est, manum, quæ gladium tenet, esse *regem* vel *curiam summam*, et ab industria civium non minus alendam esse illa, qua quisque fortunam suam privatam fabricatur: *rectigalia* autem et *tributa* nihil aliud esse, præter mercedem eorum qui armati vigilant, ne industria singulorum incursu hostium impediatur; nec magis justam querimoniam esse eorum, qui paupertatem suam pensionibus publicis imputant, quam si dicerent inopes se fieri propter solutionem debitorum. Sed nihil horum cogitat maxima pars hominum. Patiuntur enim idem quod in morbo, qui appellatur *incubus*; qui, ortus ab ingluvie, facit tamen homines putare se invadi, et magno pondere opprimi et suffocari.

Quod autem ii, qui videntur sibi tota civitatis mole oppressi, proni ad seditiones sint; quodque novis rebus delectentur, quibus præsentes nocent, satis per se manifestum est.

SECT. III
12.

10. Altera animi ægritudo, civitatibus noxia, eorum est, qui otio abundantes carent dignitate. Ad honores et claritudinem natura quidem omnes contendunt; illi vero maxime, qui minime rerum necessariarum sollicitudine distringuntur. Hos enim partim ad disserendum inter se de republica, partim ad historicorum, oratorum, politicorum, aliorumque librorum facilem lectionem otium cogit. Inde autem contingit, ut ad res maximi momenti administrandas et ab ingenio et a doctrina instructos se esse arbitrentur. Quoniam autem non omnes sunt, quod sibi videntur esse, et si essent, non tamen omnes, propter multitudinem, ad munera publica adhiberi possent, necesse est multos præteriri. Hi igitur contumeliam sibi fieri existimantes, nihil magis in votis habere possunt, tum invidia in sibi prælatos, tum emergendi spe, quam ut consilia publica eventus infelices sortiantur. Ideoque mirum non est, si rerum novarum occasiones cupidis animis opperiantur.

Ad seditionem
disponit ambitio.

11. Inter affectus seditiosos numeranda est etiam *spes vincendi*. Sint enim homines, quantum quis voluerit, opinionibus paci et regimini civili repugnantibus imbuti; sint, quantum fieri potest, injuriis et contumeliis, ab iis qui in autoritate sunt, læsi et lacessiti; si tamen *vincendi spes* nulla aut non satis magna appareat, nulla sequetur seditio; dissimulant singuli, et gravia potius ferent quam graviora. Ad hanc *spem* necessario requiruntur quatuor, *numerus, instrumenta, mutua fiducia, et duces*. Sine

Ad seditionem
disponit spes
succensus.

SECT. III. *numero magno, magistratibus publicis resistere non*
 12. *seditio, sed desperatio est. Per instrumenta intel-*
ligo arma et com meatum, quæ si absint, numerus
nihil valet, sicut neque arma sine mutua fiducia,
neque hæc omnia sine unione sub duce aliquo, cui
obedire, non ut obligati quod se ipsius imperio sub-
miserint, (supposuimus enim hoc ipso capite, hu-
jusmodi homines nescire se obligari ultra id quod
sibimet ipsis rectum et bonum visum fuerit,) sed
propter existimationem virtutis, et prudentiæ mili-
taris, vel similitudinem affectuum, sponte velint.
Quatuor hæc si hominibus præsentia moleste fe-
rentibus, et jus actionum suarum proprio judicio
metientibus, in propinquo sint, ad seditionem et
civitatis confusionem præterea nihil deest præter
aliquem, qui ipsos acuat et concitet.

Virtus, qua opus
 est ad seditiones
 excitandas, sola
 eloquentia est
 sine sapientia.

12. Catalinæ, quo nemo unquam magis ad se-
 ditiones factus fuit, character apud Salustium hic
 est, quod haberet *eloquentiæ satis, sapientiæ pa-*
rum. Separat ille *sapientiam* ab *eloquentia*, hanc
 homini ad turbas nato ut necessariam attribuens,
 illam ut pacis dictatricem abjudicans. *Eloquentia*
 autem duplex est; altera sententiæ et conceptuum
 animi perspicua et elegans explicatrix, oriturque
 partim a rerum ipsarum contemplatione, partim a
 verborum in propria et definita significatione ac-
 ceptorum intelligentia; altera est affectuum animi,
 quales sunt *spes, metus, ira, misericordia*, com-
 motrix, oriturque ex usu verborum metaphorico et
 ad affectus accommodato. Illa ex veris principiis;
 hæc ex jam receptis opinionibus, qualescunque eæ
 sint, orationem textit. Illius ars logica; hujus
 rhetorica est. Illius finis veritas est; hujus victoria.
 Utraque suum usum habet, illa in deliberationibus;

hæc in hortationibus. Illa enim a *sapientia* nunquam disjungitur; hæc vero fere semper. Quod autem hujusmodi *eloquentia potens*, separata a rerum scientia, hoc est, a sapientia, verus character sit eorum qui populum ad res novas sollicitant et concitant, ex ipso opere, quod faciendum habent, facile colligitur. Neque enim imbuere populum absurdis illis opinionibus paci et societati civili contrariis possent, nisi ipsi easdem tenerent; quod ignorantiae majoris est, quam quæ possit cadere in hominem sapientem. Quis enim, qui nescit unde leges vim suam derivent; quæ sint *justi, injusti, honesti, inhonesti, boni, mali*, regulæ; quid pacem inter homines conciliet et conservet, quid destruat; quid sit *suum*, quid *alienum*; quid denique sibi fieri velit, ut idem alteri faciat; vel mediocriter sapiens existimandus est? Quod autem auditores suos ex stultis insanos reddere possunt; quod facere possunt ut quibus male est, pejus, quibus recte, male esse videatur; quod spem amplificare, pericula extenuare, præter rationem iidem possunt; id ab eloquentia habent, non ab ea, quæ res sicut sunt ita explicat, sed ab altera illa, quæ commovendo animos facit apparere omnia, qualia ipsi animis prius commotis ea conceperunt.

13. Ad disponendum civium animos ad *seditiones*, multi etiam eorum, qui bene erga civitatem affecti sunt, dum dictis opinionibus conformem doctrinam adolescentibus in scholis, et omni populo e cathedris, insinuant, per inscitiam cooperantur. Qui vero dispositionem illam in actum perducere volunt, totum ambitionis laborem in eo ponunt, primum, ut male affectos in *factionem* et *conspirationem* conjungant; deinde, ut ipsi in *factione* plurimum

SECT. III.

12.

Quomodo stultitia vulgi, et eloquentia ambitiosorum, concurrant ad rem publicam dissolvendam.

SECT. III.
12.

Quomodo stultitia vulgi, et eloquentia ambitiosorum, concurrant ad rempublicam dissolvendam.

polleant. In *factionem* conjungunt, dum internuncios se et interpretes faciunt consiliorum et actionum singulorum, nominantque personas et loca ad conveniendum et de iis rebus, quibus regimen civitatis, prout sibi videbitur commodum, reformetur, deliberandum. Ut vero in *factione* ipsi dominantur, *factio* in *factione* habenda est; scilicet seorsim cum paucioribus conventus secretos habere oportet, ubi ordinare possint, quid postea in conventu generali proponendum sit et a quibus, et quid quisque eorum et quo ordine debeat dicere, et quomodo potentissimos et existimatione apud *factionis* vulgus florentissimos ad suam sententiam possint trahere. Atque hoc modo cum *factionem* satis magnam habeant, in qua per eloquentiam dominantur, incitant eam ad res capessendas, atque ita rempublicam aliquando quidem opprimunt, nimirum, cum factio contraria nulla sit; plerumque vero lacerant, et bellum civile introducunt. Concurrunt enim *stultitia* et *eloquentia* ad subversionem civitatis, eo modo quo conspirarunt quondam, ut est in fabula, filiæ Pelix regis Thessaliæ cum Medea, contra patrem suum. Volentes illæ decrepito seni restituere adolescentiam, consilio Medæ in frustra concisum igni coquendum imponunt, expectantes frustra dum revivisceret. Eodem modo vulgus stultitia sua, velut puellæ Pelix, cupientes civitatem veterem renovare, ducti *eloquentia* ambitiosorum hominum tanquam beneficio Medæ, eam *factionibus* divisam incendio sæpius consumunt quam reformant.

www.libtool.com.cn

CAPUT XIII.

DE OFFICIIS EORUM QUI SUMMUM IMPERIUM

ADMINISTRANT.

1. Distinguitur summi imperii jus ab exercitio. 2. Salus populi suprema lex. 3. Imperantium est respicere ad utilitatem plurius communem, non ad hujus vel illius propriam. 4. Per salutem intelligi omnia commoda. 5. Quæritur an regum officium sit saluti animarum civium suorum providere, prout ipsis secundum conscientiam propriam optimum videbitur. 6. Salus populi in quo consistat. 7. Exploratores necessarios esse ad defensionem populi. 8. Milites, arma, præsidia, pecuniam tempore pacis parata habere, necessarium etiam ad defensionem populi. 9. Recta institutio civium in doctrina civili, paci conservandæ necessaria. 10. Onera publica æqualiter distribuere, paci conservandæ conducibile. 11. Æquitatis naturalis esse, ut pecuniæ taxentur, pro ratione eorum quæ quisque consumit, non quæ possidet. 12. Ad pacem conservandam conducere, ambitiosos premere: 13. Et factiones dissolvere. 14. Ad locupletandos cives conducere leges, quibus artes lucrativæ foveantur, et quibus sumtus coerceantur. 15. Non esse plura legibus definienda, quam postulat civium et civitatis commodum. 16. Pœnas non majores sumendas quam quæ legibus præfinitæ sunt. 17. Civibus contra judices corruptos jus reddendum.

1. APPARENT ex hactenus dictis in unoquoque civitatis genere *officia* civium et subditorum; et quid summi imperantes in eos *possint*. Ipsorum autem imperantium *officia*, et quo modo in subditos gerere se debeant, nondum dictum est. Distinguendum autem est inter summi imperii *jus* et *exercitium*; possunt enim separari; ut puta, cum is, qui habet *jus*, vel non possit vel nolit litibus judicandis vel rebus deliberandis ipse interesse. Reges enim aliquando per ætatem res gerere non possunt; quandoque etiam, etsi possunt, rectius tamen esse judicant, contenti electione ministrorum et consi-

SECT. III.

13.

Distinguitur
summi imperii
jus ab exercitio.

SECT. III.

13.

liariorum, imperium per eos exercere. Ubi autem separantur *jus* et *exercitium*, ibi regimen civitatis simile est regimini mundi ordinario, quo Deus, primus omnium motor, effectus naturales producit per ordinem causarum secundarum. Ubi vero qui jus regni obtinet, omnibus judiciis, consultationibus, actionibusque publicis ipse interesse vult, ibi administratio talis est, ac si Deus, præter naturæ ordinem, se ipsum ad materiam omnem immediate applicaret. De *officiis* igitur eorum, qui summum imperium sive proprio sive alieno jure administrant, hoc capite summam et breviter dicemus. Neque enim instituti mei est in ea descendere, quæ principes alii ab aliis diversa agere possint. Hoc enim politicis practicis in singulis civitatibus relinquendum est.

Salus populi
suprema lex.

2. Imperantium autem officia omnia hoc uno dicto continentur: *salus populi suprema lex*. Quamquam enim ii, qui summum inter homines imperium obtinent, legibus proprie dictis, hoc est, hominum voluntati subjici non possunt; quia summum esse, et aliis subjici, contradictoria sunt; *officii* tamen eorum est rectæ rationi, quæ lex est naturalis moralis et divina, quantum possunt in omnibus obedire. Quoniam autem imperia pacis causa constituta sunt, et pax propter salutem quæsitâ, qui in imperio positus, eo aliter quam ad salutem populi uteretur, faceret contra pacis rationes, hoc est, contra legem naturalem. Sicut autem salus populi legem dictat, per quam principes cognoscunt *officium*; ita etiam artem docet, per quam iidem comparant beneficium. Potentia enim civium, potentia est civitatis, id est, ejus qui summum in civitate habet imperium.

3. Per *populum* intelligitur hoc loco, non persona una civilis, nempe ipsa civitas quæ regit, sed multitudo civium qui reguntur. Civitas enim non sui, sed civium causa instituta est. Neque tamen *hujus* et *illius* ratio habenda est. Non enim imperans, quatenus talis, civium saluti aliter prospicit, quam per leges, quæ universales sunt; ideoque *officio* satisfecit, si toto conatu id egerit, ut per salutare constitutiones quam plurimis recte sit, et quam diutissime; neque male cuiquam, nisi sua culpa, aut casu cui provideri non potuerat. Expedi autem aliquando saluti plurimorum, ut male iis sit qui mali sunt.

SECT. III.

13.

Imperantium est respicere ad utilitatem plurimum communem, non ad hujus vel illius propriam.

4. Per *salutem* autem intelligi debet non sola vitæ qualitercunque conservatio, sed quatenus fieri potest vita beata. Nam eo fine homines in civitates *institutas* sponte coiere, ut possent, quantum conditio fert humana, jucundissime vivere. Facerent ergo ii, qui summum imperium in eo genere civitatis administrandum in se susceperunt, contra legem naturæ, quia contra fiduciam eorum qui imperii administrationem eis commiserunt, si non studerent, quantum legibus fieri potest, ut cives bonis omnibus, non ad vitam modo, sed etiam ad delectationem abunde instruantur. Qui vero armis imperia acquisiverunt, cupiunt omnes ut subditi sui, viribus tam animi quam corporis idonei sint ut ipsis serviant; quare contra finem et scopum proprium facerent, si non conarentur ut iis non modo ea quibus vivere, sed etiam quibus fortes esse possint, præbeantur.

Per salutem intelligi omnia commoda.

5. Inprimis autem ad *salutem æternam* plurimum interesse principes omnes credunt, quales de Deo teneantur opiniones, qualisque ei cultus exhibeatur.

Queritur an regum officium sit salutem animarum civium su-

SECT. III.

13.

orum providere,
prout ipsis se-
cundum consci-
entiam propriam
optimum vide-
bitur.

Quo supposito, quæri potest utrum summi imperatores, et quicumque sunt, sive unus sive plures, qui summum civitatis imperium administrant, non peccent contra legem naturæ, si talem doctrinam et talem cultum, quem ipsi civibus ad *salutem æternam* necessario conducere credunt, non faciant doceri et exhiberi, vel contrariam doceri vel exhiberi permittant? Manifestum est facere eos contra conscientiam, et velle, quantum in se est, æternam civium perditionem. Nam si non vellent, rationem non video quare committerent, (cum summi existentes cogi non possint), ut ea docerentur et facerent propter quæ damnandos eos esse credunt. Difficultatem autem hanc in medio relinquemus.

Salus populi
in quo consistat.

6. Commoda civium, quæ hanc tantum vitam spectant, in quatuor genera distribui possunt: primum, ut ab hostibus externis defendantur: secundum, ut pax interna conservetur: tertium, ut quantum cum securitate publica consistere potest, locupletentur: quartum, ut libertate innoxia perfruantur. Amplius enim ad felicitatem civilem, quam ut a bello externo et civili tuti opibus industria partis frui possint, summi imperatores conferre non possunt.

Exploratores
necessarios esse
ad defensionem
populi.

7. Ad defensionem populi duo necessaria sunt; *præmoneri et præmuniri*. Status enim civitatum inter se *naturalis*, id est, hostilis est. Neque si pugnare cessent, idcirco pax dicenda est, sed respiratio; in qua hostis alter alterius motum vultumque observans, securitatem suam non ex pactis, sed ex viribus et conciliis adversarii æstimat. Atque id jure naturali, ut capite secundo articulo decimo, ex eo quod pacta in statu naturali, quoties justus metus intercedit, sunt invalida, ostensum est. Necessarium igitur est ad civitatis defensionem, pri-

www.libtool.com
 mum, ut sit qui omnium eorum, qui civitati nocere possunt, quantum fieri potest, consilia et motus *exploret et presentiat*. Sunt enim ibi *exploratores* ad eos, qui summum imperium administrant, idem quod radii lucis ad animam humanam. Atque in visione politica, quam in naturali rectius dicemus, species rerum externarum sensibiles intelligibilesque ad animam, hoc est, eos qui summum imperium civitatis administrant, ab aliis non animadversas per aerem transportari; ideoque non minus necessarii sunt ad salutem civitatis, quam lucis radii ad salutem hominis: vel si comparentur aranearum telis, quæ, extensæ undiquaque subtilissimis filis, motus externos ipsis intus in cavernulis suis residentibus significant; non magis ii qui imperant, quid ad subditorum suorum defensionem imperato opus est, sine *exploratoribus*, quam illæ quando exeundum et quo accurrendum sit, sine filis suis scire possunt.

SECT. III.

13.

8. Deinde ad defensionem populi requiritur necessario ut sint *præmuniti*. Præmuniri autem est, militibus, armis, classe, propugnaculis, antequam instet periculum, comparatis, et pecunia jam com-
 portata instrui. Nam milites conscribere, arma conquirere, post acceptam cladem, si non impossibile, saltem serum est. Similiter propugnacula et præsidia non ante locis opportunis constituere quam fines invadantur, simile est rusticorum, ut dixit Demosthenes, qui, ignari artis gladiatoriæ, ab una parte corporis ad aliam, ictibus moniti, clypeos transferunt. Qui vero pecuniam ad milites alendos, et cæteras exercituum impensas, tunc imperari satis opportune putant, quando periculum incipit apparere, illi certe non considerant quam difficile sit tam

Milites, arma, præsidia, pecuniam tempore pacis parata habere, necessarium etiam ad defensionem populi.

SECT. III.

13.

magnam pecuniæ vim ab hominibus tenacibus subito corradere. Nam omnes fere, quod semel in bonis suis numeraverunt, ita suum et sibi proprium esse judicant, ut injuriam sibi fieri putent, quoties vel minimam ejus partem coguntur in publicum erogare. Ex eo autem, quod a portoriis et rerum venalium vectigali ad ærarium accedit, pecunia satis magna ad civitatem armis defendendam subito confici non potest. Pecunia itaque belli causa, si civitatem salvam esse volumus, tempore pacis congerenda est. Cum ergo explorare hostium consilia, arma et præsidia tenere, pecuniam in promptu habere, imperantibus ad salutem civium necessaria sint; salutem autem civium omni conatu procurare lege naturæ principes teneantur: sequitur non modo licitum eis esse exploratores emittere, milites alere, propugnacula ædificare, et pecuniam in eas res exigere, sed etiam ea non facere illicitum. Quibus etiam addi potest quicquid ad potentiam externorum, a quibus metuunt, vel arte vel vi minuendam conducere videbitur: obligantur enim rectores civitatum mala, quæ metuunt, curare pro viribus ne contingant.

Recta institutio civium in doctrina civili, paci conservandæ necessaria.

9. Ad conservationem autem pacis internæ multa requiruntur, quia multa concurrunt, ut capite præcedente ostensum est, ad eam perturbandam. Ostendimus ibi alia esse quæ disponunt animos ad seditionem, alia quæ dispositos movent et excitant. Inter ea, quæ disponunt, numeravimus primo loco quasdam pravas doctrinas. Has igitur eradicare ex animis civium, et contrarias insinuare officium eorum est, qui summa imperia administrant. Quoniam autem opiniones non imperando, sed docendo; non terrore poenarum, sed perspicuitate rationum

animis ~~whominum~~ ~~in~~ ~~inseruntur~~ ; leges, quibus huic malo obviandum est, non in errantes, sed in ipsos errores constituendæ sunt. Errores illi, quos præcedente capite cum quiete civitatis consistere non posse affirmavimus, in animos rudium irrepserunt partim e concionatorum cathedris, partim a sermonibus quotidianis hominum propter rei familiaris laxitatem studiis vacantium ; et in animos horum a doctoribus adolescentiæ suæ in academiis publicis. Quare etiam vice versa, si quis sanam doctrinam introducere voluerit, incipiendum ei est ab academiis. Illic fundamenta doctrinæ civilis vera et vere demonstrata jacienda sunt, quibus imbuti adolescentes, plebem postea privatim et publice instruere possint. Id autem tanto alacrius et potentius facient, quanto ipsi de veritate eorum, quæ docent et prædicant, certiores erunt. Siquidem enim propositiones propter consuetudinem audiendi, quamquam falsæ, nec magis intelligibiles quam si quis vocabula sorte ex urna extracta copularet, hodie receptæ sunt, quanto magis imbiberent homines, propter eandem causam, doctrinas veras, intellectui suo et rerum naturæ conformes ? Officii igitur summorum imperantium esse arbitror, elementa vera doctrinæ civilis conscribi facere, et imperare ut in omnibus civitatis academiis doceantur.

SECT. III.

13.

10. Secundo loco, disponere cives ad seditionem ostendimus ægritudinem animi ab *egestate* ; quam quidem egestatem, licet a luxuria vel ignavia propria profectam, imputant tamen iis, qui regunt civitatem, tanquam pensionibus publicis exhausti et oppressi. Fieri tamen potest aliquando ut querimonia illa justa sit, nimirum cum onera civitatis civibus inæ-

Onera publica
æqualiter distri-
buere, paci con-
servandæ con-
ducibile.

SECT. III.
13.

qualiter imponuntur. Quod enim omnibus simul leve onus est, si multi se subtrahunt, cæteris grave, imo intolerabile erit. Neque homines tam onus ipsum quam inæqualitatem graviter ferre solent. Maxima enim ambitione de immunitate certatur, et in eo certamine minus felices magis felicibus tanquam victi invident. Ad tollendam ergo justam querimoniam, quietis publicæ interest, et per consequens ad officium pertinet imperantium, ut onera publica æqualiter ferantur. Præterea, cum id, quod a civibus in publicum confertur, nihil aliud sit præter emptæ pacis pretium, rationis est, ut ii, qui æque pacem participant, æquas partes solvant, vel pecunias vel operas reipublicæ contribuendo. Lex autem naturalis est, per articulum quindecimum capitis tertii, unusquisque, in jure aliis distribuendo, omnibus æqualem se præbeat; quare imperantes, ut onera civitatis civibus æqualiter imponant, lege naturali obligantur.

Æquitatis naturalis esse, ut pecuniæ taxentur, pro ratione eorum quæ quisque consumit, non quæ possidet.

11. *Æqualitas autem hoc loco intelligitur non pecuniæ, sed oneris, hoc est, æqualitas rationis inter onera et beneficia. Quamquam enim pace omnes æqualiter fruuntur, non tamen beneficia a pace omnibus æqualia sunt. Nam alii plus, alii minus bonorum acquirunt. Et rursus alii plus, alii minus consumunt. Quæri igitur potest, an debeant cives in publicum contribuere pro ratione eorum, quæ lucrantur, an eorum quæ consumunt, hoc est, an personæ taxari debeant, ut pro ratione opum contribuant, an res ipsæ, ut contribuat quisque pro ratione eorum quæ consumit. Sed si consideremus, ubi pecuniæ conferuntur pro ratione opum, ibi eos, qui æqualia lucrati sunt, non æqualia possidere,*

propterea quod alter pars per parsimoniam conservat, alter per luxuriam dissipat, ideoque beneficio pacis æqualiter gaudentes civitatis onera non æqualiter sustinere : et ex altera parte, ubi res ipsæ taxantur, ibi unusquisque, dum rem privatam consumit, partem civitati debitam pro ratione eorum non quæ habet, sed quæ beneficio civitatis habuit, eo ipso quod sua consumit, imperceptibiliter persolvit : dubium amplius non est quin prior ille modus pecunias imperandi contra æquitatem, et proinde contra officium imperantium sit ; posterior autem rationi et officio eorum consentaneus.

12. Tertio, officere paci publicæ diximus ægritudinem animi, quæ oritur ex *ambitione*. Sunt enim qui, cum sibi præ cæteris sapere et magis ad res gerendas idonei videantur, quam ii qui rempublicam in præsentia administrant ; virtus sua quantum civitati prodesse queat, quando aliter ostendere non possunt, ostendunt nocendo. Quoniam autem tolli ex animis hominum ambitio et honorum aviditas non potest, officii imperantium non est ut in id incumbant. Possunt autem præmiorum et pœnarum constanti applicatione facere, ut homines sciant viam ad honores non esse per vituperationem regiminis præsentis, neque per factiones et auram popularem ; sed per contraria. Viri boni sunt, qui consulta patrum, qui leges juraque servant. Hos si honoribus ornari, factiosos vero ab iis, qui summa imperia administrant, puniri et contemptui haberi, constanti tenore videremus, parendi quam obstandi major ambitio esset. Accidit tamen aliquando, ut, sicut equo propter ferociam, ita civi contumaci propter potentiam blandiendum sit. Sed ut illud

SECT. III.

13.

Ad pacem
conservandam
conducere, sedi-
tiosos premere :

SECT. III. *ressoris, ita hoc imperatoris jam pene excussi est.*

18.

Loquimur autem hic de iis quorum autoritas et potentia integra est. Horum officium esse, inquam, obediētes cives fovēre, factiosos quantum possunt imperio premere; neque enim alio modo potentia publica, nec sine ea civium quies conservari potest.

Et factiones
dissolvere.

18. Si vero factiosos homines coercere, multo magis factiones ipsas dissolvere et dissipare ad officium pertinet imperantium. **FACTIONEM** autem voco multitudinem civium vel *partis* inter se, vel unius alicujus potentia, absque ejus vel eorum, qui summum imperium obtinent, autoritate unitam. Est itaque *factio* tanquam civitas in civitate. Sicut enim unione hominum in statu naturali fit civitas, ita civium unione nova fit *factio*. Secundum hanc definitionem, multitudo civium, qui externo cuicumque sive principi sive civi simpliciter obedituros se obstrinxerunt, vel qui pacta aut foedus inter se mutuae defensionis contra omnes homines fecerunt, non exceptis iis qui summam potestatem habent in civitate, *factio* est. Etiam gratia apud plebem si tanta sit, ut per eam comparari exercitus possit, nisi obsidibus aut alio pignore publice caveatur, *factionem* continet. Atque idem de divitiis privatis dicendum est, si sint immodicæ; quia pecuniæ obediunt omnia. Siquidem ergo verum sit, civitatum inter se statum naturalem et hostilem esse, principes, qui *factionem* permittunt, idem faciunt ac si hostem intra moenia reciperent: quod est contra civium salutem, et propterea etiam contra leges naturales.

Ad locupletandos
cives conducere
leges quibus

14. Ad locupletandos cives necessaria duo sunt, *labor* et *parsimonia*; conducit etiam tertium,

nempe terra, ~~aqueque~~ **proventus naturalis**; est **ARCT. III.**
autem et quartum, **militia**, quæ rem civium quan- **12.**
duque auget, sæpius vero attenuat: priora duo sola artes liberative
necessaria sunt. Potest enim civitas in insula maris diventur, et
constituta, non majore quam ut habitationi locum quibus civitas
præstat, sine semente, sine piacatura, sola merca- comperantur.
tura et officiis ditescere: sed non est dubium, si
habeant territorium, quin ditiores eodem numero,
vel æque divites majore numero esse possint. Quar-
tana autem, nimirum **militia**, in numerum quidem
olim venit artium lucrativarum, sub nomine *lestricæ*
sive prædatoris. Et genere humano, ante consti-
tutionem civitatum per familias disperso, justa et
honorifica habita est. Est enim nihil aliud præ-
datio, quam quod parvis copiis geritur bellum. Et
magis civitates, nominatim Romana et Atheniensis,
spoliis belli, vectigalibus externis, et territorio armis
æquato, ita aliquando rempublicam auxerunt, ut
tenioribus civibus non modo nullam pecuniam
publicam imperarint, sed etiam pecuniam et agros
viritim dividerint. Hujusmodi autem divitiarum
incrementa in rationes minime referenda sunt. Est
enim, quod ad lucrum spectat, militia sicut alea,
quæ plurimi rem suam labefactant, paucissimi am-
pliores reddunt. Cum ergo tria tantum sint, *pro-*
ventus terra et aquæ, labor, et parsimonia, quæ
conducunt ad civium locupletationem, circa ea tan-
tana versabitur officium imperantium. Ad primum
utiles erunt leges, quæ favent artibus quibus terre
et aquæ proventus reddantur meliores; quales sunt
agricultura et piacatura. Ad secundum utiles
sunt leges omnes, quibus ignavia prohibeatur, in-
dustria excitetur, *ars navigandi*, per quam com-

SECT. III. 13. **moda totius mundi solo pene labore empta in unam civitatem comportantur, item *mechanica*, sub qua omnes excellentium opificiorum artes comprehendo, et *scientiæ mathematicæ*, nauticæ et mechanicæ fontes, in honore habeantur. Ad tertium utiles sunt leges illæ, quibus sumtus tam in cibos quam in vestes, et universum in res omnes, quæ usu consumuntur, immodici prohibeantur. Quoniam autem leges tales ad fines supra dictos utiles sunt, pertinet etiam ad officium imperantium eas sancire.**

Non esse plura legibus definienda, quam postulat civium et civitatis commodum.

15. Libertas civium non in eo sita est, ut legibus civitatis exempti sint, vel ut ii, qui civitatis summam potestatem habent, non possint leges ferre quas-cunque volent. Sed quoniam omnes motus et actiones civium legibus nunquam circumscriptæ sunt, neque circumscribi propter varietatem possunt, necesse est ut infinita pene sint, quæ neque jubentur neque prohibentur; sed facere vel non facere suo quisque arbitrio potest. In his unusquisque dicitur sua frui libertate, atque in hoc sensu libertas hoc loco intelligenda est, nempe pro juris naturalis parte ea, quæ civibus a legibus civilibus permissa et relicta est. Sicut aqua, ripis undiquaque conclusa, stagnat et corrumpitur; undiquaque aperta expanditur, et quo plures exitus invenit eo liberior fluit: ita quoque cives, si nihil injussu legum facerent, torperent; si omnia, dissiparentur; et quo plura legibus indeterminata relinquuntur, eo majore fruuntur libertate. Utrumque extremum vitiosum est: non enim ad actiones hominum tollendas, sed dirigendas, inventæ leges sunt; sicut neque ripas ad sistendum cursum fluminis, sed ad dirigendum natura ordinavit. Mensura hujus li-

bertatis ~~ex bono civium~~ et civitatis capienda est. SECT. III.
13.
 Quare, contra officium eorum, qui imperant et legum ferendarum auctoritatem habent, in primis est, ut plures leges sint quam ad bonum civium et civitatis necessario conducat. Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, sæpius per rationem naturalem quam per scientiam legum homines deliberare soleant; ubi leges plures sunt quam ut earum facile meminisse possimus, et per eas prohibentur ea, quæ ratio per se non prohibet; necesse est ut per ignorantiam, sine ulla prava intentione, incidant tamen in leges, tanquam in laqueos, contra libertatem innoxiam, quam imperantes civibus conservare lege naturali obligantur.

16. *Libertatis* civitati innoxie, et singulis civibus ad beate vivendum necessariae pars magna etiam est, ut poenæ nullæ timendæ sint, nisi quas prævidere aut exspectare possint. Præstatur autem hoc, ubi vel nullæ omnino poenæ legibus definiuntur, vel majores definitis non exiguntur. Ubi nullæ definiuntur, ibi is, qui primus legem transgressus est, poenam exspectat indefinitam sive arbitrariam, supponiturque metus ejus infinitus, quia mali infiniti. Præcipit autem lex naturæ iis, qui legibus civilibus non subjiciuntur, per ea quæ diximus capite tertio articulo undecimo, ideoque summis imperantibus, in ultione et poenis sumendis, spectandum esse non malum præteritum, sed bonum futurum: peccantque poenarum arbitrariarum aliam mensuram habentes, quam utilitatem publicam. Ubi vero poena definita est, sive lege præscripta, ut quando verbis disertis ponitur, *qui sic facit, sic patietur*; sive praxi, ut quando poena, lege non

Poenas non majores sumendas, quam quæ legibus præfinitæ sunt.

SECT. III. 13. præscripta, sed arbitraria ab initio, determinata est postea per punitionem primi delinquentis, (æque enim transgredientes æqualiter puniri jubet æquitas naturalis), ibi pœnam, quam quæ lege definitur, majorem exigere, contra legem naturæ est. Finis enim punitionis est, voluntatem hominis non cogere, sed formare, et talem facere, qualem eam esse cupit is qui pœnam statuit. Et deliberatio nihil aliud est nisi commodorum et incommodorum facti, quod aggredimur, tanquam in bilance ponderatio, ubi quod præponderat, necessario secundum inclinationem suam procedit. Siquidem ergo legislator pœnam minorem crimini appendit, quam ut libidini metus præponderet, libidinis supra metum pœnæ excessus, quo crimen committitur, legislatori attribuendus est, hoc est, summo imperanti; ideoque si punit majori pœna quam ipse legibus præfinivit, punit in alio quod peccavit ipse.

Civibus contra
iudices cor-
ruptos jus
reddendum.

17. Etiam ad innoxiam et necessariam civibus *libertatem* pertinet, ut quæ jura legibus sibi quisque concessa habet, iis sine metu frui possit. Frustra enim est *suum* ab *alieno* legibus distingui, si falso iudicio, latrocinio, vel furto rursus confundantur. Contingit autem falsa iudicia, latrocinia, et furta fieri, ubi iudices corrumpi possunt. Metus enim, quo homines a male faciendo deterrentur, non ab eo oritur quod pœnæ statuuntur, sed quod exiguntur. Futurum enim ex præterito æstimamus, quæ raro fieri solent, raro expectantes. Si igitur iudices, muneribus, gratia, vel etiam misericordia, corrupti, pœnas lege debitas sæpe remittant, atque eo modo improbis spem faciant impunitatis, bonis civibus a sicariis, latronibus, veteratoribusque obsessis, neque

conversari inter se, neque omnino se movere liberum erit; imo civitas ipsa dissolvitur, et redit cuique jus se ipsum suo arbitrato protegendi. Præcipit igitur lex naturæ summis imperantibus, ut justitiam non modo ipsi exercent, sed etiam ut iudices a se positos idem facere pœnis cogant, hoc est, querelis civium aures præbeant, et delegent, quoties opus est, iudices extra ordinem qui de ordinariis cognoscant.

SECT. III.

13.

Civibus contra
iudices cor-
ruptos jus
reddendum.

—————

CAPUT XIV.

DE LEGIBUS ET PECCATIS.

1. Lex quomodo differt a consilio: 2. Quomodo differt a pacto:
3. Quomodo a jure. 4. Divisio legum in divinas et humanas; et divinarum in naturales et positivas; et naturalium in leges singulorum hominum, et gentium. 5. Legum humanarum, id est, civilium divisio in sacras et sæculares: 6. In distributivam et vindicativam. 7. Distributivam et vindicativam non esse species legum, sed partes. 8. Omni legi pœna appensa intelligitur. 9. Præcepta Decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, et falso testimonio, leges civiles esse. 10. Impossibile esse lege civili quicquam jubere contra legem naturæ. 11. Legi essentielle esse, ut cognoscatur et ipsa et legislator. 12. Unde cognoscatur legislator. 13. Ad cognoscendam legem necessaria sunt promulgatio et interpretatio. 14. Legis civilis divisio in scriptam et non scriptam. 15. Leges naturales non esse leges scriptas; neque responsa jurisprudentum, neque consuetudinem esse leges per se, sed per consensum summæ potestatis. 16. Peccati nomen latissime acceptum, quid significet. 17. Peccati definitio. 18. Differentia inter peccatum infirmitatis et malitiam. 19. In quo genere peccati contineatur atheismus. 20. Quid sit crimen læsæ majestatis. 21. Crimine læsæ majestatis non leges civiles sed naturales violari: 22. Ideoque non jure imperii, sed jure belli puniri. 23. Obedientiam non recte distingui in activam et passivam.

SECT. III.

14.

Lex quomodo
differat a consilio

1. LEX ab iis, qui vim verborum minus morose pensitant, aliquando cum *consilio*, aliquando cum *pacto*, aliquando cum *jure* confunditur. Confundunt *legem* cum *consilio*, qui putant monarcharum officium esse *consiliarios* non modo audire, sed etiam iis obedire; tanquam si consilium capere, nisi etiam quod consultum est fiat, frustra esset. Distinctio inter *consilium* et *legem* petenda est a differentia inter *consilium* et *mandatum*. Jam *CONSILIUM* est *præceptum*, in quo ratio, quare pare-

mus, sumitur *ab ipsa re* quæ præcipitur. MANDATUM autem est *præceptum*, in quo parendi ratio sumitur a *voluntate præcipientis*. Proprie enim non dicitur, *sic volo, sic jubeo*, nisi stet pro ratione *voluntas*. Cum vero legibus obediatur non propter rem ipsam, sed propter voluntatem præcipientis, *lex* non *consilium*, sed *mandatum* est; definiturque hoc modo: *LEX* est *mandatum ejus personæ, sive hominis sive curiæ, cujus præceptum continet obedientiæ rationem*. Ut præcepta Dei respectu hominum, civitatis respectu civium, et universaliter omnium potentium respectu eorum, qui non possunt resistere, eorum leges dicendæ sunt. Differunt ergo multifariam inter se *lex* et *consilium*. *Lex* enim ejus est, qui potestatem habet in eos quibus præcipit: *consilium* ejus, qui potestatem non habet. Facere id quod *lege* præcipitur *officii*, quod *consilio, arbitrii* est. *Consilium* dirigitur ad finem *ejus cui præcipitur*; *lex* autem ad finem *ejus qui præcipit*. *Consilium* non nisi *volentibus* datur, *lex* etiam *noventibus*. Denique jus *consiliarii* tollitur arbitrio ejus, cui *consilium* dat: jus *legislatoris* non tollitur arbitrio ejus cui imponitur *lex*.

2. *Legem* cum *pacto* confundunt ii, qui leges putant nihil aliud esse quam *ὁμολογήματα*, sive formulas vivendi, communi consensu hominum determinatas. Inter quos est Aristoteles qui (in Præfatione Rhetorices ad Alexandrum) *legem* hoc modo definit: *Νόμος ἐστὶ λόγος ὠρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μὲν ὡς πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα*, id est, *lex est oratio definita juxta consensum communem civitatis, indicans quomodo singula oportet agere*. Quæ definitio non est *legis* simpliciter, sed *civilis*. Manifestum enim est, *leges divinas* non esse ortas

SECT. III.

14.

Quomodo
differat a pacto.

SECT. III. **a consensu hominum, neque etiam *naturales*. Nam** si a consensu hominum originem haberent, etiam eorundem consensu abrogari possent; sunt autem immutabiles. Neque vero est ea definitio legitima *legis civilis*. Civitas enim eo loco sumitur vel pro una persona civili, unam habente voluntatem, vel pro multitudine hominum, quorum unicuique sua voluntas privata libera est. Si pro una persona, illud, *communi consensu*, non recte ponitur; non enim habet una persona *consensum communem*. Neque oportebat ponere *indicans* quid facto opus esset, sed *jubens*. Civitas enim civibus quæ indicat imperat. Intellexit ergo per civitatem, multitudinem hominum communi consensu, puta scripto suffragiis confirmato, formulas vivendi indicantem. Hæ autem nihil aliud sunt præter mutua pacta, quæ non ante quemquam obligant, neque ideo leges sunt, quam constituto imperio summo, quod possit cogere, cautum ei sit erga cæteros, qui aliter ea observaturi non sunt. *Leges* itaque, juxta definitionem hanc Aristotelis, nihil aliud sunt quam nuda et invalida pacta, quæ tum demum, cum sit qui potentiam civitatis jure exeroet, *leges* fient vel non fient illius arbitrio. Confundit ergo *pacta* cum *legibus*, quod non oportuit; est enim *pactum promissum*; *lex mandatum*. In *pactis*, *faciam* dicitur; in *legibus*, *fac*. *Pacto** obligamur; *lege* obligati tenemur. *Pactum* obligat *per se*; *lex* obligatum tenet virtute *pacti* universalis de præstanda

14.
Quomodo
differat a pacto.

* *Pacto obligamur, etc.*] Visum est aliquibus, idem esse obligari et obligatum teneri; et proinde distinctionem in verbis aliquam, in re nullam esse. Clarius ergo hoc dico: pacto obligari hominem, id est, propter promissionem præstare debere: lege vero obligatum teneri, id est, metu pænæ, quæ in lege constituitur, ad præstationem cogi.

obedientia. **ii** Ideoque in pacto, prius determinatur quid faciendum est, quam ad faciendum obligamur; sed in lege ante obligamur ad faciendum, quid vero faciendum sit, determinatur post. Debebat igitur Aristoteles definire *legem civilem* hoc modo: *lex civilis est oratio definita per voluntatem civitatis, singula imperans quæ oportet facere*. Quæ eadem est cum ea quam attulimus supra capite sexto, articulo nono, nimirum *leges civiles esse ejus, sive hominis sive curiæ, qui in civitate summa potestate præditus est, de civium futuris actionibus mandata*.

SECT. III.

14.

3. *Legem cum jure confundunt ii, qui, quod jure divino permissum est, facere perseverant, quamquam lege civitatis prohibeatur*. Quod *lege divina* prohibetur, lege civili permitti non potest, nec quod *lege divina* imperatur, prohiberi potest *lege civili*. Veruntamen quod jure divino permittitur, id est, quod jure divino fieri potest, nihil impedit, quo minus idem *lege civili* prohibeatur. *Leges enim inferiores libertatem a superioribus relictam restringere possunt, quamquam ampliare non possunt*. Est autem *jus, libertas naturalis*, a legibus non constituta, sed relictæ. Remotis enim *legibus, libertas* integra est; hanc primo restringit *naturalis lex*, et *divina*; residuam retrungunt *leges civiles*; et quæ legi civili superest, restringi rursus potest a *constitutionibus* particularium urbium et societatum. Multum ergo interest inter *legem*, et *jus*; *lex enim vinculum, jus libertas* est, differuntque ut contraria.

Quomodo
a jure.

4. *Lex* omnis dividi potest, primum, pro diversitate authorum, in *divinam* et *humanam*. *Divina* autem pro duobus modis, quibus Deus voluntatem

Divisio legum
in divinas et hu-
manas; et divi-
narum in natu-

SECT. III. ^{14.} suam hominibus notam facit, duplex est : *naturalis* sive *moralis*, et *positiva*. *Naturalis* ea est, quam Deus omnibus hominibus patefecit per *verbum suum æternum* ipsis innatum, nimirum *rationem naturalem*. Atque hæc est ea lex, quam toto hoc libello explicare conatus sum. *Positiva* est, quam Deus nobis patefecit per *verbum propheticum*, quo locutus est ad homines tanquam homo ; quales sunt leges, quas tradidit Judæis circa politiam et cultum divinum ; possuntque appellari *leges divinae civiles*, quia civitati Israelitarum, populi sui peculiaris, peculiare erant. Rursus, *naturalis* dividi potest in *naturalem hominum*, quæ sola obtinuit dici *lex natura*, et *naturalem civitatum*, quæ dici potest *lex gentium*, vulgo autem *jus gentium* appellatur. Præcepta utriusque eadem sunt : sed quia civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales, *lex*, quam loquentes de hominum singulorum officio *naturalem* dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus, sive gentibus, vocatur *jus gentium*. Et quæ *legis et juris naturalis* elementa hactenus tradita sunt, translata ad *civitates et gentes* integras, pro *legum et juris gentium* elementis sumi possunt.

Legum humanarum, id est civilium, divisio in *sacras et sæculares* :

5. *Humana lex* omnis *civilis* est. Nam extra civitates status hominum hostilis est ; in quo, quia alter alteri non subjicitur, leges præter dictamina rationis naturalis, quæ lex divina est, nullæ sunt. In civitate vero, sola civitas, hoc est, homo vel curia, cui summum civitatis imperium committitur, legislator est, civitatis autem leges civiles sunt. *Civiles leges* possunt dividi pro diversitate subjectæ materiæ in *sacras et sæculares*. *Sacræ* sunt, quæ pertinent ad religionem, hoc est, ad ceremonias et

cultum Dei, nimirum quæ et quo ritu personæ, res, loca, consecranda sunt, quæ opiniones circa numen divinum publice docendæ, et quibus verbis ritibusque supplicationes faciendæ sunt, et similia; et nulla lege divina positiva definiuntur. Nam *leges civiles sacræ sunt humanæ*, quæ et *ecclesiasticæ* dicuntur, circa *res sacras*; *sæculares* autem generali nomine *civiles* appellari solent.

SECT. III.

14.

6. Rursus, *lex civilis* pro duobus legislatoris officiis, quorum alterum est *judicare*, alterum *cogere* ut judiciis acquiescant, duas habet partes, alteram *distributivam*, alteram *vindicativam* sive *pœnariam*. *Distributiva* est, qua jus suum cuique distribuitur, hoc est, quæ regulas omnium rerum constituit, quibus sciamus quid nobis, quid aliis proprium sit; ita ut nos nostris uti et frui alii non impediant, neque nos impediamus illos ne utantur et fruantur suis; et quid cuique licitum sit *facere* vel *omittere*, quid illicitum *Vindicativa* est, qua, quæ pœnæ sumendæ sunt de iis qui legem violant, definitur.

In distributivam
et vindicativam.

7. *Distributiva* autem et *vindicativa* non sunt duæ legum *species*, sed ejusdem legis duæ *partes*. Siquidem enim *lex* nihil amplius dicat, quam, *verbi gratia*, *tuum esto, quod tu tuo reti cepisti in mari*, frustra est. Quamquam enim alter eripiat tibi quod cepisti, non impedit quin adhuc tuum sit. Nam in statu naturæ, ubi omnia omnium sunt communia, idem est et *tuum* et *alienum*; ita ut quod *lex* definit *esse tuum*, *tuum* erat etiam ante legem, et post legem *tuum* esse non desinit, quamquam ab alio possessum. Nihil ergo *lex* agit, nisi ita intelligatur, ut sic *tuum* sit, ut omnes alii prohibeantur, ne impediant quo minus omni tempore eo possis tuo arbi-

Distributivam
et vindicativam
non esse species
legum, sed partes.

SECT. III.
14.

tratu secure uti et frui. Hoc enim est quod requiritur ad proprietatem bonorum, non ut quis iis possit uti, sed possit solus; quod fit prohibendo alios ne sint impedimento. Sed frustra etiam prohibent, qui metum pœnarum non incutiunt. Frustra ergo lex est, nisi utramque partem contineat, et illam, quæ *prohibet* injurias fieri, et illam, quæ facientes *punit*. Harum prima, quæ *distributiva* dicitur, *prohibitoria* est, et loquitur ad omnes; secunda, quæ *vindicativa* vel *pœnaria* appellatur, mandatoria est, et loquitur tantum ad ministros publicos.

Omni legi
pœna appensa
intelligitur.

8. Ex quo etiam intelligitur omni *legi civili annexam esse pœnam*, vel explicite vel implicite. Nam ubi pœna neque scripto, neque exemplo aliqujus, qui pœnas legis transgressæ jam dedit, definitur, ibi subintelligitur pœnam arbitrariam esse, nimirum, ex arbitrio pendere legislatoris, hoc est, summi imperantis. Frustra enim est lex, quæ impune violari potest.

Præcepta Decalogi, de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, et falso testimonio, leges civiles esse.

9. Quoniam autem a legibus civilibus oritur, tum quod unusquisque jus *sum* sibi proprium et ab *alieno* distinctum habeat, tum etiam quod prohibeatur aliena invadere, sequitur præcepta hæc, *honorem parentibus legibus definitum non denegabis: hominem, quem vetant leges occidere, non occides: legibus vetitum concubitum fugies: rem alienam domino invito non auferes: leges et judicia falso testimonio non frustrabere*, esse leges civiles. Leges naturales eadem præcipiunt, sed implicite: nam lex naturalis (ut capite tertio, articulo secundo, dictum est) jubet observari *pacta*, ideoque etiam obedientiam præstare, quando obedientiam pacti fuerint, et alieno abstinere, quando quid sit

alienum lege civili definitum fuerit. Cives autem omnes (per capituli sexti articulum declinatum tertium) obedientiam præstare mandatis ejus, qui habet summam potestatem, hoc est, legibus civilibus, ex ipsa civitatis constitutione *paciscuntur*, etiam ante quam violari possunt. Nam lex naturalis obligabat in statu naturali; ubi, primo, quia natura omnia omnibus dedit, nihil alienum erat, et proinde alienum invadere impossibile; deinde, ubi omnia communia erant, quare etiam concubitus omnes liciti; tertio, ubi status belli erat, ideoque licitum occidere; quarto, ubi omnia proprio cujusque iudicio definita erant, ideoque honores etiam paterni; postremo, ubi nulla judicia publica erant, et propterea nullus *usus testimonii dicendi* neque veri neque falsi.

10. Cum ergo obligatio ad leges illas observandas antiquior sit quam ipsarum legum promulgatio, utpote contenta in ipsa civitatis constitutione, virtute legis naturalis quæ prohibet violari pacta, lex naturalis omnes leges civiles jubet observari. Nam ubi obligamur ad obedientiam antequam sciamus quid imperabitur, ibi universaliter et in omnibus obedire obligamur. Ex quo sequitur legem civilem nullam, quæ non sit lata in contumeliam Dei, cujus respectu ipsæ civitates non sunt sui juris nec dicuntur leges ferre, contra legem naturalem esse posse. Nam etsi naturæ lex prohibet furtum, adulterium, etc., si tamen lex civilis jubeat invadere aliquid, non est illud furtum, adulterium, etc. Nam Lacedæmonii olim, cum permitterent pueris certa lege surripere bona aliena, ea bona non aliena, sed propria surripientis, esse jusserunt; ideoque tales surreptiones non erant furta. Similiter, Ethiopeorum copulationes sexuum, secundum leges suas, conjugia erant legitima.

*Impossibile esse
lege civili quicquam
jungere contra
legem naturalem*

SECT. III. 11. www.libtool.com.cn

14.

Legi essenziale
esse, ut cognos-
catur et ipsa, et
legislator.

Ad essentiam legis necessarium est, ut civibus duo innotuerint; primum, quis homo vel quæ curia summam potestatem, hoc est, legum ferendarum jus habet; secundum, quid ipsa lex dicat. Is enim, qui nunquam cognovit aut cui aut ad quid tenetur, obedire non potest, et perinde est, acsi non teneretur. Non dico necessarium esse ad essentiam legis, ut vel hoc vel illud perpetuo cognitum sit, sed tantum ut cognitum semel fuerit: quod si postea civis obliviscatur vel juris, quod is habet qui legem fert, vel ipsius legis, id non impedit quo minus teneatur obedire; cum potuerit meminisse, si voluntatem obediendi, prout naturalis lex jubet, habuisset.

Unde cognos-
catur legislator.

12. *Cognitio legislatoris* dependet ab ipso cive; nam sine consensu et pacto suo proprio, vel expresso vel subaudito, jus legislationis conferri in neminem potuit; expresso, quando cives ab initio formam regendæ civitatis inter se constituunt, vel quando promisso suo submittunt se alicujus imperio; vel saltem subaudito, ut quando utuntur beneficio imperii et legum alicujus, ad protectionem et conservationem sui adversus alios. Cujus enim imperio concives nostros obedire postulamus bono nostro, illius imperium legitimum esse ea ipsa postulatione confitemur. Ideoque ignorantia potestatis legum ferendarum obtendi nunquam potest. Unusquisque enim quod ipse fecit fecisse se cognovit.

Ad cognoscendam legem necessaria sunt promulgatio et interpretatio.

13. *Cognitio legum* dependet a legislatore, qui eas promulgare debet; aliter enim non sunt leges. Est enim lex legislatoris mandatum; mandatum autem est declaratio voluntatis. Non ergo lex est, nisi voluntas legislatoris declaretur; id quod fit *promulgatione*. In *promulgatione* autem duo

constare debent; quorum alterum est, ut is vel ii, qui legem promulgant, vel habeant ipsi jus legislationis, vel id faciant auctoritate ejus vel eorum qui habent; alterum est ipsa legis sententia. Primum autem, quod leges promulgatæ procedant ab eo qui summum habet imperium, constare, hoc est sciri accurate et philosophice loquendo non potest, nisi ab iis qui ab ore ipsius imperantis eas accipiunt; cæteri credunt; sed credendi rationes tantæ sunt, ut non credere vix sit possibile. Et in civitate quidem *democratica*, ubi legibus ferendis unusquisque interesse, si velit, potest, qui absens fuerit præsentibus credere debet. Sed in *monarchiis* et *aristocratiis*, quia paucis mandata *monarchæ* et *optimatum* præsentibus et coram audire conceditur, illis paucis necesse erat potestatem facere ea cæteris promulgandi. Et sic *edicta* et *decreta* principum esse credimus, quæ pro talibus vel scripto vel voce eorum, quorum id munus est, nobis proponuntur. Sed tamen, cum credendi causas habeamus has; vidisse quod princeps vel curia summa talibus *consiliariis*, *scribis*, *præconibus*, *sigillis*, et similibus argumentis ad voluntatem suam declarandam constanter usus sit; quod nunquam auctoritatem illis detraxerit; quod de iis, qui hujusmodi promulgationi non credentes legem transgressi sunt, poenæ sumtæ fuerint; non modo qui sic credens obediverit *edictis* et *decretis* per illos editis, ubique terrarum excusatur, sed etiam qui non credens non obediverit, punitur. Nam permittere ut hæc constanter fiant, satis manifestum signum et declaratio voluntatis ejus, qui imperat, satis perspicua est; modo nihil in *lege*,

SECT. III.

14.

Ad cognoscendam legem necessaria sunt promulgatio et interpretatio.

SECT. III. edicto seu *decreto* contineatur, quod summæ potestati ipsius imperantis deroget. Non est enim putandum, eum velle potestati suæ a quibuscunque ministris suis quicquam detrahi, dum voluntatem retinet imperandi. *Sententia* vero *legum*, ubi de ea dubitatur, petenda est ab iis, quibus a summa potestate commissa est *causarum cognitio*, sive *judicia*. *Judicare* enim nihil aliud est quam *leges* singulis casibus *interpretando* applicare. Quibus autem id munus commissum est, eodem modo cognoscitur, quo cognoscimus qui sint ii, quibus commissa est auctoritas *leges* promulgandi.

Legis civilis
divisio in
scriptam et
non scriptam.

14. Rursus, *lex civilis*, pro duplici modo promulgandi, duorum generum est: *scripta*, et *non scripta*. Per *scriptam* intelligo eam, quæ voce sive signo aliquo alio voluntatis legislatoris indiget ut fiat *lex*. *Legum* enim genus omne et natura et tempore cœvum est generi humano, et propterea inventione literarum et scribendi arte antiquius. Non ergo *legi scriptæ* necessaria est *scriptio*, sed vox; hæc sola ad *essentiam*, illa ad *recognitionem legis* adhibita est. Nam ante inventas literas ad memoriam adjuvandam, *leges* in metra redactas cantari solitas esse legimus. *Non scripta* est ea, quæ non alia indiget promulgatione præter vocem naturæ sive rationem naturalem; quales sunt *leges naturales*. *Lex* enim naturalis, quamquam a civili distinguatur quatenus voluntati præcipit, tamen, quod ad actiones attinet, civilis est. Exempli gratia; hæc, *non concupisces*, quæ pertinet tantum ad animum, *lex* naturalis tantum est; hæc vero, *non invades*, et naturalis et civilis est. Cum enim regulas præscribere universales, quibus omnes

futurae lites, quæ forte infinitæ sunt, dijudicari possint, impossibile sit, intelligitur, in omni casu *legibus scriptis* prætermissis, sequendam esse *legem æquitatis naturalis*, quæ jubet æqualia æqualibus distribuere: atque hoc, vi *legis civilis*, quæ poenas etiam de iis exigit, qui scientes et volentes *leges naturales* facto transgrediuntur.

SECT. III.

14.

15. His intellectis, apparet primum, *leges naturales*, quamquam in libris philosophorum descriptæ fuerint, non esse ob eam rem vocandas *leges scriptas*; neque scripta jurisprudentum esse *leges*, ob defectum auctoritatis summæ; neque etiam *responsa prudentum*, id est, *judicium*, nisi quatenus consensu summæ potestatis in consuetudinem abierint. Tunc autem inter *leges scriptas* habenda esse: non propter consuetudinem ipsam, quæ vi sua legem non constituit; sed propter voluntatem summi imperantis, quæ ex eo arguitur, quod *sententiam*, sive æquam sive iniquam, in consuetudinem ire perpessus est.

Leges naturales non esse *leges scriptas*; neque *responsa jurisprudentum* neque consuetudinem esse *leges* per se, sed per consensum summæ potestatis.

16. *Peccatum* significatione latissima comprehendit omne *factum*, *dictum*, et *volitum*, contra rectam rationem. Unusquisque enim media ad finem, quam sibimet ipsi proponit, ratiocinando quærit. Si ergo recte ratiocinetur, hoc est, incipiens a principiis evidentissimis texat discursum ex consequentibus continuo necessariis, progredietur itinere directissimo; aliter deviabit, id est, *faciet*, *dicet*, vel *conabitur* aliquid contra finem proprium: quod cum fecerit, dicetur ratiocinando quidem *errasse*, actione vero et voluntate *peccasse*; nam *peccatum* ita sequitur *erratum*, sicut *voluntas intellectum*. Atque hæc est vocis acceptio generalissima, qua continetur omne *factum imprudens*,

Peccati nomen latissime acceptum, quid significet.

SECT. III. sive contra legem, ut, alienam domum evertere ;
 14. sive non contra legem, ut propriam super arenam
 aedificare.

Peccati
 definito.

17. Ubi vero de *legibus* sermo est, ibi *peccati* nomen arctius est, significatque non omne factum contra rectam rationem, sed illud tantum quod *culpatur*, atque ob eam causam *malum culpæ* appellatur. Nec tamen si quid culpetur, *peccatum* statim, aut *culpa* dicenda est, sed si cum ratione culpetur. Quærendum igitur est, quid sit cum *ratione culpæ*, et quid contra rationem. Ea est natura hominis, ut unusquisque id, quod ipse sibi cupit fieri, *bonum*, quod fugit, *malum* vocet. Itaque diversitate affectuum contingit, ut quod alter *bonum*, alter *malum* ; et idem homo quod nunc *bonum*, mox *malum* ; et eandem rem, in seipso *bonam*, in alio *malam* esse dicat. *Bonum* enim et *malum* delectatione et molestia nostra, vel ea quæ nunc est, vel quæ expectatur, omnes æstimamus. Quoniam jam prospere facta inimicorum, quia honorem, rem, et potentiam eorum augment ; et æqualium, propter certamen honorum, *molesta* omnibus, adeoque *mala*, et videntur, et sunt ; solentque homines, *malos putare*, hoc est, *culpam attribuere* iis, unde sibi *malum* advenit ; fieri non potest, ut quæ facta culpanda, quæ non culpanda sint, consensu singulorum, quibus non eadem placent et displicent, definiantur. Possunt quidem convenire in generalia quædam, veluti *furtum*, *adulterium*, et similia, esse *peccata* ; tanquam dicerent *mala* omnes vocare ea, quibus nomina imponunt, quæ in malam partem accipi solent. Sed non quærimus an furtum sit peccatum ; quærimus quid furtum dicendum sit, et sic de cæteris similibus. Siquidem

igitur quid ratione culpandum sit, in tanta diversitate censentium, non sit mensurandum per rationem unius, magis quam alterius, propter æqualitatem naturæ humanæ; neque ratio ulla existat præter rationes *singulorum*, et rationem *civitatis*; sequitur quid sit *ratione culpandum* definiendum esse a civitate; ut *culpa*, hoc est, *peccatum* sit, quod quis fecerit, omiserit, dixerit, vel voluerit, contra *rationem civitatis*, id est, contra *leges*.

SECT. III.

14.

18. Facere autem aliquis potest contra leges per infirmitatem humanam, etiamsi eas implere cupiat; tamen ejus factum, ut contra leges, recte culpatur et *peccatum* dicitur. Sunt autem qui leges negligunt; quotiesque lucri impunitatisque spes apparet, nulla pactorum et datæ fidei conscientia retinentur, quin eas violent; horum non modo facta, sed etiam ingenia adversa legibus sunt. Qui per infirmitatem tantum peccant, etiam quando peccant, *viri boni* sunt; hi vero, etiam quando non peccant, *mali* sunt. Quamquam autem utrumque, et actio et animus, legibus repugnet, differentiis tamen appellationibus repugnantiae illæ distinguuntur. Nam actionis irregularitas *ἀδικημα*, *injuste factum*; animi, *ἀδικία* et *κακία*, *injustitia* et *malitia*: illa, perturbatæ mentis *infirmitas*; hæc, animi sedati *pravitas*.

Differentia
inter peccatum
infirmitatis,
et malitiam.

19. Si quidem autem peccatum non sit, quod non sit contra aliquam legem, neque lex ulla sit, quæ non sit mandatum ejus qui summum habet imperium; neque quisquam summum imperium habeat, quod non sit ei nostro consensu delatum: quomodo peccare dicetur is, qui vel non existere Deum, vel non gubernare mundum, affirmaverit, vel aliam contumeliam in ipsum evomuerit? Dicit

In quo genere
peccati contine-
atur Atheismus.

SECT. III.

14.

In quo genere
peccati continetur
Atheismus.

*enim se voluntatem suam Dei voluntati nunquam
subjecisse, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit.
Et quamquam opinio sua erronea esset, ideoque
etiam peccatum; numerandam tamen esse inter
peccata imprudentiæ, sive ignorantiae, quæ puniri
jure non possunt.* Oratio hæc eousque admittenda
esse videtur, ut hujusmodi peccatum, quamquam
sit maximum damnosissimumque, referri tamen de-
beat* ad peccata imprudentiæ; sed ut per impru-
dentiam aut ignorantiam excusandum sit, absurdum

* *Referri tamen debeat ad peccata imprudentiæ.]* Quod atheis-
mum non ad injustitiam, sed ad imprudentiam retulerim, a pluri-
bus reprehensum est: imo, a nonnullis in eam partem acceptum,
tanquam atheis non satis acrem adversarium me ostenderim. Ob-
jiciunt præterea, quod cum *Deum esse* ratione naturali sciri posse
dixerim alicubi, confiteri deberem peccare eos, saltem contra le-
gem naturæ; itaque non imprudentiæ tantum sed etiam injustitiæ
reos esse. Ego vero ita atheis inimicus sum, ut legem aliquam,
juxta quam condemnare eos injustitiæ possem, et diligentissime
quæsiverim et vehementer cupiverim; sed cum nullam invenerim.
quæsi proxime, quo nomine tantopere Deo exosi homines, ab
ipso appellarentur. Deus autem de atheo sic loquitur; *dixit in-
sipientes in corde suo, non est Deus.* Itaque peccatum eorum in eo
genere collocavi, in quod genus ab ipso Deo relatam fuerat.
Deinde atheos hostes Dei esse ostendo; nomen autem hostis quam
injusti, aliquando atrocius esse puto. Postremo juste et a Deo et
a summis imperantibus eo nomine puniri posse confirmo. Itaque
peccatum hoc nullo modo excuso neque extenuo. Quod autem
Deum esse ratione naturali sciri posse dixerim, ita accipiendum
est, non tanquam omnes id scire posse putaverim; nisi quoniam
ratione naturali quam proportionem habeat sphaera ad cylin-
dram, invenit Archimedes, ex eo sequi putant, quemlibet ex vulgo
idem invenire potuisse. Dico igitur etsi ab aliquibus, *Deum esse*,
lumine rationis sciri possit; tamen homines in voluptatibus, vel
divitiis, vel honoribus, perquirendis continuo occupatos, item ho-
mines, qui recte ratiocinari non solent, vel non valent, vel non
curant; denique insipientes, in quo numero athei sunt, scire id
non posse.

est. Punitur enim Atheus sive a Deo immediate, sive a regibus sub Deo constitutis; non ut subditus punitur a rege, propterea quod leges non observaverit; sed ut hostis ab hoste, quod leges noluerit accipere; hoc est, jure belli, ut gigantes *Θεομάχοι*. Hostes enim inter se sunt, quicumque neque communi imperanti, neque alter alteri subiciuntur.

SECT. III.
14.

20. Quoniam a vi pacti, quo cives singuli singulis ad obedientiam civitati, hoc est, summo imperanti, sive is unus homo sive una curia sit, absolutam et universalem (qualem superiore capite et articulo definivimus) præstandam obligantur, derivatur obligatio ad singulas leges civiles observandas, ita ut illud pactum contineat in se leges omnes simul; manifestum est civem, qui pacto generali obedientiæ renunciaverit, omnibus simul legibus renunciare. Quod malum tanto gravius est quolibet peccato uno, quanto peccare *semper* gravius est quam *semel*. Atque hoc est peccatum illud quod vocatur **CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS**; et est factum vel dictum, quo civis seu subditus declarat non esse sibi amplius voluntatem ei homini vel curiæ, cui commissum est summum civitatis imperium, obediendi. Et facto quidem, hujusmodi voluntatem declarat civis, quando vim infert vel inferre conatur personis eorum, qui vel summum imperium habent, vel habentium mandata exsequuntur; quales sunt proditores, regicidæ, et qui arma contra civitatem gerunt, vel ad hostes durante bello transfugiunt. Dicto autem, voluntatem eandem ostendunt, qui directe negant se aut cives cæteros ad talem obedientiam obligari; vel in toto, ut qui diceret non esse iis obediendum (salva obedientia, quam debe-

Quid sit crimen læsæ majestatis.

SECT. III.

14.

mus Deo) simpliciter absolute et universaliter; vel in parte, ut si quis diceret, non esse iis jus suo arbitrio bellum gerendi, pacem faciendi, milites conscribendi, pecunias exigendi, magistratus et ministros publicos eligendi, leges ferendi, controversias determinandi, pœnas statuendi, vel aliud aliquod sine quo consistere civitas non potest. Atque hæc et similia dicta et facta crimina *læsæ majestatis* ex vi legis, non civilis, sed naturalis, sunt. Potest autem esse ut aliquid, quod factum ante legem civilem latam non erat crimen *læsæ majestatis*, sit tamen, si fiat post. Ut si lege declaretur pro signo obedientiæ civilis renunciatæ habendum esse, hoc est, pro crimine *læsæ majestatis*, si quis vel monetam cuderit, vel sigilla civitatis adulteraverit; is, qui postea id fecerit, reus majestatis non minus est quam ille alter; minus tamen peccat, quia non omnes leges simul, sed unam tantum legem violat. Nam lex, vocando crimen majestatis id, quod natura non ita est, nomen quidem invidiosum et forte pœnam majorem in reum jure statuit; sed ut peccatum ipsum gravius sit, non efficit.

Crimine læsæ
majestatis non
leges civiles sed
naturales violari:

21. Peccatum autem id, quod per legem naturalem crimen læsæ majestatis est, legis naturalis transgressio est, non civilis. Cum enim obligatio ad obedientiam civilem, cujus vi leges civiles validæ sunt, omni lege civili prior sit, sitque crimen læsæ majestatis naturaliter nihil aliud, quam obligationis illius violatio; sequitur crimine læsæ majestatis violari legem, quæ præcessit legem civilem, nempe naturalem, qua prohibemur violare pacta et fidem datam. Quod si quis princeps summus legem civilem in hanc formulam conciperet, *non rebellabis*, nihil efficeret. Nam nisi prius obligentur cives ad

obedientiam, hoc est, ad non rebellandum, omnis lex invalida est. Obligatio autem, quæ obligat ad id ad quod ante obligati erant, superflua est.

SECT. III.

14.

22. Sequitur ex hoc, puniri *rebelles, proditores*, et cæteros *læsæ majestatis* convictos, non *jure civili*, sed *naturali*, hoc est, non ut *cives malos*, set ut *civitatis hostes*; nec *jure imperii* sive *dominii*, sed *jure belli*.

Ideoque non
jure imperii, sed
jure belli puniri.

23. Sunt qui facta contra legem civilem, quando pœna ipsa lege definitur, expiari putant, si pœnam volentes subeant; neque reos esse coram Deo violatæ legis naturalis (quamquam violando civiles leges, violamus quoque naturales, quæ jubent civiles observari) eos, qui pœnam solverunt, quam lex exigebat: tanquam lege non vetaretur factum, sed pœna pretii loco proponeretur, quo licentia faciendi ea, quæ lege prohibentur, venundaretur. Per eandem rationem possent inferre etiam nullam omnino legis transgressionem peccatum esse; sed quam suo periculo libertatem quisque emerit, eam jure habere. Sciendum autem est verba legis duplici sensu intelligi posse: altero, ut duas partes (prout dictum est supra articulo 7) contineat, nempe prohibentem absolute, ut *non facies*; et vindicantem, ut *qui facit, pœnas dabit*: altero, ut unum contineat conditionale, ut, *non facies, nisi pœnas velis solvere*; et sic, lex non simpliciter, sed conditionaliter prohibet. Si primo modo intelligitur, qui facit, peccat; quia, quod lege vetitum est, facit. Si secundo, non peccat, quia facere vetitum non est implenti conditionem. Nam, in primo sensu, omnes facere prohibentur; in secundo, ii soli, qui se pœnæ subtrahunt. In primo sensu, legis pars vindicativa non reum obligat, sed magistratum

Obedientiam
non recte dis-
tingui in acti-
vam et passivam.

SECT. III. ^{14.} pœnas exigere; in secundo obligatur ad pœnas exigendas ipse, qui pœnas debet; ad quas solvendas, si capitales aut alioqui graves sint, obligari non potest. Utro vero sensu lex accipienda sit, ab arbitrio dependet ejus, qui summum habet imperium. Ubi ergo de sententia legis dubitatur, quia certis sumus non peccare qui non faciunt, peccatum erit si facimus, utcunque lex postea explicari possit. Nam quod dubitas an sit peccatum necne, id facere, cum abstinere liberum sit, contemptio legum est; ideoque, per capitis tertii articulum vigesimum octavum, peccatum contra legem naturalem. Inanis igitur est distinctio illa *obedientiæ* in *activam* et *passivam*; quasi pœnis humano arbitrio positus expiari possit, quod peccatum est contra legem naturalem, quæ est lex Dei; aut quasi non peccent, qui peccant suo damno.

Obedientiam
non recte dis-
tingui in acti-
vam et passivam.

RELIGIO.

CAPUT XV.

DE REGNO DEI PER NATURAM.

1. *Propositio sequentium.* 2. In quos dicatur Deus regnare. 3. Verbum Dei triplex: ratio, revelatio, prophetia. 4. Regnum Dei duplex, naturale et propheticum. 5. Jus, quo regnat Deus, situm est in omnipotentia ejus. 6. Idem ex Scriptura Sacra. 7. Obligationem obedientiæ Deo præstandæ procedere ab imbecillitate humana. 8. Leges Dei in regno naturali esse eas, quæ secundo et tertio capitibus supra recitatas sunt. 9. Honor et cultus, quid sunt. 10. Cultum consistere vel in attributis, vel in actionibus. 11. Et esse alium naturalem, alium arbitrarium. 12. Alium jussum, alium spontaneum. 13. Quis sit cultus finis seu scopus. 14. Quænam sint leges naturales circa Dei attributa. 15. Quænam sint actiones, quibus exhibetur cultus naturaliter. 16. In regno Dei naturali, civitatem posse cultum Dei instituere arbitrio suo. 17. Regnante Deo per naturam solam, legum omnium interpretem esse civitatem, id est, eum hominem vel curiam, quæ habet sub Deo civitatis imperium summum. 18. Dubitationes quædam sublatae. 19. In regno Dei naturali, quid sit peccatum, et quid crimen læsæ majestatis divinæ.

1. **QUOD status naturæ, hoc est, libertatis absolute, qualis est eorum qui neque regnant neque regnantur, anarchia sit et status hostilis; quod præcepta, quibus talis status evitatur, sint *leges naturæ*; quod civitas existere sine summo imperio non possit; quod iis, qui summum imperium obtinent, obediendum sit simpliciter, id est, in omnibus**

SECT. III.

15;

Propositio
sequentium.

SECT. III. www.libtool.net quæ mandatis Dei non repugnant ; in antecedentibus et ratione et Sacræ Scripturæ testimoniis comprobatum est. Deest ad integram civilis officii cognitionem hoc unicum, ut sciamus quæ sint leges sive mandata Dei. Aliter enim sciri non potest, utrum ea, quæ jubemur facere auctoritate imperii civilis, sint contra leges Dei, necne. Ex quo contingere necesse est, ut vel, nimia obedientia erga civitatem, contumaces simus erga majestatem divinam ; vel, metu peccandi in Deum, incurramus in contumaciam erga civitatem. Ut utrumque hunc scopulum effugiamus, necessaria est cognitio legum divinarum. Quoniam vero legum cognitio dependet a cognitione regni, dicendum est in sequentibus de *regno Dei*.

In quos Deus
dicatur regnare.

2. Psalm. xcvi. 1, *Dominus regnavit, exultet terra*, dicit Psalmista. Et rursus idem Psalmista, (Psalm. xcvi. 1) *Dominus regnavit, irascantur populi ; qui sedet super cherubin, moveatur terra*. Scilicet velint nolint homines, Deus est rex universæ terræ ; neque si sint qui *existentiam* ejus vel *providentiam* negaverint, ideo solio suo excutitur. Quamquam autem Deus homines universos ita per potentiam regat, ut nemo possit quidquam facere quod ille factum nolit, non est tamen hoc, proprie et accurate loquendo, regnare. Regnare enim dicitur, non qui *agendo*, sed qui *loquendo*, id est, *præceptis* et *minis* regit. In regno igitur Dei, pro subditis habemus, non corpora inanimata, neque irrationalia, licet potentiæ divinæ subjiciantur ; quia *præcepta* et *minas* Dei *non intelligunt* : neque etiam *atheos* ; quia Deum esse non credunt : neque eos, qui Deum esse credentes eum tamen inferiora hæc regere non credunt ; nam et hi, quamquam regantur a potentia Dei, *præcepta* ejus nulla

agnoscunt neque minas metuunt. Soli igitur in regno Dei censendi sunt, qui ipsum et rectorem omnium rerum esse, et *præcepta* hominibus *dedisse*, et *pœnas* in transgressores *statuisse* agnoscunt. Cæteros non subditos, sed hostes Dei appellare debemus.

SECT. III.

15.

3. Regere autem *præceptis* non dicitur, nisi qui regendis præcepta sua aperte declarat; nam *præcepta* regentium leges sunt iis qui reguntur. *Leges* autem non, nisi quæ perspicue promulgantur, ita ut omnis tollatur ignorantiae excusatio. Leges suas homines quidem *verbo* sive *voce* promulgant, nec alio modo voluntatem suam universaliter significam possunt. Dei autem *leges* triplici modo declarantur. Primo, *per tacita rectæ rationis dictamina*. Secundo, *per revelationem immediatam*, quæ intelligitur fieri per *vocem supernaturalem*, vel per *visionem*, vel *somnium*, vel *inspirationem* seu afflatum divinum. Tertio, *per vocem alicujus hominis*, quem Deus per vera miracula edita, ut fide dignum, cæteris commendavit. Is autem, cujus voce sic utitur Deus ad voluntatem suam aliis significandam, vocatur **PROPHETA**. Tres hi modi dici possunt triplex *verbum Dei*, nimirum, *verbum rationale*, *verbum sensibile*, et *verbum propheticum*. Quibus respondent tres modi, quibus audire Deum dicimur, *ratiocinatio recta*, *sensus*, et *fides*. *Verbum Dei sensibile* ad paucos factum est, neque Deus per revelationem hominibus loquutus est, nisi viritim et diversis diversa; neque ullæ leges regni hoc modo populo ulli promulgatæ fuerunt.

Verbum Dei
triplex; ratio,
revelatio, et
prophetia.

4. Pro differentia autem quæ est inter *verbum Dei rationale* et *propheticum*, Deo regnum duplex attributum est: *naturale*, in quo regit per dictamina rectæ rationis; quodque universale est in

Regnum Dei
duplex, naturale
et propheticum.

SECT. III. 15. omnes qui divinam agnoscunt potentiam, propter naturam rationalem omnibus communem: et *propheticum*, in quo regit etiam per *verbum propheticum*; quod peculiare est, propterea quod non omnibus dedit leges positivas, sed populo peculiari, et certis quibusdam hominibus a se electis.

Jus, quo regnat Deus, situm est in omnipotentia ejus.

5. In *regno naturali*, regnandi et puniendi eos, qui leges suas violant, jus Deo est a sola *potentia irresistibili*. Jus enim omne in alios vel a *natura* est, vel a *pacto*. Quomodo jus regnandi ex *pacto* oritur, ostensum est capite sexto. A *natura* autem idem jus derivatur, eo ipso quod a natura non sit sublatum. Cum enim per naturam jus esset omnibus in omnia, unicuique erat jus in omnes regnandi ipsi naturæ cœvum. Causa autem, quare inter homines id abolitum fuerit, alia non erat præter mutuum metum, ut supra capite secundo, articulo tertio, ostensum est; dictante scilicet ratione decedendum esse a jure illo propter conservationem humani generis; quia æqualitatem hominum inter se quoad vires et potentias naturales necessario conseqebatur bellum; cum bello autem generis humani pernicies conjuncta est. Quod si quis cæteros potentia in tantum anteisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent, ratio, quare de jure sibi a natura concesso decederet, nulla omnino fuisset. Mansisset igitur ipsi jus dominii in cæteros omnes propter potentiã excessum, qua et se et illos conservare potuisset. Iis igitur, quorum potentiã resisti non potest, et per consequens Deo *omnipotenti*, jus dominandi ab ipsa *potentia* derivatur. Et quotiescunque Deus peccatorem punit vel etiam interficit, etsi ideo punit quia peccaverat, non tamen dicendum est non potuisse eum eundem juste affligere vel etiam occidere,

etsi non peccasset. Neque si voluntas Dei, in puniendo, peccatum antecedens respicere possit, ideo sequitur quod affligendi vel occidendi jus non a *potentia divina* dependeat, sed a *peccato hominis*.

SECT. III.

15.

6. Quæstio ista, disputationibus antiquorum nobilitata, *quare bonis mala, et malis bona contingunt*, eadem est cum hac nostra, *quo jure Deus bona et mala hominibus dispenset*: et difficultate sua non solum vulgi, sed etiam philosophorum, et quod majus est, sanctorum hominum de divina providentia fidem vacillare fecit. *Quam bonus*, inquit David (Psalm. lxxii. 1, 2, 3), *Israelis Deus his, qui rectosunt corde; mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*. Et Job, quam acriter cum Deo expostulabat, quod *justus* cum esset, tantis tamen calamitatibus affligeretur? Solvit difficultatem hanc, in casu Job, ipse Deus viva voce, et jus suum argumentis, non a peccato ejus, sed a potentia propria desumptis, confirmavit. Ita enim disputarunt inter se Job et amici ejus, ut hi illum reum facerent, propterea quod puniretur; ille horum accusationem argumentis ab innocentia sua redargueret. Atqui Deus, cum et illum et hos audivisset, expostulationem illius refutat, non injustitiæ aut peccati alicujus ipsum damnando, sed propriam potentiam explicando, Job xxxviii. 4, et sequentibus: *Ubi*, inquit, *eras tu, quando ponebam fundamenta terræ?* etc. De amicis autem (Job xlii. 7) *iratum se*, ait, *contra eos, quod non locuti fuerint rectum coram eo, sicut servus ejus Job*. Sententiæ huic consentanea est ea, quam dixit Servator noster in casu ejus, qui cæcus natus erat, cum interrogantibus discipulis an ipse peccasset quod nasceretur cæcus, an parentes, respondit (Joh. ix. 3): *Neque hic peccavit, neque*

Idem ex
Scriptura Sacra.

SECT. III. *parentes ejus; sed ut manifestarentur opera Dei*
 15. *in illo.* Quamquam autem dictum sit (Rom. v. 12)

Mortem intrasse in hunc mundum per peccatum, non sequitur quin Deus jure suo potuerit homines et morbis et morti obnoxios fecisse, etiamsi nunquam peccassent; quemadmodum cætera animalia mortalia fecit et morbosa, etiamsi peccare non possunt.

Obligationem obedientiæ Deo præstandæ procedere ab imbecillitate humana.

7. Quod si jus regnandi habeat Deus ab omnipotentia sua, manifestum est *obligationem* ad præstandam ipsi obedientiam incumbere hominibus propter* imbecillitatem. *Obligatio* enim quæ ex pacto oritur, de qua dictum est capite secundo, hic, ubi jus imperandi nullo intercedente pacto a natura oritur, locum habere non potest. Sunt autem *obligationis naturalis* duæ species: una, ubi libertas impedimentis corporeis tollitur; juxta quam cælum et terram et creaturas omnes communibus suæ creationis legibus obedire dicimus: altera, ubi tollitur spe et metu; juxta quam infirmior potentiore, cui resistere se posse desperat, non potest non obedire. A secundo hoc obligationis genere nascitur, hoc est, a metu, sive imbecillitatis propriæ, respectu divinæ potentiae, conscientia, quod in regno Dei naturali ad obediendum Deo obligemur; dictante scilicet ratione omnibus Dei potentiam et

Propter imbecillitatem.] Si cui durum hoc videbitur, illum rogo ut tacita cogitatione considerare velit, si essent duo omnipotentes, uter utri obedire obligaretur. Confitebitur, credo, neutrum neutri obligari. Hoc si verum est, verum quoque est quod posui, homines ideo Deo subjectos esse, quia omnipotentes non sunt. Etenim Servator noster Paulum admonens, qui eo tempore ecclesiæ hostis erat, ne contra stimulum calcitraret, obedientiam ab illo eo nomine videtur exegisse, quod ad resistendum satis virium non haberet.

providentiam agnoscentibus, *non esse calcitrandum contra stimulum.*

SECT. III.
15.

8. Quoniam *verbum Dei* per naturam solam regnantis, aliud non supponitur præter rectam rationem; leges autem regum ab eorum *verbo* solo cognosci possunt; manifestum est leges Dei, per solam naturam regnantis, solas esse *leges naturales*; nempe illas, quas capitibus secundo et tertio enumeravimus, et a rationis dictatis deduximus, *humilitatem, æquitatem, justitiam, misericordiam*, cæterasque *virtutes morales pacis* conciliatrices, quæ pertinent ad officia hominum erga se invicem; et illas, quas ratio recta dictaverit præterea, circa honorem et cultum divinæ majestatis. Quæ sint illæ *leges naturales*, sive *virtutes morales*, non est opus repetere. Quos honores autem, et quem cultum divinum, id est, quas *leges sacras* eadem dicet *ratio naturalis*, videndum est.

Leges Dei in regno naturali esse eas, quæ secundo et tertio capitibus supra recitatæ sunt.

9. HONOR, proprie loquendo, nihil aliud est quam opinio alienæ *potentiæ* conjunctæ cum *bonitate*. Et *honorare* aliquem, idem est quod magni æstimare. Et sic honor non in *honorato*, sed in *honorante est*. *Honorem* autem in opinione situm consequuntur necessario tres affectus: *amor*, qui ad *bonitatem*; *spes* et *timor*, qui ad *potentiam* referuntur. Ex his autem oriuntur actiones externæ, quibus potentes placari et propitii fieri solent, et quæ sunt ipsius honoris effectus, ideoque et signa naturalia. Sed nomen *honor* translatum est etiam ad effectus illos honoris externos; quo sensu, *honorare* eum dicimur, de cujus potentia testamur, verbis vel factis, nos egregie sentire; ut *honor* idem sit quod *cultus*. CULTUS autem est actus externus honoris interni signum. Et quos officiis placare,

Honor et cultus quid sint.

SECT. III. si irati sint, vel utcunque propitios nobis reddere
 15. studemus, eos *colere* dicimur.

Cultum consis-
 tere vel in
 attributis vel
 in actionibus :

10. Signa animi omnia, vel *verba* sunt vel *facta* ; ideoque *cultus* omnis, vel *verbis* vel *factis* constat. Utraque autem ad tria genera referuntur ; quorum primum, *laus* est sive *prædicatio bonitatis* ; secundum, *prædicatio potentiæ præsentis*, quod est *magnificare*, *μεγαλυνειν* ; tertium, *prædicatio felicitatis* sive *potentiæ in futurum* etiam securæ, quæ *μακαρισμὸς* dicitur. Honorum, inquam, unumquodque genus, non in *verbis* modo, sed etiam in *factis* spectari potest. *Verbis* autem *laudamus* celebramusque tunc, quando fit per propositionem, sive *dogmatice*, hoc est, per *attributa*, sive *nomina*, quod *enunciative* et *categoriale* laudare vel celebrare dici potest ; ut cum dicimus illum, quem honoramus, esse *liberalem*, *fortem*, *sapientem*. *Factis* vero, quando fit *per consequens* sive *per hypothesin*, ut *gratiarum actione*, quæ *bonitatem* ; *obedientia*, quæ *potentiam* ; *congratulatione*, quæ *felicitatem* supponit.

Et esse alium
 naturalem,
 alium arbi-
 trarium :

11. Sive autem *verbis* sive *factis* aliquem celebrare velimus, inveniemus alia, quæ honorem apud omnes significant ; qualia sunt, inter *attributa*, nomina *virtutum* et *potentiarum* generalia, quæ in malam partem accipi non possunt, ut *bonus*, *pulcher*, *fortis*, *justus*, et similia ; inter *actiones* autem, *obedientia*, *gratiarum actio*, *preces*, aliaque ejus generis, quibus agnitio potentiæ et virtutis semper subintelligitur : alia, quæ honorem apud quosdam significant, apud alios vero contumeliam ; vel neutrum ; qualia sunt, in *attributis*, nomina quæ ad virtutes vel vitia, honesta vel inhonesta, pro diversitate opinionum diverse referuntur ; ut

quod occiderit inimicum; quod fugerit; quod sit philosophus; quod orator, et similia, quæ apud alios in honore, aliis contemptui habentur: *in factis*, ea quæ dependent a consuetudine loci, vel præ scriptis legum civilium; ut, inter salutandum, caput nudare, calceos deponere, corpus inclinare, stantem, prostratum, vel genibus innixum aliquid petere, ceremoniarum formulæ, et similia. *Cultus* autem ille, qui apud omnes et semper honorificus est, *naturalis*; alter vero, qui loca et mores sequitur, *arbitrarius* dici potest.

SECT. III.

16.

12. Porro, *cultus* esse potest *imperatus*, scilicet Alium jussum, alium spontaneum. jussu ejus qui colitur; et potest esse *spontaneus*, nimirum talis qualis videbitur colenti. Si *imperatus*, actiones, quæ adhibentur, non significant honorem ut *tales*, sed ut *imperatæ*: significant enim *obedientiam* immediate, *obedientia potentiam*; ita ut *cultus imperatus* consistat obedientia. *Spontaneus* sola natura actionum fit honorificus; quæ si honoris significativæ sint apud spectantes, *cultus*; aliter *contumelia* est. Rursus, *cultus* vel *publicus*, vel *privatus* esse potest. *Publicus* autem *spontaneus* esse respectu colentium singulorum non potest; respectu civitatis, potest. Cum enim quod spontanee fit, arbitrio fiat facientis, non esset cultus unus qui exhiberetur, sed tot cultus quot colentes, nisi unius imperio arbitria omnium unirentur. *Privatus* autem *spontaneus* esse potest, si exhibeatur secreto. Quod enim palam fit, vel legibus vel verecundia coercitum est; quod naturæ *spontanei* adversatur.

13. Ut autem, qui sit *colendi* alios *scopus* et Quis sit cultus finis seu scopus *finis*, cognoscatur, consideranda causa est, quare homines cultu gaudeant. Sumendum autem est,

SECT. III.

15.

quod alias ostendimus, *gaudium* in eo situm esse, quod quis virtutem, vim, scientiam, formam, amicos, divitias, aut quamcumque aliam *potentiam* suam, vel tanquam suam, contempletur, neque aliud esse præter *gloriam* seu triumphum animi putantis se honorari, hoc est, amari et timeri, hoc est, servitia et auxilia hominum præsto habere. Quoniam vero homines, quem honorari, id est, pro potente haberi ab aliis vident, potentem esse credunt, contingit honorem cultu propagari; et potentiae existimatione, potentiam acquiri veram. *Finis* ergo ejus, qui se coli vel jubet vel patitur, is est, ut quamplurimos eo modo sibi vel amore vel metu obedientes reddat.

Quænam sint
leges naturales
circa Dei
attributa.

14. Ut sciamus autem quem *cultum* Dei assignet *ratio naturalis*, incipiamus ab *attributis*; ubi imprimis manifestum est attribuendam ei esse *existentiam*. Voluntas enim honorandi eum, quem non putamus esse, nulla esse potest. Deinde, philosophos, qui ipsum mundum vel mundi animam, id est partem, dixerunt esse Deum, indigne de Deo loquutos esse. Non enim quicquam ei attribuunt, sed omnino esse negant. Nam per nomen illud, *Deus*, intelligitur *mundi causa*; dicentes autem *mundum esse Deum*, dicunt *nullam esse ejus causam*, hoc est, *Deum non esse*. Similiter, eos, qui mundum non creatum sed æternum esse asserunt, quoniam æterni causa esse non potest, *causam mundi esse*, id est, *Deum esse* negare. Indigne item de Deo sentire, qui, otium ipsi attribuentes, mundi generisque humani regimen eidem auferunt. Nam ut omnipotentem esse fateantur, si tamen inferiora hæc non curet, locum habet apud eos tritum illud: *quod supra nos, nihil ad nos*; cumque non

sit propter quod eum ament aut timeant, illis certe est tanquam non existeret. Præterea, in *attributis* quæ significant *magnitudinem* et *potentiam*, ea, quæ finitum seu determinatum aliquod significant, minime signa esse animi honorantis. Non enim Deum digne honoramus, si minus ei *potentiæ* aut *magnitudinis* attribuimus quam possumus. Finitum autem omne minus est quam possumus; finito enim majus semper assignari et attribui facillime potest. Non igitur Deo tribueter *figura*; omnis enim *figura finita*. Neque dicetur concipi sive comprehendere imaginatione, vel quacunque facultate animæ nostræ; quicquid enim concipimus, finitum est. Et quamquam vox hæc, *infinitem*, significet conceptum animi, non tamen sequitur conceptum nobis aliquem esse *rei infinitæ*. Quando enim dicimus aliquid esse *infinitem*, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro; tanquam si diceremus nescire nos, an et ubi terminetur. Neque dici de Deo honorifice, quod *idea ejus* animo nostro insit; *idea* enim conceptus noster est; conceptus autem nisi *finiti* non est. Neque quod habeat *partes*, aut quod sit *totum* aliquid; quæ attributa quoque *finitorum* sunt. Neque quod in *loco* aliquo sit; *in loco* enim non est, nisi quod undiquaque *fines* et terminos habeat magnitudinis. Neque quod *moveatur* aut *quiescat*; utrumque enim supponit *esse in loco*. Neque plures esse Deos; quia nec plura infinita. Porro, circa *attributa felicitatis*, indigna Deo ea esse quæ significant *dolorem* (nisi intelligantur, non pro affectu, sed per metonymiam pro effectu) qualia sunt *pœnitentia*, *ira*, *miseriordia*; vel *egestatem*, ut *appetitum*, *spes*, *concupiscentia*, et *amor* ille, qui et

SECT. III.

15.

Quænam sint
leges naturales
circa Dei
attributa.

SECT. III.

15.

cupido dicitur; signa enim *indigentiae* sunt, cum intelligi non possit ut quis *appetat, speret, cupiatve*, nisi ea quibus *caret, indigetque: vel facultatem passivam; pati* enim potentiae limitatae est, et quae dependet ab alio. Quando igitur attribui-
mus Deo *voluntatem*, non est intelligenda similis nostrae; qui *appetitus rationalis* dicitur. Deus enim, si *appetat, indiget*; quod contumelia est dicere; sed supponendum est aliquid analogum, quod concipere non possumus. Similiter, quando attribui-
mus ei *visionem* et caeteros *sensuum actus*, vel *scientiam* et *intellectum*, quae in nobis nihil aliud sunt quam suscitatus a rebus externis organa prementibus animi tumultus, non est putandum aliquid tale accidere Deo; signum enim est potentiae ab alio *dependentis*, id quod non est beatissimum. Illum igitur, qui nolit attribuere Deo alia nomina quam jubet ratio, oportet uti nominibus, quae vel negativa sunt, ut *infinitus, aeternus, incomprehensibilis*, vel superlativa, ut *optimus, maximus, fortissimus*, etc. vel indefinita, ut *bonus, justus, fortis, creator, rex*, et similia; eo sensu, ut non velimus quid sit dicere; quod esset eum limitibus nostrae phantasiae circumscribere; sed propriam admirationem et obedientiam confiteri, quod humilitatis est, et proprium animi honorantis quantum potest. Unicum enim ratio dictat *naturae* significativum Dei nomen, *existens*, sive simpliciter, *quod est*; unumque *relationis* ad nos, nempe *Deus*, quo continetur et *rex*, et *dominus*, et *pater*.

Quenam sint
actiones, quibus
exhibetur cultus
naturaliter.

15. Circa *actiones externas* quibus Deus colendus est, quemadmodum et circa *attributa*, generalissimum rationis praecipuum est, ut sint signa animi honorantis; sub quo continentur, primo,

preces. Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, non facit ille Deos; qui rogat, ille facit. Sunt enim preces signa spei; spes vero potentiae et bonitatis divinæ agnitio est.

SECT. III.

15.

Quoniam sint actiones quibus cultus exhibetur naturaliter.

Secundo, *gratiarum actio*, quæ ejusdem affectus signum est; nisi quod beneficium antecedant preces, *gratia consequantur.*

Tertio, *dona*, id est *oblaciones et sacrificia*; sunt enim *gratiarum actiones.*

Quarto, *non jurare per alium.* Est enim juramentum hominis contra seipsum, si fallat, iræ imprecatio ejus, qui et scire utrum fefellerit necne, et punire, quamvis potentem, potest; id quod solius Dei est. Siquidem enim homo aliquis esset, cui neque abscondi subditorum suorum *malitia*, neque resistere potentia humana posset, sufficeret fides data, sine juramento; quæ violata posset ab homine vindicari; neque igitur juramento esset opus.

Quinto, *de Deo considerate loqui*; signum enim *timoris* est; timor autem *potentiæ confessio* est. Sequitur ex præcepto hoc, *non esse utendum Dei nomine temere, aut frustra*; utrumque enim inconsideratum est: *non esse jurandum ubi non est opus*; est enim frustra. Opus autem non est nisi inter civitates, ad vitandum vel tollendum certamen per vim, quod oriri necesse est ubi promissis fides deest; vel in civitate, ad judiciorum certitudinem. Item, *non esse disputandum de divina natura*; suppositum enim est in *regno Dei naturali, sola ratione omnia inquire*, hoc est, ex principiis scientiæ naturalis. His autem tantum abest ut sciamus naturam Dei, ut ne quidem nostri corporis aut ejusque creaturæ proprietates satis assequi possimus. Ex hujusmodi igitur disputationibus nihil

SECT. III.

15.

Quasnam sint
actiones quibus
cultus exhibetur
naturaliter.

provenit, præterquam quod ad modulum conceptionum nostrarum nomina divinæ majestati temere imponamus. Sequitur quoque, quod attinet ad jus regni Dei, inconsideratam et temerariam loquutionem esse eorum qui dicunt, *hoc* vel *illud non consistere cum justitia divinu*. Nam et homines contumeliæ ducunt, si filii sui jus eorum disputent, aut justitiam aliter quam imperatis suis metiantur.

Sexto, in *precibus, gratiarum acionibus, sacrificiisque quidquid exhibetur, oportere esse in suo genere optimum, et honoris significativum*; nimirum, *orationem* esse non subitam, aut levem, aut plebeiam, sed pulchram et bene compositam. Nam etsi absurdum erat, quod ethnici Deum sub imagine colerent, non tamen a ratione alienum erat, quod carminibus et musica in sacris uterentur. Item, *victimam pulchram, et donaria magnifica, et quæ aguntur, vel submissionis vel gratitudinis significativa, vel beneficiorum acceptorum memorativa esse*; proficiscuntur enim hæc omnia a studio honorandi.

Septimo, *Deum non solum secreto, sed palam et publice in conspectu hominum coli oportere*. Etenim cultus eo maxime placet, ut dictum est supra, articulo decimo tertio, quod gignat honorem in aliis. Nisi ergo alii videant, quod in cultu gratissimum est, perit. Postremo, *summo conatu observandas esse leges naturales*. Etenim Domini imperium parvi pendere, superat omnes alias contumelias; sicut et e contrario, omnibus sacrificiis acceptior est obedientia.

Atque hæc sunt legum naturalium circa cultum Dei præcipuæ, earum, inquam, quas dictat ratio hominibus singulis. Totis autem civitatibus, qua-

rum unaquæque una est persona, eadem ratio naturalis præterea imperat *cultus publici uniformitatem*. Nam quæ actiones fiunt a singulis secundum rationem privatam, eæ civitatis actiones non sunt, neque ergo civitatis cultus. Quod autem fit a civitate, fieri intelligitur ejus vel eorum, qui summum habent imperium, ideoque consensu civium simul omnium, id est, *uniformiter*.

SECT. III.

15.

16. *Leges naturales* circa cultum divinum, quæ præcedente articulo numerantur, signa honoris naturalia tantum exhiberi præcipiunt. Considerandum autem est duo esse genera signorum; alterum *naturalium*, alterum *pactitiorum* sive ex constituto expresso, vel tacito. Quoniam jam in omni lingua, *nominum* sive *appellationum* usus ex constituto oritur, etiam ex constituto poterit mutari. Quod enim dependet et vim suam derivat a voluntate hominum, eorundem consentientium voluntate mutari vel aboleri potest. *Nomina* ergo quæ ex constituto hominum obtinuerunt Deo *attribui*, eorundem constituto cessare possunt: quod autem constituto hominum potest fieri, id constituere civitati licet. Jure ergo civitas, hoc est, ii, qui totius civitatis potestatem habent, quæ *nomina* sive *appellationes* Deo *honorificæ* sint, quæ non sint, hoc est, quæ doctrinæ de natura et operationibus Dei publice tenendæ vel profitendæ sunt, judicabit. Actiones autem significant non ex constituto hominum, sed naturaliter, sicut effectus sunt signa suarum causarum; quarum quædam semper signa sunt contemptus eorum, coram quibus fiunt, nimirum quibus ostentatur corporis immundities, et quæcunque pudet facere coram iis quos reveremur: aliæ semper signa sunt honoris, ut, accedere et

In regno Dei naturali, civitatem posse cultum Dei instituere arbitrio suo.

SECT. III.

15.

alloqui **decenter** et humiliter, cedere de via vel de alio quocunque commodo. Nihil in his mutare civitas potest. Sed infinitæ aliæ sunt, quæ, quod attinet ad honorem aut contumeliam, adiaphoræ sunt; eæ vero in signa honoris a civitate et institui possunt, et institutæ revera honorificæ sunt. Ex quo intelligi potest civitati obediendum esse, quicquid jusserit pro signo honorandi Deum, id est, pro cultu usurpari, modo id in signum honoris institui possit; quia honoris signum est, quod jussu civitatis pro tali usurpatur.

Regnante Deo per naturam solam, legum omnium interpretem esse civitatem id est eum hominem vel curiam, quæ habet sub Deo civitatis imperium summum.

17. Regnante Deo per solam naturam, quæ sint leges ejus, tam sacræ quam seculares, diximus jam. Quoniam autem nemo est, quin falli ratiocinando possit, contingatque circa plerasque actiones homines discordi sententia esse, quæri ulterius potest, quemnam *rectæ rationis*, hoc est, legum suarum *interpretem* Deus esse voluit. Et de *legibus* quidem *secularibus*, id est, de iis quæ pertinent ad justitiam et mores hominum versus homines, ex ante dictis de civitatis constitutione, rationi consentaneum esse demonstravimus, judicia omnia esse penes civitatem; judicia autem nihil aliud esse, quam legum *interpretationes*: et per consequens, legum *interpretes* ubique esse civitates, hoc est, eos qui civitatum habent imperium summum. De *legibus* autem *sacris* considerandum est, quod supra capite quinto, articulo decimo tertio, demonstravimus, singulos cives tantum juris in eum vel eos, qui imperium habent civitatis, quantum transferre potuerunt, transtulisse. Potuerunt autem transferre jus decernendi de modo quo Deus honorandus sit. Ergo et transtulerunt. Quod autem id potuerint, ex eo manifestum est, quod modus honorandi Deum ante con-

stitutam civitatem ab uniuscujusque *ratione privata* petendus erat. Unusquisque autem *rationem privatam rationi totius civitatis* submittere potest. Præterea, si singuli propriam rationem in colendo Deo sequerentur, in tanta diversitate colentium, alter alterius cultum indecorum vel etiam impium judicaret; neque alter alteri Deum honorare videretur. Non esset ergo *cultus*, ne is quidem qui maxime cum ratione congrueret; propterea quod natura *cultus* in eo consistit, ut sit *signum honoris interni*. Signum autem non est, nisi quo aliquid innotescit aliis. Neque ergo signum honoris est, nisi quod aliis sic videtur. Rursus, signum verum est, quod consensu hominum fit signum. Ergo etiam honorificum est, quod consensu hominum, id est, jussu civitatis fit signum honoris. Non est ergo contra voluntatem Dei, per solam rationem declaratam, exhibere ipsi signa honoris, quæ imperabit civitas. Possunt ergo cives jus decernend, de modo colendi Deum, in eum vel eos transferre, qui civitatis habent imperium summum. Imo debent; alioquin enim omnes absurdæ opiniones de natura Dei, ceremoniæque omnes ridiculæ, quæ apud ulla gentes exstiterent, in eadem simul civitate conspicerentur; ex quo contingeret unicuique credere cæteros omnes Deum contumelia afficere. Itaque de nemine recte dici posset, quod Deum cole-ret: nemo enim Deum colit, id est, honorat externe, nisi is qui ea facit, quibus aliis appareat honorare. Concludi itaque potest, *legum naturalium*, tam *sacrarum* quam *secularium*, regnante Deo per solam naturam, *interpretationem* dependere ab auctoritate civitatis, hoc est, ejus hominis vel curiæ, cui concessum est summum civitatis imperium; et

SECT. III.

15.

Regnante Deo per naturam solam, legum omnium interpretem esse civitatem id est eum hominem vel curiam, quæ habet sub Deo civitatis imperium summum.

SECT. III. 15. Deum, quicquid imperat, per ejus vocem imperare: et e converso, quod ab iis imperatur et circa modum honorandi Deum et circa secularia, imperari a Deo.

Dubitationes
quædam sublata

18. In contrarium autem interrogare quis poterit, primo, an non sequatur obediendum civitati esse, si directe imperat Deum contumelia afficere, vel prohibeat colere. Dico, non sequi, neque esse obediendum. Nam contumelia afficere, aut non omnino colere, a nemine intelligi potest pro modo colendi. Neque etiam habuit quisquam ante civitatem constitutam, eorum qui Deum regnare agnovissent, jus negandi honorem ipsi inde debitum: neque ergo jus talia imperandi in civitatem transferre potuit. Deinde, si quæretur, an obediendum civitati sit, si imperet aliquid dici vel fieri, quod non est directe in Dei contumeliam, sed ex quo per ratiocinationem consequentiæ contumeliosæ possunt derivari; veluti si imperetur, Deum colere sub imagine, coram iis, qui id fieri honorificum esse putant; certe faciendum* est. Cultus enim insti-

* *Certe faciendum est.*] Diximus capitis præsentis articulo decimo quarto, qui Deo terminos attribuunt, facere eos contra legem de cultu Dei naturalem. Jam, qui Deum colunt sub imagine, terminos illi statuunt; faciunt ergo quod faciendum non est; et locus hic priori videtur esse contrarius. Sciendum igitur est, primo, non illos, qui imperio coacti sic colunt, Deo terminos assignare, sed qui imperant. Nam qui inviti colunt, revera colunt, sed eo in loco stant vel procumbunt, in quo loco stare vel procumbere a legitimo imperante jussi sunt. Secundo, faciendum esse dico, non semper et ubique, sed supposito nullam aliam esse colendi Deum regulam præter dictamina humanæ rationis; nam tunc voluntas civitatis pro ratione est. At in regno Dei per pactum, sive antiquum sive novum, ubi expresse prohibetur idololatria, etsi civitas sic colere jubeat, tamen faciendum non est. Quæ si consideraverit, qui repugnantiam putavit esse aliquam inter articulum hunc et decimum quartum, ita putare desinet.

tuitur in signum honoris: sic autem colere signum honoris est, et honorem Dei propagat apud eos, quibus pro signo habetur. Vel si imperetur Deo nomen attribuere, quod non intelligimus quid significet, aut quomodo cum hoc ipso nomine, *Deo*, cohæreat; id quoque faciendum est; quia quæ facimus honoris causa, nec intelligimus aliter se habere, si pro signis honoris accipiuntur, signa honoris sunt; ideoque, si ea facere recusamus, recusamus Dei honorem propagare. Idem sentiendum est de omnibus *attributis* et *actionibus* circa cultum Dei mere rationalem, quæ cadere in controversiam vel disputari possunt. Quamquam enim hujusmodi imperata possunt esse interdum contra rectam rationem, ideoque peccata in iis qui imperant; non tamen sunt contra rectam rationem, neque peccata in subditis, quorum in rebus controversis recta ratio est ea, quæ submittitur rationi civitatis. Postremo, si is homo vel curia, cui commissa est summa potestas civitatis, jubeat se coli *attributis* et *actionibus* illis, quibus colendus est Deus, quæri potest an obediendum sit. Multa sunt quæ et Deo et hominibus communiter attribui possunt; nam et homines *laudari* et *magnificari* possunt; multæque actiones, quibus et Deus et homines coli possunt. Sed *attributorum* et *actionum* significationes tantum spectandæ sunt. *Attributis* ergo, quibus significamus sentire nos, hominem aliquem ita imperium habere ut a Deo non dependeat, vel esse immortalem, vel potentiæ infinitæ, et similia, quamquam jubeant reges, abstinendum est; sicut et *actionibus* idem significantibus, ut precari absentem, rogare ea quæ solus Deus dare potest, ut pluvias et serenitatem; offerre ei quæ solus Deus

SECT. III.

15.

Dubitationes
quædam sublatae

SECT. III.

15.

accipere potest, ut holocausta; vel cultum exhibere, quo major exhiberi non potest, ut sacrificium. Hæc enim eo tendunt, ne Deus regnare existimetur; contra id quod ab initio supponitur. Cæterum genuflexio, prostratio, vel alius quicumque actus corporis adhiberi licite potest, etiam in cultu civili: possunt enim significare agnitionem potestatis civilis tantum. Cultus enim divinus a civili, non motu, situ, habitu, aut gestu corporis distinguitur, sed sententiæ de eo, qui colitur, declaratione; ut si prosternamus nos ante aliquem, animo declarandi eo signo quod habemus eum pro Deo, cultus divinus est: si idem facimus in signum agnitionis imperii civilis, cultus civilis est. Neque distinguitur *cultus divinus* a *civili* per ullam actionem, quæ intelligi solita est sub nominibus *λατρεία* et *δουλεία*; quorum prius servorum *officium*, posterius *sortem* denotans, nomina sunt ejusdem numero actionis.

In regno Dei naturali, quid sit peccatum, et quid crimen læsæ majestatis divinæ.

19. Ex iis, quæ dicta sunt, colligitur, regnante Deo per solam rationem naturalem, peccare subditos, primo, si violant leges morales illas, quæ explicatæ sunt capitibus secundo et tertio: secundo, si violant leges sive mandata civitatis in iis rebus, quæ pertinent ad justitiam: tertio, si non colant Deum *κατὰ τὰ νόμιμα*: quarto, si non confiteantur coram hominibus verbis et factis, unum esse Deum optimum, maximum, beatissimum, totius mundi mundanorumque regum regem supremum: hoc est, si Deum non colunt. Quartum hoc peccatum in regno Dei naturali, per ea quæ dicta sunt capite præcedente, articulo vigesimo, *læsæ divinæ majestatis crimen* est. Est enim negatio divinæ potestatis, sive *atheismus*. Procedunt enim peccata hic, similiter ac si supponeremus aliquem ho-

minem esse supremum regem, qui absens regnaret per proregem; contra quem peccarent quidem illi, qui proregi non obedirent in omnibus, excepto si regnum sibi ipsi arrogaret, vel alii tradere voluerit; illi vero qui ita absolute eidem obedirent, ut illud non exciperent, rei majestatis dicerentur.

CAPUT XVI.

DE REGNO DEI PER PACTUM VETUS.

1. Veram religionem, superstitione exterarum nationum occupante, instituit Deus per Abrahamum. 2. Pacto inter Deum et Adamum prohibita est disputatio de mandatis superiorum. 3. Pacti inter Deum et Abrahamum formula. 4. In pacto illo continetur agnitio Dei non simpliciter, sed ejus qui apparuit Abrahamo. 5. Leges, quibus Abrahamus tenebatur, aliae non erant praeter leges naturae, et legem circumcisionis. 6. Abrahamus verbi Dei et legum omnium apud suos interpretus erat. 7. Subditi Abrahami peccare non potuerunt ipsi obediendo. 8. Pactum Dei cum populo Hebraeo ad montem Sinai. 9. Inde regimen Dei nomen regni sortitum est. 10. Quænam leges Judæis a Deo impositæ sint. 11. Quid sit, et quomodo cognoscendum verbum Dei. 12. Quodnam fuerit verbum Dei scriptum apud Judæos. 13. Potestatem interpretandi verbum Dei, et summam potestatem civilem conjunctas fuisse in Mose, dum viveret. 14. Easdem conjunctas fuisse in summo sacerdote, vivente Josua. 15. Easdem conjunctas fuisse in summo sacerdote usque ad Saulem regem. 16. Easdem conjunctas fuisse in regibus usque ad captivitatem. 17. Easdem fuisse in sacerdotibus post captivitatem. 18. Apud Judæos, negatio providentiæ divinæ et idololatria sola erant crimina læsæ majestatis divinæ; in cæteris omnibus, principibus suis parere debebant.

1. HABET hoc humanum genus, ab imbecillitatis propriæ conscientia et admiratione eventuum naturalium, ut plerique credant esse omnium rerum visibilium opificem invisibilem Deum; quem etiam

SECT. III.
16.

Veram religionem, superstitione cæteras

SECT. III.

16.

nationes occupante, instituit Deus per Abrahamum.

metuunt, sentientes non esse sibi satis tutelæ in seipsis. Cæterum, ut eum recte colerent, imperfectus usus rationis et affectuum vehementia obstiteret. Metus autem invisibilium, quando a recta ratione separatur, superstitio est. Hominibus itaque, sine speciali Dei auxilio, utrumque scopulum effugere *atheismum* et *superstitionem*, pene erat impossibile: hæc enim a metu sine recta ratione, ille a *rationis opinione* sine metu proficiscitur. Maximam itaque partem hominum facile occupavit *idololatria*; et coluerunt Deum omnes pene gentes sub *imaginibus* et *figuris* rerum finitarum, spectraque sive phantasmata, forte ex metu dæmonia appellantes, coluere. Placuit autem Divinæ Majestati, ut in Historia Sacra scriptum legimus, ex genere humano unum, per quem ad verum sui cultum homines perduceret, evocare Abrahamum; illi se supernaturaliter revelare; et cum illo atque illius semine celeberrimum illud inire pactum, quod appellatur *pactum*, et *fædus*, et *Testamentum antiquum*. Is igitur religionis veræ caput est; is (Josephi Antiq. Jud. lib. I. cap. 7.) *post diluvium unum esse Deum creatorem universi primus docuit*: et ab eo *regnum Dei per pacta* initium sumit.

Pacto inter Deum et Adamum, prohibita est disputatio de mandatis superiorum.

2. Initio mundi regnavit quidem Deus, non solum naturaliter, sed etiam per *pactum*, super Adamum et Evam; ut videatur nullam voluisse obedientiam præstari sibi, præter illam quam dictaret ratio naturalis, nisi *per pactum*, id est, ex ipsorum hominum consensu. Quoniam autem *pactum* hoc statim irritum factum est, neque unquam post renovatum, non est inde *regni* Dei, de quo hoc loco agimus, deducenda origo. Hoc tamen obiter notandum, præcepto illo de non comedendo de arbore

scientiæ boni et mali, sive judicatio de bono et malo prohibita sit, sive esus fructus alicujus arborei, Deum postulasse præceptis suis obedientiam simplicissimam, sine disputatione an *bonum* vel *malum* esset quod præciperetur. Fructus enim arboris, si mandatum absit, nihil habet in natura sua, quo esus ejus moraliter *malus*, hoc est, *peccatum* esse possit.

SECT. III.

16.

3. Pactum autem inter Deum et Abrahamum hac formula initum est (Gen. xvii. 7, 8): *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te in sempiternum: daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan, in possessionem æternam.* Quo vero Abrahamus et semen ejus memoriam fœderis hujus conservare posset, necessaria erat signi institutio. Adjecta ergo est pacto *circumcisio*, sed tamen ut signum tantum (vers. 10): *Hoc est pactum meum, quod observabis inter me et te, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri; ut sit in signum fœderis inter me et vos.* Pactum ergo est, ut Abrahamus agnoscat *Deum* esse Deum ipsius et seminis ejus, hoc est, illi submittat se regendum; et ut Deus det Abrahamo hæreditatem terræ illius, in qua tunc habitabat, sed ut peregrinus; utque Abrahamus in signum memoriale hujus pacti curaret se et semen ejus masculinum *circumcidi*.

Pacti inter Deum et Abrahamum formula.

4. Cum vero Abrahamus, etiam ante pactum, Deum agnovisset mundi creatorem et regem; neque enim de *existentia*, neque de *providentia* Dei unquam dubitavit; quomodo superfluum non erat, quod obedientiam sibi natura debitam voluerit

In pacto illo continetur agnitio Dei, non simpliciter, sed ejus, qui apparuit Abrahamo.

SECT. III.

16.

Deus pretio et per *contractum* acquirere, promittendo scilicet Abrahamo regnum terræ Chanaan, hac lege, ut acciperet eum pro Deo suo, cum jure naturali id jam ante esset? Illis itaque verbis, *ut sim Deus tuus et seminis tui post te*, non intelligitur satisfieri huic *pacto* ab Abrahamo, sola agnitione potestatis et dominii, quod Deus habet in homines naturaliter, hoc est, agnoscendo Deum indefinite, quod *rationis naturalis* est; sed oportere eum agnoscere definite illum, qui dixerat ipsi (Gen. xii. 1): *Egredere de terra tua*, etc. (Gen. xiii. 14): *Leva oculos*, etc. qui apparuit ei, (Gen. xviii. 1, 2): sub specie trium virorum cœlestium: et (Gen. xv. 1), per visionem: et (vers. 13), per somnium: quod *fidei est*. Qua specie apparuerit Deus Abrahamo, quali sono eum alloquutus sit, non explicatur. Constat tamen credidisse Abrahamum vocem illam fuisse vocem Dei et revelationem veram, et voluisse a suis coli illum, qui sic eum alloquutus erat, pro Deo universi creatore; fidemque ejus in eo sitam fuisse, non quod crediderit *Deum esse*, aut in promissis *veracem esse*, id quod credunt omnes; sed quod non dubitaverit Deum fuisse illum, cujus vocem et promissa audierat. Et *Deum Abrahami* significare, non simpliciter *Deum*, sed *Deum illi apparentem*; quemadmodum cultus, quem Abrahamus debebat Deo, eo nomine non erat cultus *rationis*, sed *religionis* et *fidei*; nec quem *ratio*, sed quem Deus *supernaturaliter* revelaverat.

Leges, quibus Abrahamus tenebatur, aliæ non erant præter leges naturæ, et legem circumcisionis.

5. Leges autem Abrahamo a Deo, vel ab Abrahamo familiæ suæ positas, tunc vel post, seculares vel sacras, excepto mandato de *circumcisione* quod in ipso *pacto* continetur, nullas legimus. Ex quo manifestum est, non fuisse alias leges aut cultum,

quibus Abrahamus tenebatur, præter leges naturales, et cultum rationalem, et circumcisionem. SECT. III.
16.

6. Erat autem *legum omnium interpretis*, tam sacrarum quam secularium, apud suos Abrahamus, non modo naturaliter, quatenus legibus uteretur naturalibus tantum, sed etiam ex ipsa pacti formula, qua promittitur ab Abrahamo obedientia, non pro se tantum, sed etiam pro semine suo. Quod frustra fuisset, nisi filii ejus illius mandatis obedire tenerentur. Atque quod dicit Deus (Gen. xviii. 18, 19): *Benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ: scio enim quod præcepturus sit filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam; quomodo intelligi potest, nisi filii et domus ejus teneri ad obedientiam illius mandatis præstandam supponerentur?*

Abrahamus, verbi Dei et legum omnium, apud suos interpretis erat.

7. Sequitur hinc subditos Abrahami ipsi obediendo peccare non potuisse; modo Abrahamus non imperasset *Dei existentiam vel providentiam negare*, vel facere aliquid quod esset expresse contra honorem Dei. In cæteris rebus omnibus *verbum Dei* ex illius solius ore petendum erat, ut *legum omnium et verborum Dei interpretis*. Deus enim Abrahami quis fuerit et quomodo colendus, ab Abrahamo solo doceri poterant. Qui vero post Abrahami mortem subditi erant imperio Isaaci aut Jacobi, sine peccato per eandem rationem ipsis in omnibus parvere, quamdiu pro Deo et rege suo agnoscerent et profiterentur *Deum Abrahami*. Prius enim *Deo* simpliciter se submiserant, quam Abrahamo: prius autem Abrahamo, quam *Deo Abrahami*, et rursus prius *Deo Abrahami*, quam Isaaco. In subditis itaque Abrahami, unicum erat *crimen læsæ majestatis divinæ*, negare Deum; sed in posteris

Subditi Abrahami peccare non potuerunt ipsi obediendo.

SECT. III. 16. eorum, læsæ majestatis crimen hoc quoque erat, *negare Deum Abrahami*, hoc est, colere Deum aliter quam ab Abrahamo est institutum, nimirum sub imaginibus* manu-factis; prout fecerunt cæteræ nationes, quæ propter eam causam appellabantur *idololatræ*. Atque hucusque subditi, circa mandata principum suorum, quid faciendum et quid fugiendum erat satis facile dignoscere potuerunt.

Pactum Dei cum populo Hebraeo ad montem Sinai.

8. Ut pergamus jam, ductum sequendo Scripturæ Sacræ, idem *pactum* renovatum est, (Gen. xxvi. 3, 4) cum Isaaco; et (Gen. xxviii. 13, 14) cum Jacobo; ubi Deus se appellat non simpliciter *Deum*, quem natura esse dictat; sed distincte, *Deum Abrahami et Isaaci*: et post, idem *pactum* renovaturus per Moysen cum toto populo Israelis, *Ego*, inquit (Exod. iii. 6), *sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*. Deinde, cum populus ille constitisset in deserto prope montem Sinai, non modo liberrimus, sed etiam subjectionis humanæ, propter memoriam recentem servitutis Ægyptiacæ, inimicissimus, *pactum* illud *antiquum* propositum est omnibus redintegrandum, hac formula (Exod. xix. 5, 6): *Si ergo audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum* (nimirum *pactum* initum cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo) *eritis mihi in peculium ex cunctis populis: mea est enim omnis terra; et vos eritis mihi in regnum sacerdotale,*

* *Sub imaginibus manu-factis.*] Vide cap. xv. art. 14, ibi cultum talem irrationalem esse ostendimus: at si jussu civitatis fiat, cui verbum Dei scriptum non est cognitum neque receptum, cultum talem cap. xv. art. 18, ostendimus esse rationalem. Cæterum ubi Deus regnat per pactum, in quo, ne sic colant, expresse caveatur, ut per pactum Abrahami; ibi sive injussu sive jussu civitatis fiat, male fit.

et gens sancta. Respondit autem omnis populus simul (vers. 8): *Cuncta quæ loquutus est Dominus, faciemus.* SECT. III.
16.

9. In hoc fœdere animadvertenda est, inter alia, appellatio *regni*, non ante usurpata. Quamquam enim Deus et per *naturam* et per *pactum* cum Abrahamo esset ipsorum Rex, debebant tamen ei obedientiam et cultum naturalem tantum, quatenus subditi ipsius; religiosum vero, qualem instituit Abrahamus, quatenus subditi Abrahami, Isaaci, vel Jacobi, suorum principum naturalium. Ipsi enim *verbum Dei* nullum acceperant præter illud naturale verbum rectæ rationis; neque *pactum* inter Deum et ipsos ullum intercesserat, nisi quatenus voluntates eorum includerentur in voluntate Abrahami, ut principis sui. Jam vero per pactum initum ad montem Sinai, consensu habito singulorum, fit *regnum Dei* super eos *institutivum*. Ab hoc tempore initium habet celeberrimum illud in Scripturis Sacris et scriptis theologorum *regnum Dei*: atque huc spectat, quod cum Israelitæ regem exposcerent, dixit Deus Samueli (1 Sam. viii. 7): *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: et quod dixit Samuel Israelitis (1 Sam. xii. 12): *Dixistis, rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis*; et quod dicitur (Jerem. xxxi. 32): *Pactum, quod pepigi cum patribus eorum etc.: et ego dominatus sum eorum*; atque etiam doctrina Judæ Galilæi, cujus mentio fit apud Josephum (Ant. Jud. lib. xviii. cap. 2) his verbis: *Quartæ autem studium sapientiæ sectantium viæ primus author fuit Judas Galilæus. Hi cætera cum Pharisæis consentiunt, nisi quod constantissimo libertatis amore flagrant, credentes solum Deum Dominum habendum ac*

Inde regimen
Dei, nomen regni
sortitum esse.

SECT. III.
16.

Quasnam leges
Judæis a Deo
impositæ sint.

principem, et facilius vel exquisitissima pœnarum genera laturi, una cum cognatis suis ac charissimis, quam mortalem aliquem appellare Dominum.

10. Jure regni per *pactum* sic constituto, videndum proximo loco est, quasnam eis Deus proposuerit *leges*. Eæ vero omnibus notæ sunt, nimirum *Decalogus*, et illæ aliæ, tam *judiciales* quam *cereemoniales*, quæ habentur a vicesimo capite Exodi usque ad finem Pentateuchi et obitum Mosis. *Legum* autem in universum per manum Mosis traditarum, aliæ sunt quæ naturaliter obligant, utquæ a *Deo*, quatenus *Deo naturæ*, latæ sunt, et vim suam obtinuerunt etiam ante Abrahamum: aliæ, quæ obligant ex vi *pacti* initi cum Abrahamo, utpote latæ a *Deo*, quatenus *Deo Abrahami*, quæ vim suam habuerunt ante Mosen, propter *pactum* illud prius: aliæ vero obligant ex *pacto* illo solo, quod postremum initum est cum ipso populo, utpote latæ a *Deo* quatenus *rege peculiari* Israelitarum. Primi generis sunt omnia præcepta Decalogi, quæ pertinent ad mores, qualia sunt, *parentes honorabis; non occides; non mæchaberis; non furaberis; non dices falsum testimonium; non concupisces*: sunt enim leges naturales. Præterea præceptum *de non assumendo Dei nomine in vanum*; est enim pars cultus naturalis, ut ostensum est capite præcedente, articulo decimo quinto. Item secundum, *de non adorando per imaginem a seipsis factam*; est enim et hoc religionis naturalis, ut eodem articulo ostenditur. Secundi generis est præceptum Decalogi primum, *de non habendis diis alienis*; in eo enim consistit essentia *pacti* Abrahami, per quod Deus nihil aliud exigit, quam ut ipse Deus ipsius esset et seminis ejus. Item præceptum *de sanctificando*

sabbatho: est enim instituta septimi diei sanctificatio in memoriam creationis hexaemeræ, ut apparet ex his verbis (Exod. xxxi. 16, 17): *Pactum est (subauditur sabbathum) sempiternum inter me et filios Israel, signumque perpetuum: sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et in septimo die ab opere cessavit.* Tertiæ generis sunt leges *politicae, judiciales, ceremonialesque*, quæ spectabant ad Judæos solos. Primi et secundi generis *leges in tabulis lapideis* scriptæ, nempe *Decalogus*, in ipsa *arca* conservabantur: cæteræ scriptæ in totius legis *volumine* reponebantur (Deut. xxxi. 26) in *arca latere*. Hæ enim, retenta fide Abrahami, poterant mutari; illæ non poterant.

SECT. III.

16.

11. *Leges Dei omnes sunt verbum Dei, sed non e converso omne verbum Dei est lex. Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxit te de terra Ægypti,* verbum Dei est, lex non est. Neque omne id, quod ad *verbum Dei* declarandum una cum ipso enunciatur aut scribitur, statim *verbum Dei* est. Nam, *hæc dicit Dominus*, non est Domini vox, sed præconis sive prophetæ. Id omne et solum verbum Dei est, quod Deum loquutum esse pronunciavit propheta verus. Scripta autem prophetarum, comprehendunt tam quæ Deus, quam quæ ipse propheta dicit, ideo verbum Dei appellantur, quia verbum Dei continent. Quoniam autem *verbum Dei* id omne et solum est, quod pro tali exhibetur a vero propheta, sciri quid sit *verbum Dei* ante non potest, quam cognoscatur quis sit propheta verus; nec *verbo Dei* credi, quam credatur prophetæ. Mosis a populo Israelitico creditum est propter duas res, *miracula et fidem*. Utcunque enim magna et evidentissima miracula operatus

Quid sit, et quomodo cognoscendum verbum Dei.

SECT. III.
16.

Quid sit, et
quomodo cog-
noscendum
verbum Dei.

fuerat, non tamen ei credidissent, saltem non credendum erat, si ad alium cultum eos ex Ægypto evocasset, quam ad cultum Dei Abrahami, Isaaci, et Jacobi patrum suorum. Fuisset enim contra *pactum* ab illis cum Deo initum. Similiter duæ res sunt, nimirum *prædictio futurorum supernaturalis*, quod est ingens miraculum, et *fides in Deum Abrahami liberatorem eorum ex Ægypto*, quas Deus omnibus Judæis pro notis veri prophetæ habendas proposuit. Cui alterutra harum deest, is propheta verus non est, nec pro verbo Dei habendum est quod pro tali obtendit. Si desit fides, reprobatur his verbis (Deut. xiii. 1, 2, 3, 4, 5): *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod loquutus est, et dixerit tibi: eamus, et sequamur Deos alienos, etc. Propheta ille aut fictor somniorum interficietur.* Si prædictio eventuum desit, rejicitur his verbis (Deut. xviii. 21, 22): *Quod si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere, quod verbum Dominus non est loquutus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit.* Jam quod *verbum Dei* sit id, quod per verum prophetam pro tali enunciatur, et quod verus propheta apud Judæos fuerit, cujus fides vera erat, et cujus prædictionibus eventus respondebant, extra controversiam est. Sed quid sit sequi Deos alienos, et utrum eventus, qui prædictionibus respondere affirmantur, eis vere respondeant necne, multas controversias pati potest, præsertim in prædictionibus quæ obscure atque ænigmatice eventum

præsignificant; quales sunt prædictiones prophetarum fere omnium, ut qui non palam, sicut Moses, (Num. xii. 8), sed *per ænigmata et figuras Dominum vident*. De his autem judicari aliter non potest, quam per *rationem naturalem*. Dependet enim judicatio illa ex interpretatione prophetæ et comparatione ejusdem cum eventu.

SECT. III.

16.

12. Pro *verbo Dei scripto* habebant Judæi librum legis totius, qui appellabatur *Deuteronomium*; usque autem ad captivitatem, quantum ex Historia Sacra colligi potest, illum solum. Nam liber hic traditus est ab ipso Mose (Deut. xxxi. 9, 26) sacerdotibus, asservandus et reponendus in latere arcæ fœderis, et a regibus describendus; idemque longo post tempore autoritate regis Josiæ (2 Reg. xxiii. 1, etc.) pro *verbo Dei* recognitus. Cæteri vero libri Testamenti Veteris quando fuerint in canonem primum recepti, non apparet. Quod autem attinet ad prophetas, Isaiam et cæteros, cum prædicerent non nisi ea, quæ vel in captivitate vel post captivitatem futura erant, eorum scripta non potuerunt pro propheticis illico haberi, propter legem supracitatam ex Deuteronomio (xviii. 21, 22), qua jubebantur Israelitæ, ne pro propheta haberent nisi eum, cujus prædictionibus eventus responderent. Atque hinc forte est, quod Judæi, quos interfecerunt cum prophetarent, eorum scripta post, propter eventum prædictionum, pro propheticis, hoc est, pro verbo Dei habuerunt.

Quodnam fuerit verbum Dei scriptum.

13. Cognito, quæ fuerint sub *pacto vetere leges*, et quod *verbum divinum* ab initio receptum; considerandum deinceps est, penes quem vel quos de scriptis prophetarum post surgentium, an recipienda essent pro *verbo Dei*, id est, an eventus prædictionibus responderent, necne, judicandi, et apud

Potestatem interpretandi verbum Dei, et summam potestatem civilem, conjunctas fuisse in Mose, dum viveret.

SECT. III. quem vel quos *leges jam receptas et verbum Dei scriptum intepretandi* resideret *authoritas*; id

16.
Potestatem interpretandi verbum Dei, et summam potestatem civilem, conjunctas fuisse in Mose, dum viveret.

quod per singula tempora et mutationes reipublicæ Israeliticæ investigandum est.

Manifestum autem est potestatem hanc, vivente Mose, totam fuisse penes ipsum. Nam si ipse *interpres legum et verbi* non esset, oportet ut munus illud pertinuerit vel ad *singulos* privatim, vel ad congregationem sive *synagogam* plurium, vel ad *summum sacerdotem*, vel ad alios *prophetas*. Primo, munus illud minime fuisse privatorum hominum, aut congregationis ex illis compositæ, ex eo constat quod non adhibiti, imo prohibiti fuerint, gravissimis minis, ne aliter quam per Mosen *Deum audirent*. Nam scriptum est (Exod. xix. 24, 25): *Sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque Moses ad populum et omnia narravit eis*. Deinde, quod neque singuli, neque congregatio debeat prætere, quod Deus per illos loquutus sit, et per consequens, quod ipsi *verbum Dei interpretandi jus* habeant, orta occasione ex seditione Core, Dathan, Abiron, et ducentorum et quinquaginta *synagogæ procerum*, manifeste et expresse declaratur. Nam contententibus illis Dominum non minus loqui per ipsos quam per Mosen, sic arguunt (Num. xvi. 3): *sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus; cur elevamini super populum Domini?* Quid autem de hac controversia statuerit Dominus, ex eo intelligitur, quod (Num. xvi. 33, 35) *descenderunt* (Core, Dathan et Abiron) *vivi in infernum, et ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros*.

Secundo, *authoritatem* illam non fuisse penes

Aaronem **summum** sacerdotem, manifestum est ex simili controversia inter ipsum una cum Maria sorore, et Mosen. Quæstio enim erat an Deus per Mosen solum loquutus fuerit, an etiam per ipsos, hoc est, an solus Moses, an etiam ipsi *verbi Dei interpretes* essent. Sic enim dixerunt (Num. xii. 2): *Num per Mosen loquutus est Dominus? nonne et nobis similiter loquutus est?* Deus autem hos increpavit, distinxitque inter *Mosen* et alios *prophetas* (Num. xii. 6, 7, 8): *Si quis* (inquiens) *fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moses, etc. Ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis?* etc. Postremo, quod *interpretatio verbi Dei*, vivente Mose, non fuerit penes prophetas alios quoscunque, ex eo colligitur, quod jam citavimus de excellentia ejus super omnes alios; et ex ratione naturali, quandoquidem ejusdem prophetæ est, mandata Dei et ferre et explicare; aliud autem *verbum Dei* tunc non erat præter illud, quod per Mosen annunciatum est; et ex eo etiam, quod propheta eo tempore alius exstiterit nemo, qui ad populum prophetaverit, præter septuaginta seniores, qui per *spiritum* Mosis prophetaverunt. Atque id quoque injuria factum credebatur Josua, Mosis tunc minister, post successor, donec consentiente Mose factum sciret: id quod ex ipso textu Scripturæ (Num. xi. 25) manifestum est: *Descendit Dominus per nubem, etc. auferens de spiritu, qui erat in Mose, et dans septuaginta viris.* Postquam autem nunciatum esset, quod prophetarent, dixit Josua ad Mosen (Num. xi. 28): *Domine mi, prohibe eos.* Moses autem respondit, *Quid*

SECT. III.

16.

Potestatem interpretandi verbum Dei, et summam potestatem civilem, conjunctas fuisse in Mose, dum viveret.

SECT. III. *emularis pro me* ¶ etc. Cum ergo Moses solus *verbi Dei nuncius* esset, neque erat *munus interpretandi* penes *privatos*, nec penes *synagogam*, nec penes *sacerdotem*, nec penes alios *prophetas*; restat, *interpretem verbi Dei* unum fuisse Mosen, qui summam etiam potestatem habebat in rebus civilibus; certamen autem Core et cæterorum conjuratorum contra Mosen et Aaronem, et Aaronis cum sorore contra Mosen, suscitatum fuisse, non propter animarum suarum salutem, sed propter ambitionem et regnum in populum.

Easdem conjunctas fuisse in summo sacerdote, vivente Josua.

14. Tempore Josuæ, *interpretatio legum et verbi Dei erat* penes Eleazarum summum *sacerdotem*, eundemque regem sub Deo absolutum. Id quod colligitur, primo, ex ipso *pacto*, in quo respublica Israelitarum appellatur *regnum sacerdotale*, vel ut recitatur (1 Pet. ii. 9) *sacerdotium regale*: quod nullo modo dici poterat, nisi per institutionem et *pactum* populi potestas regia intelligeretur esse penes *sacerdotem*. Neque repugnat ante dictis, ubi non Aaron sed Moses regnum sub Deo habuit; cum necessarium sit, ubi unus homo instituit rei publicæ futuræ formam, illum unum regnum pro suo tempore moderari, sive *monarchia*, sive *aristocrazia*, sive *democratia* sit, quod instituit; et habere potentiam omnem in præsens, quam aliis tributurus sit in futurum. Habuisse autem Eleazarum sacerdotem non modo *sacerdotium*, sed etiam *imperium summum*, expresse habetur per ipsam Josuæ ad administrationem rerum vocationem. Sic enim scriptum est (Num. xxvii. 18-21): *Tolle Josuam filium Nun, etc; qui stabit coram Eleazaro sacerdote, et omni multitudine; et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloria*

tuae, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum est, Eleazar sacerdos consulat dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo. Ubi consulere Deum, quicquid agendum sit, hoc est, verbum Dei interpretari, et in nomine Dei imperare in omnibus, pertinet ad Eleazarum; egredi autem et ingredi ad verbum ejus, hoc est, ei obedire, pertinet ad Josuam et ad omnem populum. Notandum quoque est, vocem illam, partem gloriae suae, aperte significare non habuisse Josuam potestatem æqualem ei, quam habuerat Moses. Interim, manifestum est etiam tempore Josuæ potestatem summam civilem, et auctoritatem interpretandi verbum Dei, fuisse ambas in eadem persona.

SECT. III.

16.

15. Post mortem Josuæ sequuntur tempora Judicum usque ad Saulem regem; in quibus manifestum est jus regni a Deo instituti mansisse apud sacerdotem. Erat enim regnum ex pacto sacerdotale, id est, regnum Dei per sacerdotem: atque tale esse debuit, usque dum forma illa a populo ipso, consentiente Deo, mutaretur: id quod non est factum antequam petentibus regem consensisset Deus, dixissetque Samueli (1 Sam. viii. 7): *Audi populum in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te, sed me abjecerunt, ne regnem super eos.* Potestas itaque civilis summa debebatur jure, ex institutione Dei, sacerdoti summo. Facto autem potestas illa in prophetis erat, quibus, a Deo extraordinarie suscitatis, Israelitæ, gens prophetarum avida, propter existimationem prophetiæ protegendos se et judicandos subjecerunt. Ratio hujus rei erat, quod institutione regni Dei sacerdotalis, etsi pœnæ statutæ fuerint et magistratus qui judicarent,

Easdem conjunctas fuisse in summo sacerdote, usque ad Saulem regem.

SECT. III.

16.

Easdem conjunctas fuisse in summo sacerdote usque ad Saulem regem.

jus tamen poenas sumendi dependebat ab arbitrio privato, et penes dissolutam multitudinem et singulos erat punire vel non punire, prout a privato zelo excitarentur. Ideoque Moses imperio proprio morte multavit neminem; sed quando interficiendus aliquis esset, unus vel plures, in eum vel eos, auctoritate divina, dicendoque, *hoc dicit Dominus*, multitudinem concitavit. Erat autem conforme hoc naturæ regni Dei peculiaris. Ibi enim vere regnat Deus, ubi legibus non hominum sed Dei metu obeditur. Et si quidem homines tales essent, quales esse debent, optimus is esset civitatis status. Sed hominibus, quales sunt, regendis necessaria est potentia, qua et jus comprehendo et vires, cogendi. Et propterea etiam ab initio per Mosen (Deut. xvii. 14) præscripsit Deus leges futuris regibus; et Moses ultimis ad populum verbis prædixit (Deut. xxxi. 29): *Novi quod post mortem meam inique agetis et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis.* Cum ergo secundum hanc prædictionem surrexerit alia generatio, (Jud. ii. 10, 11) *quæ non noverat Dominum et opera, quæ fecerat cum Israel, fecerunt filii Israel malum in conspectu Dei, et servierunt Baalim:* scilicet abjecerunt regimen Dei, hoc est, *sacerdotis*, per quem Deus regebat; et postea, cum ab hostibus vincerentur et servitute permerentur, Dei voluntatem non amplius a *sacerdote*, sed a prophetis expectavere. Hi igitur judicabant Israel de *facto*; *jure* autem obedientia eorum debita erat *sacerdoti summo*. Quamquam igitur *regnum sacerdotale*, post mortem Mosis et Josuæ, sine viribus erat, non erat tamen sine *jure*. Quod autem ad eundem sacerdotem pertineret *interpretatio verbi Dei*, ex eo manifestum est, quod

Deus, post tabernaculum, et arcam fœderis consecratam, non amplius loquutus sit in monte Sinai, sed in tabernaculo fœderis, a propitiatorio quod erat inter Cherubinos, quo præter sacerdotem nemini accedere licebat. Siquidem igitur *jus* regni spectetur, simul erat *summum imperium civile* et *verbum Dei interpretandi auctoritas* in sacerdote; si vero *factum* consideres, simul erant in prophetis, qui Israelitas judicabant. Nam ut *judices*, auctoritatem habebant civilem; ut *prophetæ*, interpretabantur verbum Dei; atque ita omni modo hucusque duæ illæ potestates inseparabiles exstiterunt.

SECT. III.

16.

16. Constitutis regibus, dubium non est quin *auctoritas civilis* penes reges esset. Cum enim regnum Dei per sacerdotem, petentibus Israelitis et consentiente Deo, finitum esset; quod notat etiam Hieronymus loquens de libris Samuelis: Samuel, inquit, mortuo Heli et occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porro, in Sadoc atque David novi sacerdotii et novi imperii sacramenta testantur, jus, quo reges gubernabant, in ipsa populi concessione fundatum fuisse. Sacerdos id tantum jure poterat quod Deus juberet; rex autem jure poterat quicquid poterat jure unusquisque in se. Illi enim Israelitæ *jus* de omnibus *judicandi* et pro omnibus *bellum gerendi* concesserunt; in quibus duobus continetur quidquid juris ab homine in hominem transferri potest. *Judicabit*, inquit (1 Sam. viii. 20), *nos rex noster, et egredietur ante nos et pugnabit bella nostra pro nobis*. *Judicia* ergo penes reges erant. *Judicare* autem nihil aliud est, quam *leges* ad facta *interpretando applicare*; ad eosdem ergo pertinebat *legum interpretatio*. Et quia præter *legem Mosaicam*, aliud verbum Dei

Easdem conjunctas fuisse in regibus usque ad captivitatem.

SECT. III. **scriptum usque ad captivitatem non agnoscebatur,**
 16. **penes reges etiam erat auctoritas interpretandi**
verbum Dei. Imo, siquidem verbum Dei pro lege re-
 cipiendum sit, quamquam fuisset aliud verbum Dei
 scriptum præter *legem Mosaicam*, cum interpretatio
 legum esset penes reges, interpretatio ejus debebat
 esse penes eosdem. Quando *Deuteronomium*, in quo
 continebatur *lex Mosaica*, longo tempore perditum,
 rursus inventum erat, consulere quidem Dominum
 sacerdotes *de libro illo*; non autem auctoritate
 sua, sed præcipiente Josia, nec immediate, sed per
 Holdam prophetissam. Ex quo apparet, auctori-
 tatem admittendi *libros pro verbo Dei* non fuisse
 penes *sacerdotem*. Neque tamen sequitur auctori-
 tatem illam fuisse penes prophetissam; quia de
 prophetis, utrum pro veris habendi essent necne,
 judicabant alii. Quorsum enim dedit Deus notas
 et signa omni populo, quibus prophetæ veri a falsis
 distinguerentur, nimirum prædictionum eventum,
 et conformitatem cum religione a Mose instituta,
 si illis notis uti non liceret? Auctoritas ergo ad-
 mittendi *libros pro verbo Dei* penes regem erat,
 adeoque liber ille legis approbatus et receptus fuit
 auctoritate Josiæ regis, ut apparet ex 2 Reg. xxii et
 xxiii, ubi narratur convocasse eum regni ordines,
 nempe *senes, sacerdotes, prophetas, et omnem po-
 pulum*; et coram ipsis *librum legisse, et verba
 fœderis ejus suscitasse*, hoc est, fecisse ut *fœdus*
 illud agnitum fuerit pro *fœdere Mosaico*, id est pro
verbo Dei, et denuo receptum et confirmatum ab
 Israelitis. Erat ergo etiam temporibus regum po-
 testas civilis et potestas *discernendi verbum Dei* a
 verbo hominum, et *verbum Dei interpretandi*, om-
 nis penes ipsos. Prophetæ missi erant non cum

Easdem con-
 junctas fuisse
 in regibus usque
 ad captivitatem.

auctoritate, sed forma et jure præconum seu prædicatorum, de quibus auditores judicabant; et siquidem, qui ipsis facilia perspicue docentibus non auscultarent, punirentur, non sequitur ex eo obligatos fuisse reges omnia sequi, quæ illi Dei nomine sequenda dicerent. Quamquam enim interfectus fuerit Josia bonus rex Judæ, quod sermonibus Dei ex ore Nechao regis Ægypti non obediverit, id est, quod bonum consilium, quamquam ab hoste videretur proficisci, respuerit, non tamen dicet quisquam fuisse Josiam ullo vinculo *legum divinarum* vel *humanarum* obligatum credere Pharaoni Nechao regi Ægypti, quod diceret, *Deum sibi loquutum esse*. Quod autem objicere quis possit, reges propter defectum doctrinæ raro satis idoneos esse ad libros antiquos, quibus verbum Dei continetur, interpretandum; atque ob eam rem non æquum esse munus illud ab eorum auctoritate dependere; objicere idem possit contra sacerdotes et omnes mortales; possunt enim errare; licetque essent sacerdotes cæteris hominibus natura et artibus melius instructi, sunt tamen reges satis idonei ad tales interpretes sub se constituendos. Atque ita, quamquam reges non interpretentur ipsi verbum Dei, tamen interpretandi munus ab eorum auctoritate dependere potest; et qui ideo auctoritatem illam regibus abjudicant, quod ipsum munus exercere non possint, idem faciunt, ac si dicerent non debere auctoritatem docendi geometriam a regibus dependere, nisi ipsi fuerint geometræ. Reges orasse pro populo, populo benedixisse, templum consecrassent, sacerdotibus præcepisse, sacerdotes officio suo amovisse, alios constituisse legimus. Sacrificia quidem non obtulerunt, quia id Aaroni et filiis

SECT. III.

16.

Easdem conjunctas fuisse in regibus usque ad captivitatem.

SECT. III. **hereditarium erat.** Manifestum autem est fuisse sacerdotium, sicut vivente Mose, ita per omne tempus a Saule rege ad captivitatem Babylo- nicam, non magisterium, sed ministerium.

16.

Easdem fuisse in sacerdotibus post captivitatem.

17. Post reditum a servitute Babylo- nica, renovato et signato *fœdere*, restitutum est *regnum sacerdotale*, quale erat a morte Josuæ ad initium regum; nisi quod non habetur expresse, quod Esdræ, cujus auspiciis Judæi reduces statum suum ordinabant, aut cuiquam alii, præterquam ipsi Deo, jus tradiderint imperii. Videtur potius reformatio illa nihil aliud esse, quam singulorum de iis, quæ in libro legis scripta erant, observandis vota et promissa nuda. Veruntamen, (forte non ex populi intentione) ex *pacto*, quod tum renovabant, (nam pactum erat idem cum eo quod factum est ad mon- tem Sinai), erat ille status *regnum sacerdotale*, hoc est, suprema auctoritas civilis et sacra unita erat in sacerdotibus. Utcunque autem ambitione eorum, qui de sacerdotio contenderunt, et interventu prin- cipum externorum ita turbatum postea sit usque ad tempora Servatoris nostri Jesu Christi, ut ex his- toriis temporum illorum sciri non possit, ubi auc- toritas illa resideret; constat tamen non fuisse illis temporibus potestatem interpretandi verbum Dei a summa potestate civili separatam.

Apud Judæos negatio provi- dentie divinæ, et idololatria sola erant crimina læsæ majestatis divinæ; in cæ- teris omnibus, principibus suis parere debebant.

18. Ex his facile cognitu est, quid Judæis per omne tempus ab Abrahamo ad Christum circa mandata principum suorum faciendum erat. Sicut enim in regnis mere humanis, magistratui subordi- nato obediendum est in omnibus, præterquam cum mandata ejus continent in se crimen læsæ majes- tatis; ita in regno Dei, principibus Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mosi, *sacerdoti, regi* cuique pro

tempore suo obediendum in omnibus erat ; nisi ubi mandata eorum continebant *crimen læsæ majestatis divinæ*. Crimen vero læsæ majestatis divinæ erat, primo, *negatio providentiæ divinæ* ; erat enim hoc negare Deum esse regem per naturam : deinde *idolatria*, sive cultus deorum, non *aliorum* (unus enim est Deus) sed *alienorum*, hoc est, cultus, quamquam unius Dei, sub aliis *nominibus*, *attributis*, *ritibusque*, quam qui ab Abrahamo et Mose instituti erant. Erat enim hoc *negare Deum Abrahami* esse eorum regem per *pactum* cum Abrahamo et ipsis initum. In cæteris rebus omnibus obediendum erat : et siquidem rex vel sacerdos habens summum imperium jussisset aliud aliquid contra leges, peccatum erat illud ejus, qui summum habebat imperium, non subditi ; cujus officium est mandata superiorum non disputare, sed exsequi.

SECT. III.

16.

Apud Judæos negatio providentiæ divinæ, et idolatria, acia erant crimina læsæ majestatis divinæ : in cæteris omnibus, principibus autis parere debebant

CAPUT XVII.

DE REGNO DEI PER PACTUM NOVUM.

1. Vaticinia de Christi dignitate. 2. Vaticinia de Christi humilitate et passione. 3. Jesum esse illum Christum. 4. Regnum Dei per pactum novum non esse regnum Christi, ut Christi, sed ut Dei. 5. Regnum Dei per pactum novum cœleste esse, et incipere a die judicii. 6. Regimen Christi in hoc mundo non fuisse imperium, sed consilium, sive regimen per doctrinam et persuasionem. 7. Pacti novi promissa utrinque quænam sint. 8. Leges a Christo nullæ additæ præter institutionem Sacramentorum. 9. Pœnitentini, baptizamini, serva mandata, et similes formulæ, non sunt leges. 10. Pertinet ad auctoritatem civilem definire, quid sit peccatum injustitiæ. 11. Pertinet ad auctoritatem civilem definire, quid conducat ad pacem et defensionem civitatis. 12. Pertinet ad auctoritatem civilem judicare, quando opus est, quæ definitiones et quæ illationes veræ sint. 13. Pertinet ad officium Christi docere moralia, non ut theoremata, sed ut leges; remittere peccata; et docere omnia, quorum non est scientia proprie dicta. 14. Distinctio temporalium a spiritualibus. 15. Verbum Dei quotupliciter intelligatur. 16. Non omnia, quæ habentur in Scriptura Sacra, pertinere ad canonem fidei Christianæ. 17. Verbum legitimi interpretis Sacrarum Scripturarum esse verbum Dei. 18. Auctoritas interpretandi Scripturas eadem est, quæ determinandi fidei controversias. 19. Ecclesiæ plures significationes. 20. Quid sit ecclesia, cui attribuuntur jura, actiones, et similia personalia. 21. Civitas Christiana idem quod ecclesia Christiana. 22. Plures civitates non constituunt unam ecclesiam. 23. Ecclesiastici qui. 24. Electionem ecclesiasticorum spectare ad ecclesiam, consecrationem ad pastores. 25. Potestatem peccata pœnitentibus remittendi, non pœnitentium retinendi, spectare ad pastores; sed de pœnitentia judicandi, ad ecclesiam. 26. Excommunicatio quid, et in quos cadere non potest. 27. Interpretationem Scripturæ dependere ab auctoritate civitatis. 28. Christianam civitatem Scripturas interpretari debere per pastores ecclesiasticos.

SECT. III.

17.

Vaticinia de
Christi dignitate

1. DE *Jesu Christo* Servatore nostro, qui *regnum Dei* per *pactum* novum restitutus erat, partim

dignitatem ejus regalem, partim humilitatem et passionem prænunciantes, multæ in Testamento Vetere exstant prophetiæ non obscuræ. De dignitate, inter alias hæ; benedicens Deus Abrahamo, promittit ei filium Isaac, additque (Gen. xvii. 16): Et reges populorum orientur ex eo. Jacobus (Gen. xlix. 10) benedicens filio suo Judæ: Non auferetur, inquit, sceptrum de Juda. Deus ad Mosem: Prophetam, inquit, (Deut. xviii. 18), suscitabo eis ex medio fratrum suorum similem tui: et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Isaias (vii. 14): Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel. Idem (Isai. ix. 6): Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Rursus (Isai. xi. 1-5): Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum spiritus sapientiæ, etc. Non secundum visionem oculorum judicabit; neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, etc. et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum interficiet impium. Præterea, ejusdem Isaiæ capitibus li. lii. liii. liv. lvi. lx. lxii. pene nihil aliud continetur, præter descriptionem adventus et operum futuri Christi. Jeremias (xxxi. 31): Ecce dies veniet, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Judæ fædus novum, etc. Baruch (iii. 36, 38): Hic est Deus noster,

SECT. III.

17.

Vaticinia de
Christi dignitate

SECT. III. 17. etc. *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ezechiel (xxxiv. 23): *Suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David, et faciam cum eis pactum pacis.* Daniel (vii. 13, 14): *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, et tribus et linguæ ipsi servient; potestas ejus potestas æterna.* Aggæus (ii. 7, 8): *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridum, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* Zacharias (iii. 8) sub visione Jesu magni sacerdotis: *Adducam servum meum Orientem,* etc. Et rursus (Zachar. vi. 12): *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Et rursus (Zachar. ix. 9): *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce rex tuus et salvator.* His aliisque vaticiniis permoti, exspectarunt Judæi Christum, regem a Deo mittendum, qui ipsos redimeret, et præterea omnibus gentibus imperaret. Imo, in totum imperium Romanum vaticinium emanaverat, quod etiam in favorem inceptorum suorum, etsi falso, interpretatus est imperator Vespasianus, *ex Judæa venturum, qui rerum potiretur.*

Vaticinia de
Christi humil-
tate et passione.

2. Vaticinia autem de *humilitate et passione Christi* inter alia hæc sunt: Isaïæ (liiii. 4): *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.* Et mox (vers. 7): *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet,* etc. Et

rursus (vers. 8): *Abscissus est de terra viventium: propter scelus populi percussi eum*, etc. (Vers. 12): *Et ideo dispartiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* Et Zachariæ (ix. 9): *Ipse pauper ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.*

SECT. III.

17.

3. Imperante Tiberio Cæsare, prædicare cœpit Servator noster JESUS Galilæus, filius, ut putabatur, Josephi, annuncians populo Judæorum *regnum Dei* ab ipsis expectatum appropinquasse; et esse se *regem*, id est, CHRISTUM ILLUM; *legem* explicans; *apostolos duodecim* et *discipulos septuaginta*, secundum numerum principum tribuum et septuaginta seniorum, ad similitudinem Mosis, in ministerium assumens; *viam salutis* per se et per illos *docens*; templum purgans; signa ingentia faciens, et ea omnia adimplens, quæ prophetæ de futuro Christo vaticinati fuerant. Hunc Pharisæis, quorum doctrinam falsam et simulatam sanctitatem reprehenderat, et per eos populo invisum, regni affectati accusatum, et crucifixum, descripta ejus genealogia, nativitate, vita, doctrina, morte, et resurrectione, comparandoque ea quæ fecit cum iis quæ prædicta fuerunt, verum fuisse CHRISTUM, et *regem a Deo promissum*, et ad renovandum inter ipsos et Deum *pactum novum* a Deo patre missum, et ostendunt Evangelistæ, et Christiani omnes consentiunt.

Jesus esse
illum Christum.

4. Ex eo, quod CHRISTUS a Deo patre missus fuerit ad percutiendum *fœdus* inter ipsum et popu-

SECT. III.

17.

Regnum Dei
per pactum
novum non esse
regnum Christi,
ut Christi, sed
ut Dei.

lum, manifestum est, et si Christus patri suo æqualis sit quoad naturam, minorem tamen fuisse quoad jus regni. Etenim munus tale, proprie loquendo, non regium est, sed pro-regium; quale erat regimen Mosis. Regnum enim non ejus, sed *patris* erat; id quod CHRISTUS significavit ipse, cum ut subditus baptizaretur, et aperte professus est, quando (Matth. vi. 9) orare docuit: *Pater noster, etc. adveniat regnum tuum.* Et ubi dixit (Matth. xxvi. 29): *Non bibam, etc. usque in diem illum, cum bibam illud vobiscum novum in regno patris mei.* Et sanctus Paulus (1 Cor. xv. 22-24): *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem in suo ordine; primitiæ Christus; deinde, ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et patri.* Idem tamen appellatur etiam *regnum Christi.* Nam et mater filiorum Zebedæi rogavit CHRISTUM dicens (Matth. xx. 21): *Dic, sedeant, hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Et latro in cruce (Luc. xxiii. 42): *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Et sanctus Paulus (Eph. v. 5): *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator etc. non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Alibi (2 Tim. iv. 1): *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos per adventum ipsius et regnum ejus:* et (vers. 18): *Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum cæleste.* Neque mirandum est idem regnum utrisque tribui; quam uterque *pater* et *filius*, idem sit *Deus*; et pactum novum de regno Dei non sit propositum in nomine PATRIS, sed in

nomine PATRIS, FILII, et SPIRITUS SANCTI, ut
unius Dei.

SECT. III.

17.

5. Regnum autem Dei, cujus restituendi causa CHRISTUS a Deo patre missus est, non ante initium sumit, quam ab adventu ejus secundo, nimirum a die judicii, cum venturus est in majestate comitantibus angelis. Promissum enim est apostolis, in regno Dei judicaturos se duodecim tribus Israel (Matth. xix. 28): *Vos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel.* Id quod præstandum non est, nisi in die judicii. Nondum ergo est CHRISTUS in sede majestatis suæ. Neque tempus, quo CHRISTUS in terris versatus est, regnum dicitur, sed *regeneratio*, hoc est, renovatio sive restitutio regni Dei, et evocatio eorum qui in regnum futurum recipiendi erant. Et ubi dicitur (Matth. xxv. 31, 32): *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis:* manifeste colligitur, nullam futuram separationem, quoad locum, subditorum Dei ab ipsius hostibus; sed permixtim victuros esse usque in adventum CHRISTI futurum. Id quod confirmatur etiam per comparisonem regni cœlorum cum tritico zizaniis mixto; et cum reti omne genus piscium comprehendente. At regnum proprie dici non potest multitudo hominum ex subditis et hostibus simul promiscue habitantibus. Præterea, *apostoli*, cum Servatorem nostrum interrogarent, an in eo tempore, quo ascenderet in cœlum, restitutus esset regnum Israel, aperte tes-

Regnum Dei
per pactum
novum cœlesti
esse, et incipere
a die judicii.

SECT. III.
17.

Regnum Dei
per pactum
novum cœleste
esse, et incipere
a die iudicii.

tabantur putare se tunc, cum CHRISTUS ascenderet, regnum Dei nondum advenisse. Porro, verba CHRISTI (Joh. xviii. 36): *non est regnum meum de hoc mundo*: et (Luc. xxii. 18): *non bibam etc. donec regnum Dei veniat*: et (Joh. iii. 17): *non misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per illum*: et (Joh. xii. 47): *si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non judico eum; non enim veni, ut judicem mundum, sed salvificem mundum*: et (Luc. xii. 14): *homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* et ipsa appellatio *regni cœlestis* idem testatur. Idem colligitur ex verbis prophetæ Jeremiæ (xxxii. 34) loquentis de *regno Dei per pactum novum*: *Non docebit vir ultra proximum suum, et vir fratrem suum, dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus*: id quod de regno hujus mundi intelligi non potest. Regnum igitur Dei, cujus constituendi causa CHRISTUS in hunc mundum venit; de quo prophetæ vaticinati sunt; et de quo orantes dicimus, *adveniat regnum tuum*; si subditos ab hostibus loco separatos, si judicia, si majestatem habere debet, prout est prædictum, ab eo tempore incipiet, in quo Deus oves ab hædis separabit; in quo apostoli judicabunt duodecim tribus Israel; in quo CHRISTUS veniet in majestate et gloria; in quo denique omnes cognoscent Deum, ita ut non opus sit doceri, id est, in secundo CHRISTI adventu, sive die iudicii ultimi. Quod si regnum Dei restitutum jam esset, nulla ratio reddi posset, quare CHRISTUS, completo opere propter quod missus est, iterum veniret, aut quare sic precaremur: *adveniat regnum tuum*.

6. *Quamquam autem regnum Dei per CHRISTUM foedere novo constituendum, coeleste fuerit, non est ideo putandum eos, qui in CHRISTUM credentes pactum illud inirent, non fore etiam in terris ita regendos, ut in fide sua et obedientia pacto promissa perseverarent. Frustra enim fuisset regnum coeleste, et promissa patria, nisi in ipsam perdu- cendi essemus. Perduci autem non possunt, nisi qui in via diriguntur. Moses cum instituisset reg- nam sacerdotale, ipse per totum tempus peregri- nationis usque ad ingressum terræ promissæ, etsi non esset sacerdos, populum tamen rexit et con- duxit. Eadem ratione Servatoris nostri est, quem similem Mosi ea in re Deus esse voluit, quatenus a patre missi, coelestis civitatis futuros cives etiam in hac vita ita regere, ut in illam pervenire et in- gredi possint, etiamsi regnum non ejus proprie, sed patris fuerit. Sed regimen, quo fideles suos in hac vita CHRISTUS regit, non est proprie regnum sive imperium, sed munus pastoritium sive jus docendi; id est, non dedit ei Deus pater potestatem judi- candi de meo et tuo, sicut regibus terræ; nec potestatem cogendi per poenas, neque leges fe- rendi; sed mundo ostendendi et docendi viam et scientiam salutis, hoc est, prædicandi et ex- plicandi quid faciendum iis est, qui in regnum caelorum intraturi sunt. Quod non habuerit CHRISTUS potestatem a patre ad judicandum, in quaestionibus mei et tui, hoc est, in omnibus quaes- tionibus juris, inter eos qui non crediderunt, satis ostendunt verba illa CHRISTI supra citata: homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos. Et ratione confirmatur; cum enim CHRISTUS mis- sus fuerit ad pactum inter Deum et homines per- cutiendum, neque obligatur quisquam ad obedi-*

SECT. III.

17.

Regimen Christi
in hoc mundo
non fuisse im-
perium; sed
consilium, sive
regimen per
doctrinam et
persuasionem.

SECT. III. ^{17.} tiam præstandam ante pactum initum, si judicasset de quæstionibus *juris*, nemo sententiæ ejus tene-

Regimen Christi in hoc mundo non fuisse imperium; sed consilium, sive regimen per doctrinam et persuasionem.

retur obedire. Sed cognitionem juris non fuisse CHRISTO commissam in hoc mundo, neque inter fideles neque inter infideles, ex eo apparet, quod jus illud sine controversia pertineat ad *principes*, quamdiu auctoritati eorum à Deo non derogatur. Non autem derogatur ante diem judicii, ut apparet ex verbis sancti Pauli loquentis de die judicii: *deinde finis*, inquit (1 Cor. xv. 24) *cum tradiderit regnum Deo et patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem*. Secundo, verba Servatoris nostri, Jacobum et Johannem, ubi dixissent (Luc. ix. 54) *vis dicamus ut ignis descendat de cælo et consumat illos*, nimirum *Samaritanos* qui euntem in Jerusalem noluerunt hospitio accipere, increpantis dicentisque (vers. 56): *Filius hominis non venit animas perdere sed salvare*: et illa (Matth. x. 16): *ecce mitto vos, ut oves in medio luporum: excutite pulverem, et similia*: et verba illa (Joh. iii. 17): *non misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per illum*: et illa (Joh. xii. 47): *si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non judico eum; non enim veni, ut judicem mundum, etc.*: ostendunt non fuisse datam ei potestatem quemquam condemnandi, aut puniendi. Legitur quidem (Joh. v. 22): *pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*: illud vero, cum intelligi possit et debeat de die judicii futuri, antecedentibus non repugnat. Quod denique missus non sit ad leges novas ferendas, neque ergo fuerit ex officio et missione *legislator* proprie dictus, sicuti neque Moses, sed lator et promulgator legum paternarum (Deus enim,

non Moses neque CHRISTUS, ex pacto rex erat) ex eo colligitur, quod dixerit (Matth. v. 17) : *non veni solvere*, nimirum leges antea a Deo latas per Mo-
 sen quas statim interpretatur, *sed adimplere* : et (Matth. v. 19) : *qui solverit unum de mandatis illis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Non ergo habuit CHRISTUS a patre sibi commissam auctoritatem regiam aut imperatoriam in mundo, sed consilia-
 riam et doctrinalem tantum ; id quod significat ipse, tum (Matth. iv. 19) ubi vocat *apostolos* non venatores sed *piscatores hominum*, tum (Matth. xiii. 31-33) ubi comparat regnum Dei grano sinapis et fermento abscondito in farina.

SECT. III.

17.

7. Promisit Deus, primum, Abrahamo semen numerosum, possessionem terræ Chanaan, et benedictionem gentium in semine ejus, ea lege, ut ipse et semen ejus ei servirent ; deinde semini Abrahami secundum carnem *regnum sacerdotale*, regimen liberrimum, in quo nullo humano imperio subjiciendi erant, ea lege, ut servirent Deo Abrahami eo ritu, quem doceret Moses ; postremo, et illis et omnibus gentibus *regnum cœleste et æternum*, ea lege, ut servirent Deo Abrahami eo ritu, quem doceret CHRISTUS. *Pacto enim novo*, hoc est *Christiano*, conventum est ex parte hominum, *ut Deo servirent Abrahami eo ritu, quem doceret JESUS* ; ex parte Dei, *ut remitteret illis peccata, et in regnum cœleste ipsos introduceret*. De *regno cœlesti*, quale fuerit, diximus supra articulo quinto. Appellari autem solet, quandoque *regnum cœlorum*, quandoque *regnum gloriæ*, quandoque *vita æterna*. Quod requiritur ex parte hominum, nempe servire Deo prout docuerit CHRISTUS, duo continet : *obedientiam Deo præ-*

Pacti novi promissa utrinque quænam sint.

SECT. III.
17.

Pacti novi promissa utrinque quænam sint.

standam (hoc enim est servire Deo) et *fidem* in JESUM, nempe, ut credamus JESUM esse ILLUM CHRISTUM a Deo promissum; ea enim sola causa est; quare illius potius quam alterius sequenda sit doctrina. *Obedientiæ* autem loco in Sacris Scripturis sæpissime ponitur *pœnitentia*, propterea quod CHRISTUS ubique docet voluntatem apud Deum pro facto haberi: *pœnitentia* autem obedientis animi signum est infallibile. His intellectis, eas esse *fœderis Christiani* conditiones, quas diximus; nempe, ex parte Dei, dare hominibus remissionem peccatorum et vitam æternam; ex parte hominum, pœnitere, et credere in JESUM CHRISTUM; ex multis locis Scripturæ Sacræ evidentissime apparebit. Primo, verba illa, (Marc. i. 15); *Appropinquavit regnum Dei; pœnitementi et credite Evangelio*; continent pactum totum. Similiter, illa (Luc. xxiv. 46, 47): *quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma*; et ista (Act. iii. 19, 20): *pœnitementi et convertimini, ut deleantur peccata vestra, ut cum venerint tempora refrigerii, etc.* Aliquando vero altera pars proponitur expresse, altera subintelligitur, ut hic (Joh. iii. 36): *qui credit in filium habet vitam æternam; qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*: ubi *fides* exprimitur, *pœnitentia* tacetur. Et in prædicatione CHRISTI, (Matth. iv. 17): *Pœnitementi: appropinquavit enim regnum Dei*: ubi *pœnitentia* exprimitur, subauditur *fides*. Sed manifestissime et formalissime *contractus novi* partes ibi explicantur, ubi princeps quidam, regnum Dei tanquam licitans,

Servatorem nostrum interrogat (Luc. xviii. 18): *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Proponit autem, primo, CHRISTUS partem pretii unam, nempe, observationem præceptorum, sive *obedientiam*; quam cum præstitisse se respondisset, adjungit alteram: *Unum*, inquit (vers. 22) *deest; omnia quæcunque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni sequere me.* Hoc *fidei* erat. Is itaque, non satis credens CHRISTO et thesauris cœlestibus, tristis abiit. Continetur autem idem pactum his verbis (Marc. xvi. 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*: ubi *fides* exprimitur; *pœnitentia* in baptizatis supponitur. Et his (Joh. iii. 5): *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ubi *renasci ex aqua* idem est quod *regeneratio*, id est, *conversio ad CHRISTUM*. Quod autem duobus locis proxime citatis aliisque requiratur *baptismus*, intelligendum est, sicut *circumcisio* erat ad *pactum vetus*; ita esse *baptismus* ad *pactum novum*. Cum ergo illa non ad *essentiam*, sed ad *memoriam pacti veteris*, ut *ceremonia* et *signum* pertinuerit, quod in deserto omissum est; similiter etiam hic non ad *essentiam* *initi fœderis novi*, sed ad *memoriam* et *signum* adhibitus est; et modo voluntas adsit, per necessitatem omitti quoad actum potest. *Pœnitentia* autem et *fides*, quæ de *essentia pacti* sunt, semper requiruntur.

8. In *regno Dei* post hanc vitam *leges* futuræ *nullæ* sunt; tum quia neque legibus locus est, ubi peccato non est; tum etiam quia *leges* a Deo nobis *datæ* sunt, non ut in cœlo, sed ad cœlum dirigamur.

SECT. III.

17.

Leges a Christo
nullæ additæ,
præter instituti-
onem Sacramen-
torum.

SECT. III. Quas igitur leges CHRISTUS, non ipse sanxit; nam
 17. auctoritatem legislativam, ut supra articulo sexto

Leges a Christo
 nullas additæ,
 præter instituti-
 onem Sacramen-
 torum.

ostensum est, assumere sibi noluit; sed pro pater-
 nis proposuit; id nunc inquiremus. Habemus au-
 tem locum Scripturæ (Matth. xxii. 37-40) ubi *leges
 Dei* usque ad id tempus traditas, omnes contrahit
 in præcepta duo: *Diliges Dominum Deum tuum
 in toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota
 mente tua: hoc est maximum et primum manda-
 tum. Secundum autem simile est huic: Diliges
 proximum tuum sicut teipsum. In his duobus
 mandatis universa lex pendet, et prophetæ.* Ho-
 rum quidem primum datum ante est per Mosen
 (Deut. vi. 5) totidem verbis. Secundum autem
 etiam ante Mosen: est enim lex naturalis, initium
 habens cum ipsa natura rationali. Est autem
 utrumque simul omnium legum summa. Nam con-
 tinentur omnes leges cultus divini naturalis in his
 verbis, *diliges Deum*; et omnes leges cultus divini,
 ex *pacto veteri* debiti, in eo quod dicitur, *diliges
 Deum tuum*, hoc est, *Deum* quatenus *regem* pecu-
 liariter Abrahami et seminis ejus; et omnes leges
 naturales et civiles his verbis, *diliges proximum
 tuum sicut teipsum*. Nam qui diligit Deum et
 proximum, animum habet obediendi et divinis et
 humanis legibus. Amplius autem quam animum
 obediendi, Deus nihil exigit. Habemus alium lo-
 cum, ubi CHRISTUS *leges interpretatur*, nempe
 quintum, sextum, et septimum sancti Matthæi ca-
 pita integra. Eæ vero leges omnes habentur, vel
 in *Decalogo*, vel in *lege morali*, vel continentur in
fide Abrahami: ut continetur in *fide Abrahami* illa
 de non repudianda uxore. Illud enim, *erunt duo
 in carne una*, neque a CHRISTO primo, neque a

Mose, sed ab Abrahamo traditum est, qui primus mundi creationem prædicavit. Leges igitur, quas CHRISTUS in altero loco contrahit, in altero explicat, aliæ non sunt quam illæ, ad quas tenentur omnes mortales qui agnoscunt Deum Abrahami. Præter has, nullam legem a CHRISTO traditam legimus præter institutionem sacramentorum *baptismi et eucharistiæ*.

SECT. III.

17.

9. Quid ergo dicetur de præceptis hujusmodi; *pœnitementini; baptizantini; serva mandata; credite Evangelio; venite ad me; vende omnia quæ habes, da pauperibus, sequere me; et similibus?* Dicendum est, non esse *leges*, sed vocationem ad *fidem*; quale est illud Isaïæ (lv. 1), *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac*. Neque si vocati non veniunt, propterea peccant contra ullam legem, sed contra prudentiam tantum; neque punietur *infidelitas*, sed peccata priora. Quare sanctus Johannes de incredulo dicit (Joh. iii. 36): *ira Dei manet super illum*; non dicit: *ira Dei veniet super illum*. Et (Joh. iii. 18): *Qui non credit jam judicatus est, quia non credit*; non dicit; *judicabitur*; sed, *jam judicatus est*. Imo non satis concipi animo potest remissionem peccatorum beneficium esse a *fide*, nisi etiam e contrario intelligatur, *punitiorem peccatorum* damnum esse ab *infidelitate*.

Pœnitementini, baptizantini, serva mandata, et similes formulæ, non sunt leges.

10. Ex eo, quod Servator noster principum subditis et civitatum civibus nullas leges præscripsit distributivas, hoc est, regulas nullas dedit, quibus civis scire et dignoscere possit, quid sit *suum* sibi proprium, quid *alienum*, neque quibus formulis, verbis, circumstantiisve *dari, tradi, invadi, possideri* rem oporteat, ut *accipientis, invadentis, vel*

Pertinet ad auctoritatem civilem desuare quid sit peccatum injustitias.

SECT. III. *possidentis jure* existimetur ; intelligendum neces-

17.

Pertinet ad
auctoritatem
civilem definire
quid sit pecca-
tum injustitiæ.

sario est, non tantum apud infideles, inter quos ipse CHRISTUS judicem se et *distributorem* esse negavit, sed etiam apud Christianos, cives singulos regulas illas accipere debere a civitate, hoc est, ab eo homine vel ea curia, quæ civitatis summum habet imperium. Sequitur ergo legibus illis, *non occides, non mæchabere, non furabere, parentes honorabis*, nihil aliud præcepisse, quam ut cives et subditi suis principibus et summis imperantibus in quæstionibus omnibus, circa *meum, tuum, suum, alienum*, absolute obedirent. Etenim præcepto, *non occides*, non omnis occisio prohibetur. Nam qui dixit, *non occides*, idem dixit (Exod. xxxv. 2), *occidatur is qui fecerit opus in sabbatho*. Neque omnis occisio causa inaudita: dixit enim (Exod. xxxii. 27), *occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum*: et occisa sunt tria et viginta millia hominum. Neque omnis occisio hominis innocentis: vovit enim Jephthe (Jud. xi. 31), *quicumque primus fuerit egressus, etc. eum holocaustum offeram Domino*: et votum ejus Deo acceptum est. Quid ergo prohibetur? Hoc tantum, ne quis occidat quemquam, quem occidere non sit ipsi jus, id est, nemo occidat, nisi id facere *suum* sit. Jubet ergo lex CHRISTI, circa occisionem, et proinde etiam circa omnem læsionem hominis et circa pœnas statuendas, soli civitati obedire. Similiter præcepto, *non mæchabere*, non prohibetur omnis concubitus, sed tantum cum *aliena*; quæ vero *aliena* est, judicatio ad civitatem pertinet, et per regulas, quas præscribet civitas, determinanda est. Imperatur ergo præcepto hoc mari et fœminæ servare fidem, quam dederint mutuo, ex præscripto

civitatis. Pariter præcepto, *non furabere*, non prohibetur omnis rei invasio aut clandestina ablatio, sed alienæ tantum. Jubetur ergo civis hoc unum, ne invadat aut surripiat quicquam, quod invadi aut surripi prohibet civitas; et in universum, non vocare quicquam *homicidium, adulterium, vel furtum*, nisi quod fiat contra leges civiles. Postremo, cum jusserit CHRISTUS parentes honorare, nec præscripsit quibus ritibus, quibus appellationibus, quali obedientia honorandi sunt, intelligitur honorandos esse, voluntate quidem et interne, ut filiorum suorum reges et dominos, externe vero non ulterius, quam permittit civitas, quæ *suum cuique* (sicut et res alias) *honorem* assignabit. Cum autem natura justitiæ in eo consistat, ut *suum* cuique tribuatur, manifestum est ad civitatem pertinere etiam Christianam, quid sit justitia et quid injustitia, sive peccatum contra justitiam, determinare. Quod autem ad civitatem pertinet, id pertinere censendum est ad eum vel eos, qui habent summum civitatis imperium.

11. Porro quoniam Servator noster civibus nullas indicavit leges circa civitatis regimen, præter leges naturæ, hoc est, præter mandatum obedientiæ civilis, non potest civis quisquam privatim determinare, quis sit amicus, vel quis hostis publicus, quando bellum, quando fœdus, quando pax, quando induciæ ineundæ sint; neque qui cives, quæ et quorum hominum auctoritas, quæ doctrinæ, qui mores, quæ orationes, quæ combinationes et quorum hominum, saluti civitatis vel commodæ vel adversæ sint. Hæc ergo et similia omnia a civitate, id est, a summis imperantibus, si opus sit, discenda sunt.

12. Præterea, hæc omnia; propugnacula, domos,

SECT. III.

17.

Pertinet ad auctoritatem civilem definire, quid conducat ad pacem et defensionem civitatis.

SECT. III.

17.

Pertinet ad auctoritatem civilem judicare (quando opus est) quæ definitiones, et quæ illationes veræ sint.

templa ædificare; pondera ingentia movere, ferre, tollere; maria tuto transmittere; machinas ad omnem vitæ usum construere; orbis terrarum faciem, siderum cursus, anni tempestates, temporum rationes, et denique naturam rerum cognoscere; jura naturalia et civilia callere; scientiæque omnes quæ philosophiæ nomine comprehenduntur, partim ad vivendum, partim ad bene vivendum necessariæ sunt; horum scientia, quia CHRISTUS eam non tradidit, ratiocinatione, id est, texendo consequentias initio sumto ab experiētiis, addiscenda est. Sed ratiocinationes hominum, interdum rectæ, interdum erroneæ sunt; et proinde, id quod concluditur et tenetur pro veritate, quandoque veritas, quandoque error est. Errores autem etiam circa philosophica hæc aliquando nocent publice, magnarumque seditionum et injuriarum occasionem præbent. Oportet igitur, quoties repugnans bono publico et paci communi controversia de his rebus oritur, esse aliquem qui de ratiocinatione, id est, an quod infertur, recte inferatur, necne, sententiam ferat, ut controversia finiatur. Nullæ autem in hanc rem datæ regulæ sunt a CHRISTO; neque enim venit in hunc mundum ut doceret *logicam*. Reliquum igitur est, judices talium controversiarum eosdem esse, quos Deus per naturam prius instituerat, nimirum, eos, qui a summo imperante in unaquaque civitate constituuntur. Porro, si controversia de eorum, quæ in usu communi sunt, nominum sive appellationum significatione accurata et propria, id est, de definitionibus suscitetur, ita ut ad pacem civitatis vel ad juris distributionem opus sit ut determinetur, pertinebit determinatio ad civitatem. Nam hujusmodi definitiones ex obser-

ratione diversorum conceptuum, ad quos significandos appellationes illæ diversis temporibus et causis adhibentur, homines ratiocinando expiscantur. Decisio autem quæstionis, an quis recte ratiocinatus fuerit, civitatis est. Exempli causa: si mulier partum ediderit formæ insolitæ, vetet autem lex hominem occidere; nascitur quæstio an partus sit homo. Quæritur ergo, quid sit homo. Nemo dubitat, quin judicabit civitas, idque nulla habita ratione definitionis Aristotelicæ, quod homo sit animal rationale. Atque hæc, nimirum *jus, politia, et scientiæ naturales*, subjecta sunt, de quibus CHRISTUS præcepta tradere aut quicquam docere, præter hoc unum, ut in omnibus circa illa controversiis cives singuli civitatis suæ legibus et sententiis obedirent, ad officium suum pertinere negat. Hoc tamen meminisse oportet, eundem CHRISTUM ut Deum potuisse jure non modo docere, sed etiam imperare quæ voluit.

13. Officii Servatoris nostri summa erat viam docere et media omnia ad salutem et vitam æternam. Mediorum autem ad salutem unum est *justitia et obedientia civilis, et observatio omnium legum naturalium*. Doceri autem possunt hæc duobus modis: altero, ut theoremata per rationem naturalem; deducendo jus et leges naturales a principiis contractibusque humanis; atque doctrina ea sic tradita examini potestatum civilium subjecta est: altero, ut leges per auctoritatem divinam, ostendendo talem esse voluntatem Dei; atque hoc modo docere ad eum solum pertinet, cui voluntas Dei supernaturaliter cognita est, hoc est, ad CHRISTUM. Secundo, ad officium CHRISTI pertinebat condonare pœnitentibus peccata; nam id ad

SECT. III.

17.

Pertinet ad officium Christi docere moralia, non ut theoremata, sed ut leges, remittere peccata, et docere omnia quorum non est scientia propria dicta.

SECT. III. ^{17.} hominum, qui jam peccaverant, salutem necessarium erat, neque ab alio fieri potuit. Non enim pœnitentiam sequitur remissio peccatorum naturaliter, ut debita; sed dependet, ut gratuita, a voluntate Dei supernaturaliter revelanda. Tertio, ad Christi officium pertinebat docere ea mandata Dei omnia, sive circa cultum sive circa dogmata fidei, quæ ratione naturali sciri non possunt, sed revelatione tantum; qualia sunt ipsum esse Christum; *regnum suum non esse terrestre, sed cœleste; esse præmia et pœnas post hanc vitam; animam esse immortalem; sacramenta tot et talia fore*; et similia.

Distinctio
temporalium
a spiritualibus.

14. Ex iis, quæ dicta sunt in articulis proxime præcedentibus, non est difficile distinguere inter *spiritualia* et *temporalia*. Cum enim per *spiritualia* ea intelligantur quæ fundamentum habent in auctoritate et officio CHRISTI, neque, nisi ea CHRISTUS docuisset, sciri possent; sintque cætera omnia temporalia: sequitur definitionem et sententiæ lationem circa *justum* et *injustum*, cognitionem controversiarum omnium circa *media pacis* vel *defensionis publicæ*, et examen doctrinarum librorumque in omni *scientia rationali, juris esse temporalis*. Quæ vero, a CHRISTI verbo et auctoritate tantum dependentia, *mysteria fidei* sunt, eorum judicationem *juris esse spiritualis*. Definire autem, quid sit *spirituale*, quid *temporale*, quoniam Servator noster distinctionem illam non tradidit, rationis inquisitio est, pertinetque ad *jus temporale*. Quamquam enim sanctus Paulus multis in locis (Rom. viii. 5; 1 Cor. xii. 8, 9, 10) distinguat inter *spiritualia* et *carnalia*, vocetque *spiritualia* ea, quæ sunt *Spiritus*, nimirum *sapientiam, sermonem scientiæ, fidem, facultatem sanandi morbos, ope-*

rationem miraculorum, prophetiam, discretionem spirituum, scientiam linguarum, interpretationem sermonum; omnia per *Spiritum Sanctum* supernaturaliter inspirata, et ea quæ *animalis homo* non potest intelligere, sed ille tantum, qui cognovit sensum Christi (2 Cor. ii. 14-16): bona vero fortunæ *carnalia* vocet (Rom. xv. 27), et eos, qui homines sunt, *carnales* (1 Cor. iii. 1-3): non tamen definivit, neque regulas dedit, quibus sciamus quid a ratione naturali, quid a supernaturali inspiratione proficiscatur.

SECT. III.

17.

15. Cum igitur constet Servatorem nostrum judicandi determinandique controversias omnes circa *temporalia* summam auctoritatem commisisse, vel potius non abstulisse, principibus, iisque qui in singulis civitatibus summum obtinent imperium; videndum deinceps est, cui commiserit similem auctoritatem circa *spiritualia*. Id quia sciri non potest nisi ex *verbo Dei* et *ecclesiæ traditione*, inquirendum proximo loco est, quid sit *verbum Dei*; quid illud *interpretari*; quid *ecclesia* sit; et quid *ecclesiæ voluntas et mandatum*. Ut omittamus, quod *verbum Dei* in Scriptura Sacra ponatur aliquando pro *filio Dei*; accipitur ea vox tripliciter. Primo, propriissime pro eo, quod Deus loquutus est; sic *verbum Dei* est quidquid loquutus est Deus ad Abrahamum et Patriarchas, Mosen, et Prophetas; vel Servator noster ad discipulos et alios quoscunque. Secundo, quicquid dictum est ab hominibus jussu vel impulsu Spiritus Sancti; quo sensu agnoscimus Scripturas Sacras esse *verbum Dei*. Tertio quidem, in Novo Testamento frequentissime *verbum Dei* significat doctrinam Evangelicam, sive *verbum de Deo*, sive *verbum de*

Verbum Dei
quotupliciter
intelligatur.

SECT. III. **regno Dei per CHRISTUM:** ut Matth. iv. 23, ubi dicitur CHRISTUS prædicasse *Evangelium regni*; Act. xiii. 46, ubi apostoli dicuntur prædicare *verbum Dei*; Act. v. 20, ubi verbum Dei appellatur *verbum vitæ*; Act. xv. 7, *verbum Evangelii*; Rom. x. 8, *verbum fidei*; Eph. i. 13, *verbum veritatis* (addita interpretatione) id est, *Evangelium salutis*; et ubi appellatur *verbum apostolorum*, dicit enim sanctus Paulus (2 Thess. iii. 14), *Si quis non obedit verbo nostro, &c.* Quæ loca intelligi aliter non possunt quam de *doctrina Evangelica*. Similiter (Act. xii. 24, et xiii. 49), ubi dicitur *verbum Dei disseminari, crescere, et multiplicari*, id de ipsa voce Dei vel apostolorum concipere difficile est; de doctrina, facile. Atque in hac tertia acceptione, *verbum Dei* est omnis, quæ hodie e cathedris docetur, et in theologorum libris continetur, *doctrina de fide Christiana*.

Non omnia, quæ habentur in Scriptura Sacra, pertinere ad canonem fidei Christianæ.

16. Jam Scriptura Sacra, ut quam agnoscimus a Deo inspiratam, tota verbum Dei est in secunda acceptione: et innumera ejusdem loca, in prima. Et cum maxima pars ejus versetur in *regni cœlestis* vel prædicatione vel præfiguratione ante CHRISTI incarnationem, vel in evangelizatione et explicatione post, etiam in tertia significatione; ubi *verbum Dei* sumitur pro *verbo de Deo*, id est, pro *Evangelio*, Scriptura Sacra est *verbum Dei*, ideoque etiam *canon et regula omnis doctrinæ Evangelicæ*. Quoniam autem in iisdem Scripturis multa leguntur *politica, historica, moralia, physica*, et alia, quæ nihil omnino spectant ad *mysteria fidei*, ea loca, etsi veram doctrinam contineant et canon sint talium doctrinarum, non tamen canon esse possunt *mysteriorum religionis Christianæ*.

17. Et quidem *verbi Dei*, non vox et litera doctrinæ Christianæ canon est, sed sententia vera et genuina; non enim regitur animus per Scripturas nisi intellectas. Scripturis igitur, ut fiant canon, interprete opus est. Sequitur autem hinc duorum alterum, aut verbum interpretis esse verbum Dei, aut canonem doctrinæ Christianæ non esse verbum Dei. Horum posterius falsum esse necesse est; doctrinæ enim, quæ nulla ratione humana, sed per revelationem divinam tantum sciri potest, regula esse non potest nisi divina. Quem enim fatemur scire non posse, an doctrina aliqua vera sit necne, ejus sententiam in eadem doctrina pro regula habere impossibile est. Prius igitur verum est: *verbum interpretis* Scripturarum esse *verbum Dei*.

SECT. III.

17.

Verbum legitimi
interpretis Scrip-
turarum esse
verbum Dei.

18. Interpres autem is, cujus sententiæ tantum honoris defertur, ut habeatur pro *verbo Dei*, non est quilibet qui ex lingua Hebræa et Græca vertit Scripturam auditoribus suis Latinis, Latine; Gallis, Gallice; et cæteris singulis vernacule; non enim est hoc interpretari. Est enim ea universim sermonis natura, ut quamquam inter signa, quibus conceptus nostros aliis patefacimus, principem locum mereatur, non tamen id munus explere solus sine ope multarum circumstantiarum possit. Habet enim viva vox præsentis interpretes, nimirum tempus, locum, vultum, gestum, consilium loquentis, atque etiam ipsum, qui loquitur, animum suum aliis verbis, quoties opus est, explicantem. Hæc interpretationis adjumenta in scriptis veteris ævi desiderata revocare, neque ingenii quotidiani, neque sine eruditione et rerum antiquarum summa peritia, omnino ingenii est. Non sufficit igitur ad interpretationem Scripturarum, ut quis linguam

Auctoritas inter-
pretandi Scrip-
turas eadem est,
quæ determinan-
di fidei contro-
versias.

SECT. III. 17. *callet, qua loquuntur.* Neque interpres Scripturæ canonicus unusquisque est, qui commentarios in eas scribit. Possunt enim homines errare; possunt etiam eam vel ad ambitionem suam inflectere, vel in servitutem præjudiciis suis trahere etiam repugnantem; unde sequetur, habendam esse sententiam erroneam pro *verbo Dei*. Etiam si autem accidere hoc non posset, tamen statim ut commentatores hi discesserint, commentarii eorum explicationibus, et procedente tempore, explicationes expositionibus, expositiones novis commentariis indigebunt sine fine; ut nullo modo doctrinæ Christianæ canon sive regula, qua controversiæ religionis determinandæ sint, consistere possit in quacunque interpretatione scripta. Restat, ut interpres canonicus debeat esse aliquis, cujus munus legitimum sit ortas controversias, *verbum Dei* in ipsis iudiciis explicando, terminare; et cujus propterea auctoritati standum non minus sit, quam eorum, qui Scripturam ipsam pro canone fidei primi nobis commendaverunt; idemque sit *interpres Scripturæ et doctrinarum omnium iudex supremus*.

Ecclesias plures
significationes.

19. Quod ad nomen attinet *ecclesiæ*, ab origine idem sonat quod Latine *concio*, sive conventus civium, sicut et *ecclesiastes* idem quod *concionator*, id est, is qui ad conventum loquitur. Quo sensu legimus in Actis Apostolorum (xix. 32, 39) *ecclesiam confusam* et *ecclesiam legitimam*, hanc pro cœtu convocato, illam pro concursu populi per tumultum. Cæterum per *ecclesiam Christianorum* in Scriptura Sacra intelligitur interdum quidem conventus, interdum vero ipsi Christiani, etsi non actu congregati, siquidem in cœtum introire et communicare cum congregatis concessum sit. Exempli

causa: *dic ecclesiam* (Matth. xviii. 17), de congregata intelligitur; aliter enim *dicere* aliquid *ecclesiam*, impossibile est. Sed, *devastavit ecclesiam* (Act. viii. 3), de non congregata. Sumitur autem *ecclesia* aliquando pro baptizatis sive fidei Christianæ professoribus, sive illi sint interne Christiani sive simulate; ut, ubi legimus aliquid dictum, vel scriptum, ad *ecclesiam*, vel dictum, decretum, factum ab *ecclesia*: aliquando autem pro *electis* tantum; ut Ephes. v. 27, ubi dicitur *sancta et immaculata ecclesia*. Non autem sunt electi, quatenus militant, proprie dicta *ecclesia*; nam convenire nesciunt; sed sunt *ecclesia futura*, nimirum in die illa in qua a reprobis segregati triumphaturi sunt. Rursus, *ecclesia* sumi aliquando potest pro omnibus simul Christianis collective, ut (Eph. v. 23) ubi CHRISTUS vocatur *caput ecclesiam*; et (Col. i. 18), *caput corporis ecclesiam*: aliquando pro partibus ejus, ut *ecclesia Ephesi*, *ecclesia quæ est in domo ejus*, *septem ecclesiam*, etc. Postremo, *ecclesia* prout pro cœtu actu congregato sumitur, pro diverso fine congregandi, significat aliquando eos, qui congregantur ad deliberationes et judicia; quo sensu vocatur etiam concilium, et synodus: aliquando eos, qui conveniunt in domum orationis ad colendum Deum; qua significatione ponitur, 1 Cor. xiv. 4, 5, 23, 28, etc.

20. *Ecclesia* autem, cui attribuuntur *personalia*, et propria *jura actionesque*, et de qua necesse est intelligi illa: *Dic ecclesiam, qui non obedierit ecclesiam*, et ejusmodi omnes loquendi formulas, definienda ita est, ut intelligatur ea voce *multitudo hominum qui pactum novum cum Deo per Christum*

SECT. III.

17.

Quid sit ecclesia,
cui attribuuntur
jura, actiones,
et similia per-
sonalia.

SECT. III.
17.

Quid sit ecclesia,
cui attribuuntur
jura, actiones,
et similia per-
sonalia.

inierunt, hoc est, multitudo eorum qui susceperunt sacramentum baptismi, *quæ multitudo et jure in unum locum convocari possit ab aliquo, et eo convocante, adesse omnes vel per se vel per alios obligantur.* Nam multitudo hominum, si coire in unum cœtum, ubi opus est, non potest, una *persona* dicenda non est. *Ecclesia* enim neque loqui, neque decernere, neque audire potest, nisi ut cœtus. Quæ a singulis dicta sunt, nempe tot sententiæ fere quot capita, unumquodque eorum hominis unius, non *ecclesiæ* dictum est. Porro si cœtus fiat, sed illicitus, considerabitur ut nullus. Nemo igitur eorum, qui adsunt in tumultu, decreto cæterorum tenebitur, præsertim vero si dissenserit. Neque itaque *ecclesia* talis decernere aliquid potest; tum enim decernere aliquid multitudo dicitur, cum unusquisque decreto majoris partis obligatur. Oportet igitur ad *ecclesiæ*, cui quidem *personalia* tribuimus, definitionem accedere, ut possit non modo congregari, sed et jure. Præterea, etsi sit qui jure cæteros convocet, possint tamen, qui vocantur, jure non venire (id quod accidere potest inter homines, quorum alius alii non subjicitur) non est illa *ecclesia persona una*. Nam quo jure ii, qui ad tempus et locum, quo vocantur, conveniunt, *una ecclesia*; eodem etiam ii, qui ad alium locum a se constitutum confluunt, *alia ecclesia* est. Et quilibet *homodoxorum* numerus *ecclesia* est; et per consequens, tot *ecclesiæ* erunt, quot sunt opiniones diversæ, hoc est, eadem multitudo hominum erit simul et *una* et *plures ecclesiæ*. Itaque *ecclesia*, nisi ubi certa et cognita, hoc est, legitima potestas sit, per quam singuli per se vel per alios in cœtu adesse obligentur, una non est.

Atque unitate legitimæ potestatis convocandi synodos et conventus Christianorum, non uniformitate doctrinæ, fit *una* et capax functionum *personalium*, quæ alioquin est multitudo, et *personæ* in plurali, utcunq̄ opinionibus consentientes.

SECT. III.

17.

21. Iis, quæ dicta jam sunt, necessaria con-
nessione adhæret, *civitatem Christianorum* hominum, et *ecclesiam* eorundem, prorsus eandem rem esse, duobus nominibus propter duas causas appellatam. Nam *materia civitatis* et *ecclesiæ* eadem est, nimirum iidem homines Christiani. *Forma* autem, quæ consistit in legitima potestate eos convocandi, eadem quoque est; constat enim singulos cives obligari eo venire, quo a civitate convocantur. Quæ vero *civitas* vocatur, quatenus conflatur ex *hominibus*, eadem quatenus constat ex *Christianis ecclesia* nominatur.

Civitas Christiana idem, quod Ecclesia Christiana.

22. Cum iisdem cohæret et hoc; *si plures sint civitates Christianæ, eas simul omnes ecclesiam personaliter unam non esse*. Possunt quidem consensu mutuo una fieri; sed non aliter, quam ut fiant etiam una civitas. Convenire enim nisi ad certum tempus et locum constitutum non possunt. Sunt autem personæ, loca, et tempora conventuum juris civilis; neque quisquam, civis vel externus, pedem in ullum locum inferre jure potest, nisi permittente civitate, quæ loci domina est. Quæ vero nisi permittente civitate fieri jure non possunt, ea, si jure fiant, fiunt per auctoritatem civitatis. Est certe *ecclesia universa* unum *corpus mysticum*, cujus caput est CHRISTUS; sed eadem ratione, qua omnes simul homines, Deum rectorem mundi agnoscentes, unum regnum et *una civitas* sunt; quæ tamen neque *una persona* est, neque unam

Plures civitates non constituunt unam Ecclesiam.

SECT. III.

17.

actionem aut sententiam communem habet. Præterea ubi dicitur CHRISTUS esse *caput corporis ecclesiae*, manifeste apparet dictum id esse ab apostolo de electis, qui, quamdiu in hoc mundo sunt, potentia tantum *ecclesia* sunt, quæ actu ante non erit, quam a reprobis quidem segregentur, inter se vero congregentur in die judicii. *Ecclesia Romana* permagna olim fuit, sed fines imperii egressa non est; neque ergo *universa*, nisi eo sensu, quo dictum etiam est de *Romana civitate, orbem jam totum victor Romanus habebat*, cum non haberet partem ejus vicesimam. Postquam autem imperium civile in partes discerptum fuit, singulæ civitates inde exortæ totidem erant *ecclesiae*; et quam habuit in eas *ecclesia Romana* potestatem, ea tota pendere potuit ex ipsarum auctoritate, quæ excussis imperatoribus, doctores tamen Romanos habere contentæ sunt.

Ecclesiastici
qui.

23. *Ecclesiastici* appellari possunt, qui munus in *ecclesia* exercent publicum. Munerum autem erat aliud *ministerium*, aliud *magisterium*. *Ministorum* munus erat inservire mensis, procurare bona *ecclesiae* temporalia, portionesque, quo tempore divitiarum omni abolita proprietate de communi alebantur, in singulos distribuere. *Magistri* autem pro ordine, alii *apostoli*, alii *episcopi*, alii *presbyteri*, hoc est, majores natu sive seniores, appellabantur; non tamen ut *presbyteri* nomine *ætas*, sed *officium* distingueretur. Fuit enim Timotheus presbyter, quamquam juvenis; sed quia plerumque *seniores* ad *magisteria* adhibebantur, nomen *ætatis* ad significandum munus usurpatum est. Iidem *magistri* pro diversitate munerum vocabantur alii *apostoli*, alii *prophetæ*, alii *evan-*

gelista, alii *pastores* seu *doctores*. Et opus quidem *apostolicum* universum erat; *propheticum* autem revelationes proprias in *ecclesia* proponere; *evangelisticum*, prædicare, sive præcones esse evangelii apud infideles; *pastoritium*, docere, confirmare, et regere animos eorum, qui jam crederant.

SECT. III.

17.

24. In *electione ecclesiasticorum* duo consideranda sunt, *electio* personarum, et consecratio sive institutio, quæ et ordinatio appellatur. Primos *apostolos* duodecim ipse CHRISTUS et *elegit* et *ordinavit*. Post ascensionem CHRISTI, Matthias in locum Judæ proditoris suffectus est, *ecclesia*, quæ ex hominibus circiter centum et viginti tunc temporis congregata est, duos eligente; *statuerunt enim duos, Joseph et Matthiam*; sed Deo ipso sorte unum Matthiam approbante. Atque duodecim hos appellat sanctus Paulus *magnum et primos apostolos*; item *apostolos circumcisionis*. Postea additi duo alii *apostoli*, Paulus et Barnabas; ordinati quidem a doctoribus et prophetis *ecclesie Antiochenæ*, quæ erat *ecclesia particularis*, per impositionem manuum; electi vero jussu Spiritus Sancti. Quod fuerint ambo *apostoli*, constat ex capite decimo quarto Actorum, versu decimo tertio. Quod *apostolatium* ex eo receperunt, quod jussu Spiritus Sancti a prophetis doctoribusque ecclesie Antiochenæ segregati fuerint ad opus Dei, ostendit ipse sanctus Paulus, qui distinctionis causa vocat se (Rom. i. 1) *apostolum segregatum in Evangelium Dei*. Sed si quæretur ulterius, *qua auctoritate* factum sit, ut pro jussu Spiritus Sancti receptum sit, quod prophetæ et doctores illi profectum a Spiritu Sancto esse dixerint, respondendum necessario est,

Electionem
ecclesiasticorum
spectare ad ec-
clesiam; conse-
crationem ad
pastores.

SECT. III. *auctoritate ecclesiae Antiochenae.* Prophetæ enim
 17. et doctores antequam admittantur, examinandi sunt

Electionem
 ecclesiasticorum
 spectare ad ec-
 clesiam; conse-
 crationem ad
 pastores.

ab ecclesia; dicit enim sanctus Johannes (1 Joh. iv. i): *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudo-prophetae exierunt in mundum.* A qua autem ecclesia, nisi ad quam scripta est ea epistola? Similiter reprehendit sanctus Paulus (Gal. ii. 14) *ecclesias Galatiæ*, quod Judaizarent; etiamsi viderentur ipsi id facere auctore Petro. Nam cum dixisset se Petrum ipsum reprehendisse his verbis: *si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis et non Judaice, quomodo gentes cogis Judaizare?* non multo post interrogat ipsos dicens (Gal. iii. 2): *hoc solum a vobis volo discere; ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Ex quo patet id, quod reprehendit in Galatis, fuisse Judaismum; quamquam Petrus *apostolus* Judaizare cogeret. Cum igitur quos doctores sequeretur *ecclesia*, non Petri, neque ergo hominis erat determinare, etiam *ecclesiae Antiochenae* auctoritati innitebatur doctorum et prophetarum suorum electio. Quoniam autem per doctorum sic electorum impositionem manuum, Spiritus Sanctus segregavit sibi *apostolos*, Paulum et Barnabam; manifestum est, summorum in *ecclesia* qualibet doctorum *consecrationem et impositionem manuum* ad ejusdem *ecclesiae* doctores pertinere. *Episcopos* autem, qui et *presbyteri* vocati erant, etsi non omnes presbyteri episcopi, ordinaverunt tum *apostoli*, (nam Paulus et Barnabas cum docuissent in Derbe, Lystra, et Iconio, *presbyteros* constituerunt per singulas ecclesias, Act. xiv. 22,) tum etiam *episcopi* alii. Titus enim in Creta relictus est a Paulo (Tit. i. 5), ut consti-

tueret ~~per civitates~~ *presbyteros*. Et Timotheo dictum est (1 Tim. iv. 14): *Noli negligere gratiam Dei, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*: eidemque datæ regulæ sunt circa *presbyterorum* electionem. Non autem intelligi id potest, nisi de ordinatione eorum, qui ab ecclesia eligerentur. Constituere enim doctorem in ecclesia, nisi ecclesia permittente, nemo potuit. Nam ipsorum *apostolorum* munus erat, non imperare, sed docere: et quamquam qui commendati ab *apostolis* vel *presbyteris* fuerant, propter existimationem commendantium non rejicerentur, cum tamen sine *voluntate ecclesiæ* eligi non possent, etiam per *auctoritatem ecclesiæ* electi censebantur. Similiter ministri, qui *diaconi* vocantur, ab *apostolis ordinati*, ab *ecclesia* tamen *electi* erant. Nam cum septem *diaconi* eligendi ordinandique erant, non eos eligebant *apostoli*, sed (Act. vi. 3), *considerate*, inquit, *fratres, viros ex vobis boni testimonii septem*, etc: atque illi (vers. 5) *eligerunt Stephanum*, etc. et (vers. 6) *statuerunt eos ante conspectum apostolorum*. Constat itaque ex consuetudine *ecclesiæ* sub *apostolis*, ecclesiasticorum omnium *ordinationem* quidem, sive *consecrationem*, quæ fit per *orationem* et *manuum impositionem*, ad *apostolos* et *doctores* spectasse; *electionem* vero ordinandorum, ad *ecclesiam*.

25. De potestate *solvendi et ligandi*, id est, *peccata remittendi et retinendi*, dubium esse non potest, quin ea data sit a Christo futuris tunc *pastoribus*, eodem modo quo præsentibus *apostolis*. Data autem est *apostolis* omnis potestas *remittendi peccata*, quam ipse habuit Christus. *Sicut misit*

SECT. III.

17.

Potestatem peccata penitentibus remittendi, non penitentium retinendi, spectare ad pastores: sed de penitentia iudicandi ad ecclesiam.

SECT. III. *me pater*, inquit Christus (Joh. xx. 21), *et ego mitto*

17.

Potestatem peccata pœnitentibus remittendi, non pœnitentium retinendi, spectare ad pastores: sed de pœnitentia judicandi, ad ecclesiam.

vos: subjungitque (vers. 23), *quorum remisistis peccata, remittuntur, et quorum retinueritis, retenta sunt*. Sed quid sit *solvere* et *ligare*, sive *peccata remittere* et *retinere*, dubitationem habet. Primum enim, *peccata ejus retinere*, qui baptizatus in remissionem peccatorum vere pœnitens est, videtur contra ipsum pactum Novi Testamenti, neque ergo a Christo fieri, nedum a pastoribus posse. *Remittere* autem non pœnitenti videtur esse contra voluntatem Dei Patris, a quo Christus ad convertendum mundum, hominesque ad obedientiam reducendum missus est. Deinde si pastoribus singulis eo modo *remittere* et *retinere peccata* concessum esset, omnis metus principum et magistratuum civilium, unaque omne regimen civile destrueretur. Dictum enim est a Christo (Matth. x. 28), imo etiam natura ipsa dictat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in Gehennam*. Neque est quisquam ita mente captus, ut non potius mallet iis, qui *peccata remittere* et *retinere* possunt, quam regibus potentissimis obtemperare. Neque tamen ex altera parte existimandum est, *remissionem peccatorum* nihil aliud esse præter exemptionem a pœnis ecclesiasticis. Quid enim mali habet excommunicatio præter consequentem ex ea pœnam æternam; vel boni, in ecclesiam recipi, si extra eam esset salus? Tenendum igitur est, *pastores habere potestatem peccata vere et absolute remittendi, sed pœnitentibus; et retinendi, sed impœnitentium*. Dum autem putant homines, pœnitere nihil aliud esse, quam ut facta sua quisque condemnet, mutet-

que consilia quæ sibi met ipsis peccata esse et culpam habere videantur, orta est opinio, posse esse pœnitentiam ante confessionem peccatorum coram hominibus; et esse pœnitentiam non effectum, sed causam confessionis. Atque inde difficultas dicentium peccata eorum, quos pœnitet, jam remissa esse in baptismo; non pœnitentium omnino remitti non posse; contra Scripturam est, et contra verba Christi dicentis, *quorum remisistis*, etc. Sciendum igitur, primo loco, ad difficultatis hujus solutionem, peccati veram agnitionem esse ipsam pœnitentiam. Nam qui scit se peccasse, scit se errasse; errare autem velle impossibile est; itaque qui scit se peccasse, nollet factum; id quod est pœnitere. Deinde, ubi dubium esse potest an quod factum est peccatum sit necne, considerandum est pœnitentiam non antecedere confessionem peccatorum, sed subsequi. Pœnitentia enim non est nisi de peccato agnito. Oportet igitur pœnitentem, et factum agnoscere, et cognoscere quod sit peccatum, hoc est, quod sit contra legem. Si quis igitur, quod a se factum est, putet non esse contra legem, impossibile est ut ejus pœniteat. Ergo ante pœnitentiam necessaria est factorum ad legem applicatio. Ad legem autem sine interprete facta applicare, frustra est; non enim verba legis, sed sententia legislatoris actionum regula est. Est autem legis interpret certe homo vel homines; non enim judex est unusquisque facti sui, an sit peccatum necne. Itaque explicandum factum est, de quo dubitatur an sit peccatum, ante hominem vel homines. Atqui hoc facere confessio est. Jam, quando legis interpret judicaverit, factum ejus esse peccatum; si acquiescat peccator judicio, statuatque apud se non facere

SECT. III.

17.

Potestatem peccata pœnitentibus remittendi, non pœnitentium retinendi, spectare ad pastores: sed de pœnitentia judicandi, ad ecclesiam.

SECT. III. **amplius, pœnitentia est.** Atque hoc modo vera

17.

Potestatem peccata pœnitentibus remittendi, non pœnitentium retinendi, spectare ad pastores: sed de pœnitentia judicandi ad ecclesiam.

pœnitentia aut non est, aut confessionem non antecedit sed sequitur. His ita explicatis, non est intellectu difficile, qualis illa sit potestas *solvendi et ligandi*. Cum enim in remissione duo sint: alterum, *judicium sive condemnatio*, qua factum judicatur esse peccatum; alterum, ubi condemnatus judicio acquiescens obediverit, id est, pœnituerit, *peccati remissio*, vel si non pœnituerit, *retentio*: primum eorum, id est, judicare an sit peccatum, ad *interpretem legis*, id est, *judicem summum*; secundum, remissio vel retentio peccati pertinet ad *pastorem*; et est illa ipsa, de qua agitur, *potestas ligandi et solvendi*. Atque hanc veram fuisse sententiam nostri Servatoris in ejusmodi potestatis institutione, ex Matth. xviii. 15-18, sic apparet. Discipulos alloquens: *si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum*: (notandum obiter est, *si peccaverit in te*, idem esse quod *si injuriam tibi fecerit*, ideoque loqui Christum de iis, quæ pertinent ad *tribunal civile*): addit, *si te non audierit*, hoc est, si neget fecisse, vel si factum confessus fecisse injuste neget, *adhibe tecum adhuc unum aut duos: quod si hos non audierit, dic ecclesiæ*. Quare autem *ecclesiæ*, nisi ut ipsa judicet an peccatum sit necne? *Quod si ecclesiam non audierit*, hoc est, si sententiæ *ecclesiæ* non acquieverit, sed sustinuerit non esse peccatum, quod ea peccatum esse judicaverit, hoc est, si non pœnituerit; (nam certum est pœnitere facti neminem, quod non existimat esse peccatum); non dicit, *dic apostolis*; ut sciamus, sententiam definitivam in quæstione an sit peccatum necne, relinqui non illis, sed *ecclesiæ*;

sed *sit tibi, inquit, sicut ethnicus et publicanus*, hoc est, tanquam extra *ecclesiam*, tanquam non baptizatus, id est, tanquam is cujus *peccata retinentur*. Baptizabantur enim omnes Christiani in remissionem peccatorum. Quoniam autem quæri poterat, quis haberet tantam potestatem, quanta est baptismi beneficium impœnitentibus auferendi, ostendit Christus eos ipsos, quibus auctoritatem dederat pœnitentes baptizandi in remissionem peccatorum et faciendi ex ethnicis Christianos, auctoritatem quoque habere peccata eorum, qui ab *ecclesia* judicarentur impœnitentes, retinendi, eosque ex Christianis reddendi ethnicos; ideoque statim subjungit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*. Ex quo intelligi potest *potestatem solvendi et ligandi*, sive *remittendi et retinendi peccata*, quæ et *potestas clavium* dicitur, aliam non esse a potestate data alio loco (Matth. xxviii. 19) his verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Et quemadmodum pastores baptismum negare non possunt ei, quem *ecclesia* dignum censeat, ita neque retinere peccata ejus, quem *ecclesia* absolvendum judicat; neque etiam remittere peccata ejus, quem *ecclesia* pronunciat esse contumacem. Et de peccato quidem judicare, *ecclesiæ est*; *pastorum vero judicatos ab ecclesia ejicere*, vel intra eam recipere. Ita sanctus Paulus ad *ecclesiam* Corinthiacam: *nonne de iis, inquit (1 Cor. v. 12), qui intus sunt, vos judicatis?* Ipse tamen fornicarium ab *ecclesia* separandum pronuntiavit: *Ego quidem, inquit (1 Cor. v. 3), absens corpore præsens autem spiritu, etc.*

SECT. III.

17.

Potestatem peccata pœnitentibus remittendi, non pœnitentium retinendi, spectare ad pastores: sed de pœnitentia judicandi ad *ecclesiam*.

SECT. III.

17.

Excommuni-
catio quid, et
in quos cadere
non potest.

26. Actus retentionis peccatorum is est, qui vocatur ab ecclesia *excommunicatio*, et a sancto Paulo, *tradere Satanæ*. Nomen *excommunicationis* idem sonans quod ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, *e synagoga ejicere*, tractum videtur a lege Mosaica, qua eos, qui a sacerdote leprosi judicati sunt, extra castra seorsim habere imperatum est (Levit. xiii. 46), donec rursus sacerdotis judicio mundi, et certis ritibus, inter quos erat corporis lavatio, purificati essent. Progrediente inde tempore, Judæis mos erat eos etiam, qui transibant a Gentilismo ad Judaismum, tanquam immundos, non recipere, nisi prius *lavatos*; et dissentientes a doctrina *synagoga*, *synagoga ejicere*. Ad similitudinem hujus ritus transeuntes ad Christianismum, sive Judæi essent sive Gentes, non nisi per *baptismum* in *ecclesiam* recipiebantur; et dissentientes ab *ecclesia*, *communione ecclesie* privabantur. Tradi autem Satanæ ideo dicebantur, quia quod extra *ecclesiam* erat, id omne regno Satanæ comprehendebatur. Finis hujusmodi disciplinæ erat, ut destituti ad tempus gratia et privilegiis *ecclesie* spiritualibus, humiliarentur ad salutem. Effectus autem, quoad secularia, is erat, ut *excommunicatus* non modo cœtibus, sive ecclesiis, et participatione mysteriorum prohiberetur, sed tanquam noxius contagione, etiam pejor ethnico, a cæteris Christianis singulis fugeretur. Nam *cum ethnicis commisceri* permisit apostolus (1 Cor. v. 10, 11); *cum his ne cibum quidem una sumere*. Quum ergo talis sit *excommunicationis* effectus, manifestum est, primo loco, *civitatem Christianam non posse excommunicari*. Est enim civitas Christiana, ecclesia Christiana (ut ostensum est supra art. 21), et ejusdem extensionis. *Ecclesia* autem *excommu-*

nicari non potest; vel enim excommunicabit seipsam, quod est impossibile; vel excommunicabitur ab alia ecclesia, eaque vel universali, vel particulari. Universalis autem ecclesia, cum persona non sit (ut ostensum est articulo 22), neque ergo agat aut faciat quicquam, excommunicare neminem potest. Particularis autem ecclesia excommunicando aliam ecclesiam nihil agit, nihil mutat. Quorum enim communis non est cœtus, eorum excommunicatio esse non potest; neque si ecclesia aliqua, puta Jerosolymitana, aliam, puta Romanam, excommunicasset, non illam magis excommunicasset quam seipsam. Nam qui aliam sua communione privat, se quoque privat communione illius. Secundo, neminem posse civitatis alicujus absolutæ cives simul omnes excommunicare, vel templorum usum vel cultum Dei publicum eis interdicere. Non enim excommunicari possunt ab ecclesia, quam ipsi constituunt; siquidem enim id facerent, non modo non ecclesia, sed ne civitas quidem esset, dissolverenturque sua sponte; id vero non est excommunicari, neque interdici. Quod si ab alia ecclesia excommunicentur, habendi sunt illi ecclesiæ tanquam ethnici. Sed ethnicos, per doctrinam Christi, nulla ecclesia Christiana prohibere potest, quin congregent se et inter se communicent, prout eorum civitatibus visum fuerit; præsertim si coeant ad colendum Christum, quamquam id fiat ritu et modo singulari: ergo neque excommunicatos, qui ut ethnici tractandi sunt. Tertio, excommunicari non posse principem, qui habet summum civitatis imperium. Neque enim per doctrinam Christi subditus unus, vel plures simul, principi suo quamquam ethnico loca publica aut privata interdicere, aut

SECT. III.
 17.

Excommuni-
 catio quid, et
 in quos cadere
 non potest.

SECT. III.
17.

Excommuni-
catio quid, et
in quos cadere
non potest.

introitum in quemcumque cœtum negare potest, aut prohibere ne faciat quicquid in sua ditione voluerit. Est enim crimen læsæ majestatis in omni civitate, civi cuicumque, vel quocumque civibus simul, auctoritatem sibi quamcumque in totam civitatem arrogare. Qui vero auctoritatem arrogant sibi in eum qui habet civitatis summum imperium, eandem arrogant in ipsam civitatem. Præterea, princeps summus, si Christianus sit, hoc amplius habet, ut civitas, cujus voluntas continetur in ipsius voluntate, id ipsum sit quod vocamus *ecclesiam*. Neminem igitur excommunicat *ecclesia*, nisi quem excommunicat auctoritate principis. Sed princeps non *excommunicat* seipsum, non igitur *excommunicari* potest a subditis suis. Potest quidem esse, ut cœtus civium rebellium vel proditorum pronunciet principem summum esse *excommunicatum*; sed non *jure*. Multo minus princeps a principe *excommunicari* potest: esset enim hoc, non *excommunicatio*, sed potius indictio belli per convicium. Nam cum una non sit *ecclesia* quæ conflatur ex civibus duarum civitatum absolutarum, propter defectum (ut dictum supra est articulo 22) potestatis rite conveniendi in unum cœtum; illi, qui unius ecclesiæ sunt, non tenentur obedire alteri, neque ergo propter inobedientiam possunt *excommunicari*. Quod autem dicat aliquis, principes, cum *ecclesiæ universalis* membra sint, posse etiam *universalis ecclesiæ* auctoritate *excommunicari*, locum non habet; propterea quod *ecclesia universalis* (ut dictum est articulo 22) non est *una persona*, de qua possit dici quod *fecerit, decreverit, statuerit, excommunicaverit, absolverit*, et similia personalia; neque habet rectorem ullum

in terris, *cujus jussu convenire et deliberare possit.* SECT. III.
 Nam rectorem esse *ecclesiae universalis*, et posse 17.
 eam convocare, idem est, ac rectorem esse et domi-
 num omnium per universum orbem Christianorum ;
 id quod nemini conceditur, praeterquam soli Deo.

27. Ostensum est supra (articulo 18) auctori-
 tatem *interpretandi Scripturas Sacras non consis-* Interpretatio-
nem Scripturae
Sacrae dependere
ab auctoritate
civitatis.
 tere in eo, quod interpretes possit impune sententiam,
 quam inde elicit, aliis vel scripto vel viva voce expo-
 nere et explicare, sed in eo, quod non sit aliis contra
 sententiam ejus faciendi aut docendi jus ; ita ut
interpretatio, de qua agimus, idem sit quod *potestas*,
 in omnibus controversiis per Scripturam Sacram
 determinandis, definiendi. Nunc ostendendum est
 auctoritatem illam pertinere ad singulas *ecclesias*, et
 dependere ab auctoritate ejus vel eorum qui habent
 summum imperium, modo sint Christiani. Si enim
 ab auctoritate civili non dependeat, dependere eam
 oportet vel ab arbitrio singulorum civium, vel ab
 auctoritate externa. Ne vero ab arbitrio dependeat
 singulorum, prohibent, inter alia, consequutura inde
 incommoda et absurda. Quorum praecipuum est
 hoc, quod non modo omnis tolleretur, contra praec-
 ceptum Christi, obedientia civilis, sed etiam omnis
 societas et pax humana, contra leges naturales,
 dissolveretur. Cum enim Scripturam Sacram sin-
 guli interpretentur sibi, id est, unusquisque judicem
 se faciat, quid Deo placeat, quid displiceat ; non
 ante principibus obedire possunt, quam ipsi de man-
 datis eorum, utrum conformia sint Scripturae necne,
 judicaverint. Atque sic vel non obediunt, vel obe-
 diunt propter judicium proprium, hoc est, sibi
 obediunt, non civitati. Tollitur ergo obedientia
 civilis. Rursus, cum unusquisque propriam sequatur

SECT. III. *sententiam, necesse est controversias, quæ oriuntur,*

17.

Interpretationem Scripturæ Sacræ dependere ab auctoritate civitatis.

innumerabiles fore, neque determinabiles: unde inter homines, qui natura sua dissensionem omnem habent pro contumelia, nasceretur primo odium, deinceps jurgium et bellum: atque ita omnis periret societas et pax. Habemus præterea in exemplum, id quod sub lege vetere circa librum legis observari voluit Deus, nimirum scribi quidem, publice haberi, et canonem doctrinæ divinæ esse voluit: sed non inde a singulis, sed a solis sacerdotibus definiri controversias. Est denique præceptum Servatoris nostri, ut, si quid oriatur offensionis inter singulos, *audiant ecclesiam*. Itaque *ecclesiæ* munus est controversias determinare. Non ergo singulorum, sed *ecclesia* est Scripturas Sacras interpretari. Ut sciamus autem auctoritatem *interpretandi verbum Dei*, hoc est, omnes quæstiones de Deo et religione determinandi, non spectare ad personam quamcunque externam, perpendendum, imprimis, est, quid momenti ea potestas habeat in animis civium civilibusque actionibus. Nemini enim ignotum esse potest, actiones hominum voluntarias necessitate naturali ipsorum sequi opiniones quas habent de bono et malo, præmiis et pœnis; ex quo fit ut obedientiam illis, quorum arbitrio vel felices vel miserrimos in æternum futuros se credunt, præstare necessario velint. Quorum autem arbitrio, quæ doctrinæ et quæ actiones necessariae sunt ad salutem, statuitur, eorum arbitrio expectant homines felicitatem vel perditionem æternam; iis igitur in omnibus rebus obsequuntur. Quod cum ita sit, manifestissimum est, cives, qui se obligari credunt circa eas doctrinas, quæ ad salutem necessariae sunt, auctoritati externæ acquiescere, non constituere civitatem per se, sed

esse externi illius subditos. Neque ergo, etsi princeps aliquis summus tantum auctoritatis alii cuicumque scripto concederet, ita tamen ut imperium civile retinuisse intelligeretur, scriptum tale validum erit; nec quicquam transferet, quod ad retinendum et bene administrandum imperium sit necessarium. Nam (per cap. II. artic. 4) *transferre jus* nemo dicitur, nisi dederit *signum idoneum voluntatis transferendi*: qui vero *voluntatem retinendi* imperium aperte significavit, non potest dedisse signum idoneum transferendi media ad imperium necessaria. Non erit igitur hujusmodi scriptum signum voluntatis, sed ignorantiae in contrahentibus. Secundo, considerandum est quam absurdum sit, civitatem vel summum imperantem conscientias civium regendas committere hosti. Sunt enim, ut supra ostensum est (cap. v. art. 6), inter se in statu hostili, quicumque in unitatem personae non coaluerunt. Neque obstat quod non semper pugnent; nam et inter hostes induciae fiunt; sufficit ad hostilem animum, quod diffidentia sit, quod civitatum, regnorum, imperiorum fines, praesidiis armati, statu vultuque gladiatorio se mutuo, etsi non feriant, ut hostes tamen intueantur. Postremo, quam iniquum est id postulare, quod ipsa postulandi ratione juris alieni esse confiteris. Interpretes sum Scripturae Sacrae tibi, qui civitatis alienae civis es. Qua ratione? Quibus pactis inter me et te? Auctoritate divina. Unde cognita? Ex Sacra Scriptura: en librum, lege. Frustra, nisi et eandem mihi interpreter: mei ergo juris est, et caeterorum singulorum civium ea interpretatio; id quod negamus ambo. Restat ergo, in omni ecclesia Christiana, hoc est, in omni civitate Christiana, Scripturae Sacrae interpretatio, hoc est,

SECT. III.

17.

Interpretationem Scripturae Sacrae dependere ab auctoritate civitatis.

SECT. III. *ius controversias* omnes *determinandi*, dependeat et derivetur ab auctoritate illius hominis vel cœtus, penes quem est summum imperium civitatis.

17.

Christianam civitatem Scripturas interpretari debere per pastores ecclesiasticos.

28. Quapropter omnino duo sunt genera controversiarum, unum circa *spiritualia*, hoc est, circa quæstiones fidei, quarum veritas ratione naturali investigari non potest; quales sunt quæstiones *de natura et officio CHRISTI, de præmiis et pœnis futuris, de resurrectione corporum, de natura et officiis angelorum, de sacramentis et cultu externo*, et similia; alterum circa quæstiones scientiæ humanæ, quarum veritas ratione naturali et syllogismis elicitur, ex pactis hominum et definitionibus, id est, receptis usu et consensu communi vocabulorum significationibus; quales sunt quæstiones omnes *juris et philosophiæ*. Exempli causa, quando in *jure* quæritur, an sit promissum et pactum necne; id nihil aliud est, quam quærere an verba talia, tali modo prolata, appellentur communi usu et consensu civium *promissum* aut *pactum*; quod si sic appellantur, verum est pepigisse, aliter falsum: veritas ergo ea dependet a pactis et consensu hominum. Similiter, quando quæritur in *philosophia* an idem possit esse totum in pluribus simul locis; determinatio quæstionis dependet a cognitione communis consensus hominum, circa significationem vocabuli *totius*: siquidem enim homines, quando dicunt totum esse alicubi, significant communi consensu intelligere se nihil esse ejusdem alibi, falsum est idem esse in pluribus simul locis: veritas ergo ea dependet a consensu hominum, eademque ratione in cæteris omnibus *juris et philosophiæ* quæstionibus. Et qui contra hunc communem circa rerum appellationes consensum hominum, ex ob-

scuris ~~Scripturæ locis~~ aliquid statui posse judicant, tollendum judicant et sermonis usum, et una omnem societatem humanam; dicet enim qui venderit totum agrum, esse totum uno cespite, et reliquum tanquam non venditum retinebit: imo ipsam tollit rationem, quæ nihil aliud est præter veritatis per talem consensum factæ investigatio. Hujusmodi itaque quæstiones non necesse est ut determinet civitas per interpretationem Scripturæ Sacræ. Non enim pertinent ad *verbum Dei*, eo sensu quo sumitur verbum Dei pro *verbo de Deo*, id est, *doctrina Evangelica*; neque obligatur, qui habet *ecclesiæ imperium*, ad hujusmodi judicia adhibere *doctores ecclesiasticos*. Quæstionibus autem fidei, id est, *de Deo*, quæ captum humanum superant, decidendis, opus est benedictione divina (ne possimus falli, saltem in necessariis) per *impositionem manuum* ab ipso CHRISTO derivanda. Nam cum ad salutem æternam obligemur ad doctrinam supernaturalem, et quam propterea intelligere est impossibile, ita destitui, ut falli possimus in necessariis, repugnat æquitati. *Infallibilitatem* hanc promisit Servator noster, in iis rebus quæ ad salutem sunt necessariae, *apostolis* usque ad diem judicii, hoc est, *apostolis* et *pastoribus* ab apostolis successive per *impositionem manuum* consecrandis. Obligatur ergo, quatenus Christianus, is, qui habet civitatis imperium, Scripturas Sacras, ubi quæstio est de *mysteriis fidei*, per *ecclesiasticos* rite ordinatos interpretari. Et sic in civitatibus Christianis judicium et *spiritualium* et *temporalium* pertinet ad auctoritatem civilem. Et is homo vel cœtus, qui summum habet imperium, caput est et *civitatis* et *ecclesiæ*: una enim res est *ecclesia* et *civitas Christiana*.

SECT. III.

17.

Christianam civitatem Scripturas interpretari debere per pastores ecclesiasticos.

CAPUT XVIII.

DE NECESSARIIS AD INTROITUM IN REGNUM CÆLORUM.

1. Proposita difficultas de repugnantia obediendi Deo et hominibus, tollenda per distinctionem inter necessaria et non necessaria ad salutem.
2. Omnia necessaria ad salutem contineri in fide et obedientia.
3. Qualis sit ea, quæ requiritur, obedientia.
4. Quid sit fides; et quomodo distinguatur a professione, a scientia, et ab opinione.
5. Quid sit credere in Christum.
6. Unicum articulum, Jesum esse Christum, necessarium esse ad salutem, probatur ex scopo Evangelistarum:
7. Ex prædicatione Apostolorum:
8. Ex facilitate religionis Christianæ:
9. Ex eo quod sit fundamentum fidei:
10. Ex disertissimis Christi et Apostolorum verbis.
11. In eo articulo contineri fidem Veteris Testamenti.
12. Fides et obedientia quomodo concurrant ad salutem.
13. In civitate Christiana, nullam esse repugnantiam inter mandata Dei et civitatis.
14. Doctrinas, quæ hodie controvertuntur de religione, spectare plerasque ad jus regnandi.

SECT. III.

18.

Proposita difficultas de repugnantia obediendi Deo et hominibus, tollenda per distinctionem inter necessaria et non necessaria ad salutem.

1. AUCTORITATEM omnem in rebus *secularibus* derivari ab auctoritate ejus, qui summum habet imperium, sive is unus homo sit, sive unus cœtus, in confesso semper fuit. Eandem in *spiritualibus* ab auctoritate *ecclesiæ* dependere, ex proxime antecedentibus manifestum est; et præterea hoc, *civitatem* omnem *Christianam* esse *ecclesiam* hujusmodi auctoritate præditam. Ex quibus colligere etiam quantumlibet ingenio tardus potest, in *civitate Christiana*, hoc est, in civitate cujus summum imperium habet princeps vel cœtus Christianus, *omnem uniri sub Christo potestatem tam secularem quam spiritualem*; ideoque in omnibus iis esse obediendum. Contra autem, quia *obedire oportet Deo magis quam hominibus*, orta est difficultas,

quo pacto obedientia tuto iis præstari possit, si quando imperatum fuerit aliquid, quod CHRISTUS fieri prohibet. Causa difficultatis est, quod cum Deus non amplius per CHRISTUM et *prophetas* viva voce nos alloquatur, sed per Scripturas Sacras, quæ a diversis diverse accipiuntur, sciunt quidem quid reges imperant et *ecclesia* congregata; utrum vero id, quod imperant, sit contra imperata Dei necne, id nesciunt; sed fluctuante obedientia inter poenas mortis *temporalis et spiritualis*, tanquam navigantes inter Scyllam et Charybdin incurrunt sæpe in utramque. Qui vero necessariis ad salutem, a non necessariis recte distinguunt, nullam hujusmodi dubitationem habere possunt. Siquidem enim mandatum principis vel civitatis tale sit, ut obediri ei possit sine jactura salutis æternæ, injustum est non obedire, et locum habent præcepta apostolica (Col. iii. 20, 22): *Filii obedite parentibus per omnia: Servi, obedite per omnia dominis carnalibus*: et mandatum CHRISTI (Matth. xxiii. 2, 3): *Super cathedram Moïsis sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite*. Contra, si facere jusserint quæ puniuntur morte æterna, insanum est non potius mori mortem naturalem, quam obediendo mori in æternum. Et locum habet quod dicit CHRISTUS (Matth. x. 28): *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere*. Videndum itaque est quæ sint ea omnia, quæ ad salutem sunt necessaria.

2. Sunt autem *necessaria* ad salutem omnia duabus virtutibus comprehensa, *fide* et *obedientia*. Harum posterior, si perfecta esse posset, sola sufficeret ne damnaremur; sed quia et jam diu omnes

SECT. III.

18.

Omnia necessaria ad salutem contineri in fide et obedientia.

SECT. III.
18.

rei sumus contumaciæ adversus Deum in Adamo, et præterea ipsi actu peccavimus, non sufficit *obedientia* sine *remissione peccatorum*. Ea vero, unaque introitus in regnum cœli, *fidei* præmium est. Aliud ad salutem requiritur nihil. Non enim clauditur regnum Dei, nisi peccantibus, id est iis, qui debitam legibus Dei *obedientiam* non præstiterunt: neque illis, si credant *articulos necessarios* fidei Christianæ. Jam si cognoverimus, in quibus constat *obedientia*, et qui sint *articuli necessarii* fidei Christianæ, manifestum una erit, quæ civitatum principumque jussu facere, et quibus abstinere debeamus.

Qualis sit ea, quæ requiritur, obedientia.

3. Per *obedientiam* autem, hoc loco, significatur non *factum*, sed *voluntas* et *studium*, quo proponimus conari quantum possumus obedire in futurum. Quo sensu vox *obedientiæ* æquivalet *pœnitentiæ*. Consistit enim *pœnitentiæ* virtus non in dolore, qui peccati recordationem comitatur, sed in conversione in viam, et instituto non peccandi amplius, sine quo dolor ille non pœnitentis, sed desperantis esse dicitur. Quoniam autem qui Deum amant, non possunt non velle obedire legi divinæ, et qui amant proximum, non possunt non velle obedire legi morali, quæ consistit, ut supra capite tertio ostensum est, in *superbiæ*, *ingratiitudinis*, *contumeliæ*, *inhumanitatis*, *inclementiæ*, *injuriæ*, similiumque offensarum prohibitione, quibus proximi læduntur. Itaque voci *obedientiæ* æquivalet etiam *amor* sive *charitas*; etiam *justitia*, quæ constans voluntas est suum cuique tribuendi, æquivalet eidem. Jam sufficere ad salutem *fidem* et *pœnitentiam* manifestum est; primum ex ipso fœdere baptismi. Nam interrogantibus Petrum iis, qui ab ipso die *Pente-*

costes convertēbantur, quid faciemus? respondit (Act. ii. 38); *pœnitēmini, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu in remissionem peccatorum.* Nihil ergo ad obtinendum baptismum, hoc est, introitum in regnum Dei, faciendum aliud erat, nisi *pœnitere* et *credere* in nomen JESU. Pacto enim, quod fit in baptismo, promittitur regnum cœlorum. Deinde, ex verbis CHRISTI (Luc. xviii. 20; et Marc. x. 19) respondentis ad principem interrogantem, quid faciens vitam æternam possideret: *mandata nosti, non occides, non mœchaberis, etc;* quod *obedientiæ*: et, *vende omnia quæ habes, veni, et sequere me*; quod *fidei* erat. Et ex eo quod dicitur, *justus* (non quilibet, sed *justus*) *ex fide vivet*: est enim *justitia* voluntatis dispositio eadem, quæ *pœnitentia* et *obedientia*. Et ex verbis sancti Marci (i. 15): *quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei, pœnitēmini et credite Evangelio*; quibus non obscure significatur, non opus esse ad ingressum in regnum Dei aliis virtutibus præter *pœnitentiam* et *fidem*. *Obedientia* itaque, quæ ad salutem *necessario* requiritur, nihil aliud est præter *voluntatem* sive *conatum obediendi*, id est, faciendi secundum leges Dei, id est, secundum leges morales, quæ eadem omnibus sunt, et leges civiles, hoc est, mandata imperantium in rebus *temporalibus*, et leges ecclesiasticas in *spiritualibus*; quæ duo genera legum in diversis civitatibus et ecclesiis sunt diversa, et cognoscuntur promulgatione vel sententiis publicis.

4. Ut sciamus quid sit *fides Christiana*, definienda est in universum *fides*, et a cæteris animi actibus, quibuscum vulgo confundi solet, distinguenda. *Objectum fidei* universaliter sumptæ, nimi-

SECT. III.

18.

Quid sit fides, et quomodo distinguatur a professione, a scientia, et ab opinione.

SECT. III.

18.

Quid sit fides, et quomodo distinguatur a professione, a scientia, et ab opinione.

rum, *id quod creditur*, semper *propositio* est, id est, oratio affirmans vel negans, quam veram esse concedimus. Sed quoniam conceduntur propositiones propter diversas causas, accidit hujusmodi concessionem diverse nominari. Concedimus autem quandoque propositiones, quas tamen in animum non recipimus. Idque vel ad tempus, nimirum, tantisper donec ex consideratis consequentiis earum veritatem examinaverimus, quod vocatur *supponere*; vel etiam simpliciter, ut metu legum, quod est *profiteri* vel *confiteri* signis externis; vel obsequii spontanei causa, quod faciunt homines animo civili erga eos, quos reverentur, et erga alios studio pacis, id quod simpliciter *concedere* est. Propositiones autem, quas pro veris recipimus, concedimus semper propter aliquas rationes nostras. Eæ vero derivantur vel ab ipsa *propositione*, vel a *persona proponentis*. Derivantur autem ab *ipsa propositione*, revocando in memoriam quibus rebus significandis nomina, ex quibus propositio conflatur, communi consensu usurpantur; quod si fiat, assensus, quem præbemus, dicitur *scire*. Si vero recordari non possimus, quid certo per ea nomina intelligendum sit, sed modo hoc videtur, modo illud, tum dicimur *opinari*. Exempli causa: si propositum sit, *duo et tria esse quinque*; revocando autem in memoriam ordinem nominum numeralium, ita consensu communi eorum, qui ejusdem sunt linguæ, (quasi pacto quodam societati humanæ necessario) constitutum esse, ut quaternarius totidem unitatum nomen sit, quod in binario et ternario continentur simul sumptis; ac assentiatur quis verum id ideo esse, quia duo et tria simul idem sunt quod quinque; dicitur assensus ille *scientia*. Et scire veritatem

istam, nihil est aliud, quam agnoscere esse eam a nobis ipsis factam. Quorum enim arbitrio et loquendi lege, numerus || vocatus est binarius, ||| ternarius, et ||||| quinarium, eorum arbitrio factum est, ut vera sit propositio: *binarius* et *ternarius* simul sumpti faciunt *quinarium*. Similiter si meminerimus quid sit, quod vocatur *furtum* et quid *injuria*, *sciemus* ex ipsis vocibus, an verum sit *furtum esse injuriam*, necne. *Veritas* idem est, quod *vera propositio*; *vera* autem est *propositio*, in qua *nomen consequens*, quod vocatur a logicis *prædicatum*, complectitur amplitudine sua *nomen antecedens* quod vocatur *subjectum*; et *veritatem scire*, idem quod, esse eam a nobismet ipsis ipsa nominum usurpatione factam, *meminisse*. Neque temere olim a Platone dictum est, *scientiam esse memoriam*. Accidit autem interdum, ut voces, etsi certam et ex constituto definitam habeant significationem, usu tamen vulgari ad ornandum vel etiam fallendum particulari studio a propriis significationibus ita divellantur, ut conceptus, propter quos rebus impositæ fuerunt, revocare in memoriam difficultatem magnam habeat, neque nisi acri iudicio et diligentia maxima superandam. Accidit quoque, plurimas voces nullam habere propriam sive determinatam et eandem ubique significationem, atque intelligi non sua vi, sed signorum aliorum simul adhibitorum. Tertio, nomina quædam sunt rerum inconceptibilium. Earum ergo rerum, quarum ipsa sunt nomina, conceptus nulli sunt. Et propterea propositionum, quas couflant, veritatem ex ipsis nominibus frustra quærimus. In his casibus, dum considerando vocum definitiones veritatem alicujus propositionis investigamus, prout

SECT. III.

18.

Quid sit fides, et quomodo distinguatur a professione, a scientia, et ab opinione.

SECT. III. ^{18.} *spes est inveniendi*, putamus eam aliquando veram, aliquando falsam. Quorum utrumque seorsim *opinari* dicitur, atque etiam *credere*; ambo simul, *dubitare*. Quando vero rationes nostræ, propter quas assentimur propositioni alicui, non *ab ipsa propositione*, sed *a persona proponentis* derivantur, ut quem ita peritum judicamus, ut non fallatur, neque causam videmus quare velit fallere; assensus noster, quia nascitur non a nostræ, sed alienæ scientiæ *fiducia*, *fides* appellatur. Et quorum fiducia credimus, *illis* vel *in illos credere* dicimur. Ex iis, quæ dicta sunt, apparet differentia, primum, inter *fidem* et *professionem*: illa enim cum assensu interno semper conjungitur, hæc non semper. Illa animi persuasio interna, hæc obedientia externa est. Deinde, inter *fidem* et *opinionem*; hæc enim nostræ rationi innititur, illa alienæ existimationi. Denique, inter *fidem* et *scientiam*: hujus enim est propositionem examinatione comminutam et mansam lente admittere; illius autem, integram deglutire. Prodest ad scientiam explicatio nominum, quibus id, quod inquirendum est, proponitur; imo unica via ad *scientiam* est, *per definitiones*; ad *fidem* autem nocet hoc. Nam quæ supra captum humanum credenda proponuntur, nunquam explicatione evidentiora, sed contra obscuriora et creditu difficiliora fiunt. Acciditque homini, qui *mysteria fidei* ratione naturali conatur demonstrare, idem quod ægroto, qui pilulas salubres, sed amaras, vult prius mandere, quam in stomachum demittere; ex quo fit, ut statim revomantur, quæ alioqui devoratae eum sanassent.

Quid sit credere
in Christum.

5. Vidimus ergo, quid sit *credere*. *Credere* autem *in CHRISTUM* quid est? vel *fidei in CHRISTUM*,

quænam propositio est objectum? Quando enim dicimus, *credo in CHRISTUM*, significamus quidem cui, non autem *quid* credimus. Est autem *credere in CHRISTUM*, nihil aliud quam credere *JESUM esse CHRISTUM*, nimirum *ILLUM*, qui secundum Mosis et Prophetarum Israeliticorum vaticinia venturus erat in hunc mundum, ad *instituendum regnum Dei*. Id vero satis apparet ex verbis ipsius *CHRISTI* ad Martham (Joh. xi. 25, 26, 27): *Ego sum, inquit, resurrectio et vita: qui CREDIT IN ME, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit, et CREDIT IN ME, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, utique Domine ego credidi, quia TU ES CHRISTUS filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*. Quibus verbis videmus, *CREDERE IN ME*, explicari per *QUIA TU ES CHRISTUS*. Est ergo *credere in CHRISTUM* nihil aliud, quam credere ipsi *JESU* dicenti se esse *CHRISTUM*.

SECT. III.

18.

6. Concurrentibus ad salutem *fide et obedientia*, utraque *necessario*, qualis sit ea *obedientia*, et cui debita, monstratum est supra, articulo 3. *Articuli* autem *fidei*, quinam requirantur, id nunc inquirendum est. Dico autem alium articulum fidei* præter

Unicum articulum, *Jesum esse Christum*, necessarium esse ad salutem, probatur ex scopo Evangelistarum.

* *Dico autem alium articulum fidei præter hunc.*] Assertionem hanc, quam novitate sua theologis plerisque displicere posse video, etsi satis in sequentibus confirmatam, amplius tamen explicare operæ pretium esse duxi. Primo igitur, cum articulum hunc, *Jesum esse Christum*, solum ad salutem necessarium esse dico, non dico solam fidem ad salutem necessariam esse, sed requiro etiam justitiam, sive obedientiam legibus Dei debitam, hoc est, voluntatem recte vivendi. Secundo, non nego quin multorum aliorum articulorum professio, si modo professio eorum ab ecclesia imperetur, ad salutem quoque necessaria sit; sed cum fides interna, professio externa sit, illam proprie fidem, hanc obedientiæ partem esse dico, ita ut articulus ille ad fidem internam, non autem ad professionem Christiani solus sufficiat. Postremo,

SECT. III. hunc, JESUM ESSE CHRISTUM, homini Christiano,
 18. ut *necessarium* ad salutem requiri nullum. Dis-

Unicum articu-
 lum, Jesum esse
 Christum, neces-
 sarium esse ad
 salutem, proba-
 tur ex scopo
 Evangelistarum.

tinguendum autem est (ut supra art. 4), inter *fidem* et *professionem*. *Professio* ergo plurimum dogmatum, si jubeatur, *necessaria* esse potest; est enim pars *obedientiæ* legibus debitæ. Sed non quærimus jam de *obedientia necessaria* ad salutem, sed de *fide*. Probatum autem, primo, ex scopo Evangelistarum, qui erat per descriptionem vitæ Servatoris nostri illum unum articulum stabilire. Sciemus autem talem fuisse scopum et consilium Evange-

quemadmodum si veram et internam pœnitentiam peccatorum solam, ex parte justitiæ, ad salutem necessariam esse dixissem, tamen pro paradoxo habendum non fuisset, quoniam in ea justitiæ, obedientiam, atque animam ad omnes virtutes reformatum contineri intelligimus. Ita cum fidem unius articuli sufficere ad salutem dico, mirandum minus est, cum in eo tot alii articuli comprehendantur. Nam verba hæc, *Jesus est Christus*, significant, Jesum esse illum, quem Deus venturum in mundum ad regnum suum instaurandum promiserat per prophetas, hoc est, Jesum esse Filium Dei Creatoris cœli et terræ, natum ex virgine, mortuum pro peccatis eorum, qui essent in illum credituri; esse Christum, id est regem; revixisse (nam alioqui regnaturus non est) judicaturum mundum et remuneraturum eorundum opera, aliter enim rex esse non potest; item resurrecturos esse homines: nam absque hoc ad judicium venturi non sunt. Itaque unico hoc articulo totum continetur symbolum apostolorum; quod tamen sic contrahendum ideo existimavi, quod viderem propter hunc solum, sine cæteris, qui ex eo per consequentiam deducuntur, permultos tum a Christo tum ab apostolis ejus in regnum Dei admissos fuisse: ut latro in cruce; ut eunuchus a Philippo baptizatus; ut duo millia hominum ad ecclesiam a sancto Petro simul aggregata. Si quibus autem hoc displicet, quod eos omnes, qui articulo qualicumque ab ecclesia definito assensum internum non præbent (nec tamen contradicunt, sed, si jubeantur, concedunt) non damnatos in æternum censeam, quid illis faciam, nescio. Nam ut sententiam mutem, Scripturæ Sacræ, quæ sequuntur, testimonia apertissima impediunt.

listarum, si observemus ipsam historiam. Sanctus Matthæus, incipiens a genealogia ejus, ostendit; (cap. i.) JESUM esse ex genere Davidis; natum ex Virgine; (cap. ii.) a Magis ut regem Judæorum adoratum; ab Herode eadem de causa quæsitum ad necem; (cap. iii. iv.) regnum ejus Joanne Baptista et a seipso prædicatum; (cap. v. vi. vii.) leges docuisse, non ut scribæ, sed ut qui haberet auctoritatem; (cap. viii. ix.) morbos miraculose sanasse; (cap. x.) *apostolos* præcones regni in omnes Judææ partes ad predicationem regni dimisisse; (cap. xi.) nunciis a Johanne quærentibus, an is esset Christus necne, respondisse, *referrent quæ vidissent*, nempe miracula, quæ in CHRISTUM solum competerent; (cap. xii. et seqq. usque ad xxi.) regnum suum argumentis, parabolis, et signis apud Phariseos et alios comprobasse, et declarasse; (cap. xxi.) salutatum fuisse in regem, cum ingrederetur Jerosolymam; (cap. xxii. xxiii. xxiv. xxv.) se Christum illum esse, contra Phariseos sustinuisse; alios de *pseudo-Christis* præmonuisse; regnum suum quale esset parabolis ostendisse; (cap. xxvi. xxvii.) captum et accusatum fuisse eo nomine, quod se regem esse dixerit; crucique titulum inscriptum, HIC EST JESUS REX JUDÆORUM; denique (cap. xxviii.) post resurrectionem dixisse *apostolis, datam sibi esse omnem potestatem in caelo et in terra*. Quæ omnia eo pertinent, ut credamus Jesum esse illum Christum. Talis erat ergo in describendo evangelio scopus sancti Matthæi. Qualis autem erat hujus, talis erat cæterorum Evangelistarum; id quod seorsim sanctus Johannes in fine evangelii sui (xx. 31) expresse habet: *Hæc, inquit, scripta sunt, ut sciatis, quia Jesus est Christus Filius Dei viventis.*

SECT. III.

18.

Unicum articulum, Jesum esse Christum, necessarium esse ad salutem, probatur ex scopo Evangelistarum

SECT. III. **7. Secundo, probatur idem ex prædicatione Apostolorum ;**

18.

Ex prædicatione
Apostolorum :

erant enim regni præcones, nec Christus eos misit (Luc. ix. 2, Act. xv. 6) ad prædicandum aliud, quam regnum Dei. Quid autem post Christi ascensionem fecerint, intelligi potest ex eorum accusatione (Act. xvii. 6, 7) : *Trahebant, inquit sanctus Lucas, Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes : quod hi sunt, qui urbem concitant, et huc venerunt, quos suscepit Jason ; et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum.* Etiam subjectum concionum apostolicarum quale fuerit, apparet ex his verbis (Act. xvii. 3) : *De Scripturis (subaudi Veteris Testamenti) adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis, et quia HIC EST JESUS CHRISTUS.*

Ex facilitate
religionis
Christianæ :

8. Tertio, ex iis locis quibus eorum, quæ a Christo ad salutem requiruntur, declaratur facilitas. Nam si ad salutem necessario requiratur assensus animi internus veritati omnium et singularum propositi-
onum, quæ circa fidem Christianam hodie vel controvertuntur, vel a diversis ecclesiis diverse definitæ sunt, nihil esset religione Christiana difficilius. Quomodo ergo verum esset, (Matth. xi. 30) *Jugum meum suave est, et onus meum leve ;* et (Matth. xviii. 6) *Parvulos in eum credere ;* et (1 Cor. i. 21) *placuisse Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes ?* Vel quomodo satis ad salutem instructus fuit latro pendens in cruce, cujus fidei confessio continebatur his verbis : *Memento mei, cum veneris in regnum tuum ?* Vel ipse sanctus Paulus unde tam cito ex hoste doctor Christianorum fieri potuit ?

9. Quarto, ex eo quod articulus ille fidei funda-

mentum sit, neque alii fundamento ipse innitatur SECT. III.
 (Matth. xxiv. 23, 24): *Si quis vobis dixerit: ecce* 18.
hic est Christus aut illic, nolite credere: surgent Ex eo quod sit
enim pseudo-Christi, et pseudo-prophetæ, et da- fundamentum
bunt signa magna, etc. Ex quo sequitur propter fidei:
 fidem hujus articuli, negandam esse fidem signis et
 prodigiis (Gal. i. 8): *Licet nos, aut angelus de*
cælo, ait Apostolus, evangelizet vobis præterquam
quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Ergo
 propter hunc articulum neganda esset fides ipsis
 apostolis et angelis, puto ergo et ecclesiæ, si con-
 trarium docerent. *Charissimi, nolite, inquit sanctus*
Johannes, (1 Joh. iv.) omni spiritui credere,
sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam
multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum: in
hoc cognoscitur Spiritus Dei; omnis spiritus qui
constetur JESUM CHRISTUM VENISSE in carne, ex
Deo est, etc. Est ergo articulus ille mensura
 spirituum, secundum quam auctoritas doctorum
 vel recipitur vel rejicitur. Negari quidem non po-
 test, quin a doctoribus didicerint omnes, qui hodie
 Christiani sunt, fuisse JESUM, qui ea omnia fecit,
 quibus Christus esse agnosceretur. Non tamen
 sequitur eosdem articulum illum doctoribus credere
 vel ecclesiæ, sed ipsi Jesu. Erat enim ille articulus
ecclesia Christiana prior, etsi cæteri omnes poste-
riores fuerint. Et (Matth. xvi. 18) *ecclesia* super
 illum, non hic super *ecclesiam* fundatus est.
 Præterea, ita est articulus ille, *Jesus est Christus,*
 fundamentalis, ut cæteri omnes dicantur a sancto
 Paulo (1 Cor. iii. 11, 12, etc.) illi superædificari:
Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id,
quod positum est, quod est Jesus Christus (hoc
est, Jesus est Christus); si quis autem superædi-

SECT. III. *ificat super fundamentum hoc aurum, argentum,*
 18. *lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, unius-*
cujusque opus manifestum erit. Si cujus opus
manserit quod superædificavit, mercedem accipiet;
si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse
autem salvus erit. Ex quibus patet per funda-
 mentum intelligi articulum hunc JESUM ESSE
 CHRISTUM: non enim superædificatur super per-
 sonam Christi, aurum, argentum, fœnum, stipula,
 quibus significantur doctrinæ: et posse falsas doc-
 trinas fundamento superstrui, nec tamen ut dam-
 nentur, qui eas docuerint.

Ex disertissimis
 Christi et apos-
 tolorum verbis.

10. Postremo, quod articulus ille solus necessario
 tenendus sit *fide interna*, evidentissime ex plurimis
 Sacræ Scripturæ locis, quocunque interprete, pro-
 bari potest. Joh. v. 39: *Scrutamini Scripturas,*
quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et
illæ sunt, quæ perhibent testimonium de me. In-
 telligit autem Christus Scripturas solius Testamenti
 Veteris: nondum enim scriptum erat Testamentum
 Novum. Jam vero testimonium de Christo in Ve-
 teri Testamento nullum aliud exstat, præterquam
 quod venturus erat rex æternus, tali loco, talibus
 parentibus nasciturus, talia docturus et facturus;
 quibus rebus ut signis dignoscendus erat. Quæ
 omnia hoc unum testantur, JESUM, qui ita natus
 ea docuerit et fecerit, esse CHRISTUM. Alia igitur
 fides ad vitam æternam præter illum articulum
 non requirebatur. Joh. xi. 26: *Omnis, qui vivit et*
credit in me, non morietur in æternum. Credere
 autem in Jesum, ut ibidem explicatur, idem est
 quod credere JESUM ESSE CHRISTUM. Qui ergo
 id credit, non morietur in æternum; et per con-
 sequens, articulus ille solus est ad salutem necessa-

rius. *Joh. xx. 31: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia JESUS EST CHRISTUS filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Quare, qui sic credit, habebit vitam æternam; neque ergo opus habet alia fide. 1 Joh. iv. 2: Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum venisse in carne, ex Deo est. Et, 1 Joh. v. 1: Omnis spiritus, qui credit, quoniam JESUS EST CHRISTUS, ex Deo natus est. Et 1 Joh. v. 5: Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam JESUS EST filius Dei? Si igitur non sit opus aliud credere, ut quis sit ex Deo; natus ex Deo; et ut vincat mundum, quam JESUM ESSE CHRISTUM; unicus ille articulus sufficit ad salutem. Act. viii. 36, 37: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Respondens, ait: credo filium Dei esse Jesum Christum. Si quidem ergo articulus ille ex toto corde, hoc est, fide interna creditus, sufficit ad baptismum, sufficit etiam ad salutem. Præter hæc loca, alia innumera sunt, quæ idem clare et expresse affirmant. Imo, ubicunque legimus Servatorem nostrum cujuspian fidem laudasse, vel dixisse, *fides tua te salvum fecit*, vel sanasse quempiam propter fidem, ibi propositio credita alia non erat quam hæc, JESUS EST CHRISTUS, vel directe vel per consequens.*

11. Quoniam autem credere *Jesum esse Christum* nemo potest, qui, cum sciat per Christum intelligi regem illum, qui a Deo promissus est per Mosen et prophetas in *Regem* et *Servatorem* mundi, non credat etiam Mosi et *prophetis*, neque credere his possit, qui non credit *Deum* et *existere* et *mundum gubernare*, contineri necesse est fidem illam

SECT. III.
18.

In eo articulo
contineri fidem
Veteris Testa-
menti.

SECT. III. 18. de Deo et de Veteri Testamento in fide hac Testamento Novi. Cum ergo in regno Dei per naturam crimen læsæ majestatis divinæ solus esset Atheismus et negatio providentiæ divinæ ; in regno autem per pactum vetus, etiam idololatria ; jam in regno per pactum novum additur etiam *apostasia*, sive renunciatio hujus semel recepti articuli, *Jesum esse Christum*. Cæteris doctrinis, si modo a legitima ecclesia definitæ fuerint, non est sane contradicendum : est enim peccatum inobedientiæ ; obedientia autem ad salutem necessaria est. Cæterum ut credantur *fide interna*, ostensum est ampliter in proxime antecedentibus necessarium non esse.

Fides et obedientia quomodo concurrant ad salutem.

12. Partes in salute Christiani perficienda *fides* et *obedientia* diversas habent : hæc enim *potentiam* sive *capacitatem* contribuit ; illa *actum*. Atque utraque suo modo justificare dicitur. Christus enim non omnibus, sed *pœnitentibus*, sive *obedientibus*, hoc est, justis (non dico *insontibus*, sed *justis* ; *justitia* enim est voluntas obediendi legibus, et convenire in peccatorem potest ; voluntas autem obediendi obedientia est apud Christum) peccata remittit. Non enim quilibet, sed *justus ex fide vivet*. *Justificat* ergo *obedientia*, quia *facit justum*, eo modo, quo *temperantia* facit *temperatum* ; *prudencia* *prudentem* ; *castitas* *castum*, nimirum essentialiter : constituitque hominem in eo statu, ut veniæ capax sit. Rursus, Christus non omnibus justis peccata condonare promisit, sed solis *credentibus ipsum esse Christum*. *Justificat* ergo *fides* eo sensu, quo *justificare* dicitur *judex*, qui *absolvit* : nimirum per *sententiam*, quæ *actu* salvum facit. Atque in hac acceptione justificationis (est enim vox æquivoca) *justificat fides sola* ;

in illa autem *sola obedientia*; sed neque justitia sola, neque fides sola *salvificat*, sed simul ambæ.

SECT. III.

18.

13. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile erit perspicere quid sit officium civium Christianorum erga summos imperantes. Qui, quamdiu Christianos esse se profitentur, subditis suis ut Christum negent vel contumelia afficiant imperare non possunt; nam si hoc imperarent, profiterentur se non esse Christianos. Cum enim ostensum sit, et ratione naturali et ex Scripturis Sacris, oportere cives principibus rectoribusque summis civitatis in omnibus obedire, præterquam in iis, quæ sunt contra mandata Dei; et mandata Dei in civitate Christiana, circa *temporalia* quidem, id est, ea quæ ratione humana examinanda sunt, leges esse et sententias civitatis, prolatas ab iis, quibus legum ferendarum controversiarumque judicandarum auctoritas a civitate commissa est; circa *spiritualia* vero, id est, ea quæ per Scripturam Sacram definienda sunt, leges esse et sententias civitatis, hoc est ecclesiæ, (nam civitas Christiana et ecclesia, ut ostensum est capite præcedente, articulo vicesimo, eadem est res,) prolatas a pastoribus rite ordinatis, et qui a civitate in eam rem auctoritatem acceperunt; sequitur manifeste in civitate Christiana obedientiam deberi summis imperantibus in rebus omnibus, tam *spiritualibus* quam *temporalibus*. Imperantibus autem non Christianis, in *temporalibus* quidem omnibus eandem deberi obedientiam, etiam a cive Christiano, extra controversiam est; in *spiritualibus* vero, hoc est, in iis quæ pertinent ad modum colendi Dei, sequenda est *ecclesia* aliqua *Christianorum*. Etenim Deum non loqui in rebus supernaturalibus, nisi per Scripturæ Sacræ interpretes

In civitate Christiana, nullam esse repugnantiam inter mandata Dei et civitatis.

SECT. III. **Christianos, fidei Christianæ est hypothesis. Quid autem? An principibus resistendum est, ubi obediendum non est? Minime sane; hoc enim contra pactum est civile. Quid ergo agendum? Eundem ad Christum per martyrium. Quod si cui dictum durum videatur, certissimum est eum non credere ex toto corde JESUM ESSE CHRISTUM *filium Dei viventis*; cuperet enim dissolvi, et esse cum Christo; sed velle simulata fide Christiana pactam civitati obedientiam eludere.**

Doctrinas, quæ hodie controvertuntur de religione, spectare plerasque ad jus regnandi.

14. Mirabitur autem forte quispiam, si excepto uno articulo, JESUM ESSE CHRISTUM, qui necessarius est ad salutem de fide interna, cæteri omnes pertineant ad obedientiam tantum, quæ quidem præstari potest, etsi quis non interne credat (modo cupiat credere, et externe profiteatur, quoties opus est) quæcunque ab ecclesia proponuntur; unde factum sit ut tot sint hodie dogmata, quæ dicuntur omnia ita de fide esse, ut nisi ea quis credat interne, intrare in regnum cælorum non possit. Quod si idem consideret, in plerisque controversiis certamen esse de regno humano, in aliquibus de quæstu, in aliquibus de gloria ingeniorum, minus mirabitur. Quæstio de *ecclesiæ proprietatibus*, quæstio est de *jure imperii*. Cognito enim, quid sit *ecclesia*, cognoscitur una, cujus sit imperium in Christianos. Nam si quælibet civitas Christiana ecclesia illa sit, quam omnem Christianum illi civitati subjectum audire præcepit ipse Christus, tum civis quilibet tenetur civitati suæ, hoc est, ei vel iis obedire, quorum est imperium summum, non modo in *temporalibus*, sed etiam in *spiritualibus*. Sin quælibet civitas Christiana non sit ecclesia illa, tum est aliqua alia ecclesia universalior, cui oportet obedire. Om-

nes igitur Christiani illi obedire debent, sicut obedirent Christo si veniret in terras. Imperabit ergo illa vel per monarchiam, vel per certum aliquem. *Questio itaque est de jure imperii. Eodem spectat questio de infallibilitate. Quisquis enim vere et interne crederetur ab universo genere humano non posse errare, certus imperii, tam temporalis quam spiritualis, esset, nisi ipse nollet, in universum genus humanum. Si dicat enim obediendum sibi esse in temporalibus, eo quod putatur non errare, tale imperii jus ei conceditur. Eodem spectat privilegium interpretandi Scripturas. Cujus enim est controversias, quæ ex diversa Scripturarum interpretatione oriri possunt, determinare, ejus est omnes simpliciter controversias determinare. Cujus autem est hoc, ejusdem est imperium in omnes, qui agnoscunt Scripturas esse verbum Dei. Eodem spectat disputatio de potentate remittendi et relaxandi peccata, sive de auctoritate excommunicandi. Unusquisque enim, si mentis compos sit, obediet in omnibus simpliciter ei, cujus arbitrio credit se salvandum aut damnandum esse. Eodem spectat potestas instituendi societates; ab eo enim dependent, per quem existant, qui quot monachos, tot habet subditos, quamquam in civitate hostium. Eodem spectat questio de jure legitimi matrimonii. Cujus enim est judicatio ea, ejus quoque est cognitio causarum de hereditate et successione in omnia bona et jura, non modo privatorum hominum, sed etiam summorum principum. Eodem quodammodo spectat celibatus ecclesiasticorum. Celibes enim minus quam cæteri cohererent cum reliqua civitate. Et præterea incommodum non contemnendum est, necessarium esse principibus*

SECT. III.

18

Monarchia,
quæ nullis est
limitibus de
potestate, quæ
tunc est regnum
ad jura regnum.

SECT. III.

18.

Doctrinas,
quæ hodie con-
trovertuntur de
religione, spec-
tare plerasque
ad jus regnandi.

vel sacerdotium, quod magnum est vinculum civilis obedientiæ, amittere, vel regnum hæreditarium non habere. Eodem quoque spectat *canonizatio sanctorum*, quam ethnici *apotheosin* appellarunt. Nam qui subditos alienos tanto præmio allicere potest, talis gloriæ avidos ad quidlibet audendum et faciendum inducere potest. Quid enim nisi honorem apud posteros quæsiverunt Decii aliique Romani, qui se devoverunt, et mille alii, qui in pericula incredibilia se conjecerunt? Controversiæ de *purgatorio* et *indulgentiis* de quæstu sunt. Quæstiones de *libero arbitrio*, de *justificatione*, de *modo recipiendi Christum in sacramento*, philosophicæ sunt. Sunt et quæstiones de ritibus non introductis, sed relictis in ecclesia non satis purgata a Gentilismo; sed non est opus plures enumerare. Sciunt omnes, eam esse naturam hominum, ut dissentientes de quæstionibus, ubi agitur de *potentia*, vel *lucro*, vel *præstantia ingenii*, alteri alteros conviciantur et anathematizent. Non est ergo mirum, si dogmata fere omnia, postquam incaluerint homines disputando, dicantur ab his vel illis *necessaria* esse ad ingressum in regnum Dei, non modo ut contumaciæ nomine damnentur, qui ea non concedunt; id quod post ecclesiæ sententiam verum est; sed infidelitatis; quod falsum esse ostendi supra ex pluribus evidentissimis Scripturæ locis: quibus addo hunc sancti Pauli (Rom. xiv. 3, 5): *Qui manducat, non manducantem non spernat; qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem: unusquisque abundet in suo sensu.*

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn